


PETRI PETITI
Philoſophi & Doctoris Medici Pariſienſis

De

SIBYLLA

Libri tres.





LIPSIÆ,

Apud Hæredes FRIDERICI LANKISCH,
Typis CHRISTOPHORI GUNTHERI.

M DC LXXXVI.



Clarisſimo Viro

FRIDERICO BENEDICTO CARPZOVIO

Petrus Petitus

S. P. D.

SI quisquam erit, *Vir celeberrime*, qui admiretur, me hominem apud Gallos Luteciæ natum, neque aliter fere tibi quam tenui famæ aurâ, quorumdam & amicorum prædicatione cognitum, nunc abs te e tam longinqũis regionibus præſidium meis Muſis quærere, ac lucem a Lipſia petere; deſinet profecto mirari, cum quæ me, vt id conſilii caperem, impulerit cauſa intelliget. Quin iſtud, ſat ſcio, conſilium meum probabit, dignumque homine ingenuo & liberali iudicabit. An hoc adeo mirandum eſt, ſi, quam of-

ficiosissima humanitate tua viam studiosis omnibus ad bene de literis merendum aperis, eam mihi nunc huiusce libri, quem tibi offero, dedicatione insistere visum est? Cum præsertim teipsum incredibili incensum amore literarum intelligam, nec vllis negotiorũ curis impediri posse, quo minus ad libros interim recurras, quos subinde etiam a remotis vndecumque locis ad te mandas perferri, ne quid vspiam in republica literaria noui geratur, quod tuam sciendi cupiditatem prætereat. Itaque mirum videri non debet, si tantum eruditionis consecutus es, quantum in hominem occupatum cadere posse vix quisquam credat. Te sane non esse vnum e multis, antea ex doctorum virorum, quibus familiariter vtor, prædicatione cognoueram; nonnulla ipse Græco & Latino sermone abs te perscripta videram, ex quibus iudicáre licuit, quid in literis præstare possis, si tibi maius otium

ad eas excolendas aliquando contingat: cum ne in illo quidem negotiorum æstu, partim publicorum, quibus cum dignitate in patria praees, partim domesticorum, quibus magnifice rem familiarem auges atque amplificas, temperare possis, quin ad nostras subinde tuasque artes respicias, quantumque in iis profeceris ostendas. Quæ cum vitæ tuæ decora quemuis ad te amandum impellere possint, non tamen, vt verum fatear, his adduci potuissem, vt te statim ignotus literis meis interpellarem, nisi ÆGIDIVS MENAGIVS, vir illustris, & probitatis mihi longo vsu perspectæ, me verecundia cunctantem pulsare fores amicitiæ tuæ, eo perpulisset. Nam cum illi indicassem, me librum composuisse de Sibylla, mox in lucem, si occasio eius edendi daretur, emittendum; non distulit homo amicissimus, quin statim ad te de me & eo libro scriberet. Quo pacto mihi plane occasionem dedit, immo

necessitatem imposuit, literas quamprimum ad te mittendi gratiarum agendarum causa; cum te libenter eius libri editionem amplecti, ac tibi curæ fore, verbis officiosissimis pollicitus fuisses. Ne mireris igitur, quod amicitiæ tuæ fores hoc scripto pulsem: si tamen nunc pulsandæ sunt, quas pridem mihi officiosissimis literis aperuisti. Quo maior me spes tenet, non fore tibi ingratam, quam tibi dedico, lucubrationem nouam de Sibylla: si præsertim hanc, non ex ipsius merito, sed ex auctoris affectu æstimes. Quod vt facias, meque in tuorum numero habeas, rogo. Faxit Deus optimus maximus, vt qui nunc liber tuo beneficio in lucem prodit, in longum tempus ea luce, quam illi dedisti, tuo patrocinio fruatur. Vale. Ex Museo nostro, Luteciæ Parisiorum, Idibus Octobris, anni instauratæ salutis 1685.



In libros

DE SIBYLLA

Præfatio.

QUo plures extant conſcripti doctorum virorum de Sibyllis libri, eo grauior me cura inceſſit, quam homines de iſto conſilio meo opinionem habituri ſint, dum me videbunt argumentum iam ſatis ſuperque, vt videtur, ab aliis explicatum, denuo incudi reddere, ac noua opera recentatum ponere, ceu quicquam potuerim in eo inuenire, quod priorum diligentiam fugerit. Itaque metuo equidem, ne me ſtatim multi ex titulo explodant. Quid igitur? Quia complures ante me de Sibyllis ſcripſerunt, non licebit mihi in eadem palæſtra exercere ingenium meum? Quia multi exiſtunt literarum

osores, multi aliena industria oppugnatores, mea ipse reperta tenebris damnabo? Absit vt talibus terriculamentis me a proposito abduci patiar. Quin spero non defuturos lectores eius æquitatis, vt prius quid hoc in nouo opere afferam, perspicere velint, quam de illo iudicium ferant: eius autem candoris, vt cum serio ipsum ac diligenter euoluerint, non me in eo elucubrando inutilem omnino operam posuisse fateantur.

Id quanquam meo iure postulare videor, ac futurum confido; visum est tamen ad prauertendas aliorum suspiciones pauca hic de meo instituto attingere, quo libentius omnes ad eius, quem offero, libri lectionem accedant.

De Sibyllis ago, immo de Sibylla, quod nomen cur singulariter vsurpem, totius libri intentio & series declarat. De Sibylla inquam, verum longe alio modo & iudicio, ac qui de Sibyllis hactenus scripserunt. Illi testimoniis ex

Varrone & aliorum auctorum lectione congerendis potius, quam pensitandis, quam essent diligentes ostendere voluerunt: nihil interim expiscati, nisi quod ad rem Christianam, ac fidem illi arrogandam, atque auctoritatem conciliandam, pertinere videretur. Ad hunc dumtaxat scopum omnis eorum industria & labor collimat. Mihi vero propositum est, non historicum modo me, aut criticum, aut theologum præstare Sibyllæ, sed etiam philosophum. Quod non ideo profiteor, vt aliquid mihi maius supra alios arrogem; sed vt omnes ex hac confessione melius præsentis operis ingenium & rationem dignoscant. Quid enim hinc sequatur, iam omnes cordatos puto intelligere; nempe vt longe alia, hoc modo contemplanti, rerum facie & apparatu se offerat mihi Sibylla, multoque ampliorem aperiat campum, atque iis qui Sibyllina attingunt, eorum tantum ora-

culorum causa, quæ de Christo & Ecclesia circumferuntur.

Enimuero si me iisdem finibus coerceri vellem, difficilius fateor vitare possem, quin, quod metuendum mihi dixi, id accideret, sæpe vt, imprudens licet, in aliorum vestigia incurrerem, atque etiam, quod summe abominor, compilator aut plagiarius audirem: quorum duorum vtrum magis detester, non facile dixerim. Nunc mihi quo dixi proposito in Sibyllæ res & præscita inquirenti, ea conuenit diligentia, quæ nihil Sibyllinum a se alienum putet. Cui consentaneum, vt quæ alii, vt parum proposito suo necessaria, consulto omiserunt, studiose mihi, vt meo congruentia, vndiquaque expiscanda fuerint atque explicanda. Hinc sane factum est, vt non solum de natura Sibyllæ, corporis temperamento, animi indole, vaticinandi facultate, & causis dicendum fuerit: sed etiam alia multa his

affinia & adiacentia, ex eorum genere quæ Hippocrates τὰ ἔξωθεν vocat, Philoſophi etiam τὰ ἔξω, fuerint neceſſario adiungenda. Patria, inquam, educatio, & victus ratio, vita longa, ſolitudo, peregrinationes, antra in quibus habitaſſe dicitur, mors, ſepulcrum, epitaphium; omnia e veterum monumentis expreſſa.

In quibus interim perſequendis me interdum ingenio obſecutum meo, vltra etiam limites euagatum non diffitebor: dum materia inuitante in quædam diuerto, non quidem abhorrentia plane a propoſito, ſed tamen non valde neceſſaria. Quo in genere eſt interpretatio allegorica antri Nympharum in portu Ithacenſi, ab Homero graphice expreſſi in Odyſſea. Quam expoſitionem a Porphyrio acceptam, Sibyllæ ſpecuum occaſione, illuſtrare atque etiam tutari aduerſus Cæſaris Scaligeri cenſuram viſum eſt. Nec potui temperare porro,

quin multa de priſcis Græciæ ariolis, & principe omnium, vt ego arbitror, Sibylla referens, nonnullorum poſterioris æui vatum, atque in primis Michaelis Noſtradami, in Gallia nati, prædictionumque centuriis celeberrimi, mentionem facerem. Quæ ſi quis tetricus, vt aliena a propoſito, explodere audebit, meque in his abuſum otio & literis contendet; videat ne iuſtius ipſe temeritatis arguatur, dum Platonem, Polybium, Liuium, Plutarchum, Galenum, Eraſmum, Cardanum, Bodinum, & alios complures viros magnos, atque extra ingenii aleam poſitos, eadem cenſura explodendos non diiudicat.

Sane non video, quid tantopere diuerticula offenſionis habeant, ſi nihil interim eorum, quæ ad rem pertinent, omittatur, quo minus propoſitæ diſputationi ad plenum ſatisfiat; isque adhibeatur modus, vt neque remotiora ſint ab iis quæ aguntur, nimisque e longin-

quo petita, neque diutius lectorem morentur. Immo his conditionibus admittenda esse contendo, præsertim in opere satis prolixo, parumque benigna materia & ingenii capace: qualis profecto hæc est, quam suscepi tractandam, si remota omni rerum extrinsecus incidentium specie, in se nuda spectetur.

Tum si qui me in rebus parum fide dignis atque ipsa vetustate suspectis nimis credulum & diligentem fuisse arguent, dum omnia quæ de Sibyllæ oraculis & gentium sacris veteres prodiderunt amplector, multa antiquos vates de futuris ad verum respondisse defendo: sciant, me non alia potiore indicatura inuitamentoue hanc operam condixisse, quam vt illa, quæ multi pro fictis aspernantur atque repudiant, fide non indigna ostendam. An tibi, Quiritator, hæc falsa sine testimonio, sine solida ratione, iactanti vis credi potius, quam summorum totius æui auctorum

consensui, qui hæc historica fide in literas miserunt? Quorum auctoritas cum tanti in aliis ponderis ac momenti apud omnes sanos habeatur: equidem non video, cur in vnius Sibyllæ negotio, atque aliis ethnicorum superstitionibus, ita iaceat, vt quæ iidem magni auctores de hisce rebus prodiderunt, ne digna quidem videantur, quæ in disceptationem adducantur, vt quid de his sentiendum sit constituatur. Tu vero (*placet enim verbis Apuleii, quibus similem cuiusdam contumaciam coercet, vti*) crassis auribus & obstinato corde respuis, quæ fortasse vere perhibeantur. Minus hercule calles, prauissimis opinionibus ea putari mendacia, quæ vel auribus noua, vel visu rudia, vel certe supra captum cogitationis ardua videntur; quæ si paulo accuratius exploraris, non modo compertu euidentia, verum etiam factu facilia senties.

Valeant igitur isti antiquæ eruditionis osores, literarumque destructores, qui nihil, nisi quod ipsi viderunt, aut quod vsu obuium omnibus tritumque est, credere volunt. Mihi prouidentiæ maiestatem contemplanti, ordinemque vniuersi, in quem nullæ non rerum vices, nulla non rationum omnigenum varietas & distinctio incidit, pridem hæc sententia sedit, nihil omnino eorum quæ in magnorum auctorum monumentis occurrunt, quantumuis inusitatum & stupendum, sine valida & euidenti ratione esse repudiandum. Hæc autem vna est ratio, si hæc fieri non potuisse idoneis argumentis probetur. Fuerint illa quidem superstitiosa & friuola, cacodæmonum fraude inducta, non tamen propterea neganda, aut indigna cognitione: cum ex iis maxime intelligatur, qualibus vitæ e tenebris & captiuitate Deus per Filii sui gratiam mortales eduxerit. Quemadmodum enim


artis medendi vtilitas nulla ex re melius, quam ex morborum, quos depellit, variis molestiis & periculis cognosci potest; sic neque Dei optimi maximi misericordia & bonitas ineffabilis aliter clarius innotescat, quam si quis errorum atque superstitionum portenta consideret, quæ Christus, ceu densissimas nubes, immo plusquam Cimmerias tenebras, in hunc mundum prodiens, lumine suo animis hominum depulit. Quo sane consilio me ad hanc de Sibylla, quæ magna earum superstitionum pars fuit, commentationem impulsum profiteor.

PETRI PETITI
Philosophi, & Doctoris medici,
DE
SIBYLLA
LIBRI TRES.
LIBER PRIMVS.



CAPVT I.

Auctorum pugna de numero Sibyllarum. Vnde primum ad nos Sibyllarum notitia processerit. Lactantii in his perplexitas.



Cum nobis propositum sit in hos de Sibylla libros conferre quæcumque de ipsa veterum monumentis prodita obseruauimus, quemadmodum præfatio aperuit; statim in ipso tractationis exordio explicandum videtur, cur de *Sibylla* promittam, non de *Sibyllis*, in multitudinis numero, vt fere omnes qui id argumentum tractarunt. Est autem in promptu responsio; quia non arbitror plures fuisse Sibyllas, sed vnam tantum extitisse ostendo. Quod cum a

vulgata opinione magnopere abhorreat, ſtatim hunc ſcrupulum ex animis lectorum eximendum cenſui, vt eos ad reliqua propoſiti mecum decurrenda habeam promptiores.

Ac primum velim omnes conſiderare, quanta ſit eorum, qui plures Sibyllas profitentur, in numero earum aſſignando diſſenſio. Quo ſane probatur, nemini ſatis eſſe de numero iſto, qualis aut quantus cenſeri debeat, exploratum. Quod ſi ita eſt, cur non dubitemus, pluresne omnino fuerint Sibyllæ, an vnica tantum? Quod igitur parum inter auctores de numero Sibyllarum conueniat, id primum attingam paucis; poſtea vnicam fuiſſe dumtaxat, dilucidis veterum atque omni exceptione maiorum auctorum teſtimoniis probabo. Enimuero Varro, quem Lactantius & alii complures ducem ſequuntur, decem omnino Sibyllas commemorat; quæ hoc ordine apud eundem Lactantium lib. 1. de falſa religione cap. 6. recenſentur: Perſica, Libyſſa, Delphica, Cumæa, Erythræa, Samia, Cumana, (quæ & Amalthæa, Demophile, ſiue Herophile nuncupata) Helleſpontiaca, Phrygia, Tiburtina. Ita ille auctor ex Varrone. Sed & aliquot alias his adjungit Suidas, ſi non eædem cenſendæ diuerſis nominibus: Heliſſam, Colophoniam, quæ & Lampuſa dicta ſit, Theſſalam item, tum quæ Sarbis quibuſdam, aliis Taraxandra eſt nuncupata.

Quod ad Theſſalam attinet, Turnebus Aduerſariorum lib. 28. cap. 44. eandem eſſe putauit,

uit, quam Maro in ſexto *Amphryſiam vatem* appellat; propterea quod Amphryſus amnis eſt in Theſſalia. Quæ ratio profecto hic locum non habet. Cum enim Poeta eam Sibyllam, qua duce Æneam regna infera perluſtrantem introducit, Cumæam ipſam fuiſſe, & in eo libro ſexto magni operis, & in tertio eiusdem dicat; hanc autem ipſam poſtea Amphryſiam vatem vocet; cur iis verbis alluſionem ſubeſſe ad Theſſalam Sibyllam putet vir ille doctiſſimus non video. Tametſi enim poetica licentia confundi interdum perſonas haud prorſus negauerim, non tamen eo confugiendum videtur, niſi magna vrgeat neceſſitas, quæ hic nulla apparet. Multo enim eſt probabilius Cumæam Sibyllam ibi ab Apolline, qui apud eundem Poetam *paſtor ab Amphryſo* in Georgicis dicitur, Amphryſiam, hoc eſt, Apollineam, itidem nominatam fuiſſe. Quæ & Seruii Grammatici ad eum locum interpretatio eſt.

Cæterum alii non deſunt, qui ad longe pauciores hunc numerum redigant. Ælianus quidem ποικίλης ἱστορίας lib. 12. cap. 35. quatuor tantum agnoſcere videtur: Erythræam, Samiam, Ægyptiam, Sardianam. Solinus autem alios ſecutus tres dumtaxat nominat. Quem & Sibyllarum numerum amplexus eſt Auſonius in Grypho numeri ternarii:

Et tres fatidicæ nomen commune Sibyllæ,
Quarum tergemini fatalia carmina libri.

Hæ tres apud Solinum ſunt: Delphica, Erythræa,

thræa, Cumana. Poſtremo Martianus Capella duas tantum eſſe dixit, Erythræam & Phrygiam, illamque a Cumana haud diſtinguit.

Cum tanta ſit auctorum de Sibyllarum numero diſſenſio & pugna, quis de hoc numero aliquid ſe certum poſſe reperire confidat? aut quis ex tali opinionum varietate non intelligat, fieri poſſe vt omnes in numero earum conſtituendo hac etiam cauſa errent, quod plures fuiſſe arbitrentur Sibyllas, cum vna tantum extiterit? Quod eſſe probabilius, aliorum complurium & præcipuorum dictis auctorum mox planum faciam: ſed prius de recentiorum, qui de Sibyllis tractatus ediderunt, propoſito & tractandi ratione quid ſentiam, eloquar.

Hi omnes propemodum nihil mihi dixiſſe videntur; quia in tanta multitudine nemo aut initium vnde eſſet proficiſcendum, aut viam qua incedere deberet, perſpicere potuit. Ita omnes diuerſa veterum auctorum de Sibyllarum numero teſtimonia colligentes, Varronis, Pauſaniæ, Clementis Alexandrini, Lactantii, Auguſtini, Iſidori & aliorum, ex hisque nomina & patrias earum referentes, nihil aliud, (pace eorum liceat dixiſſe) quam quod vulgo dicitur, faciunt centones. Hoc erat ſtatim initio conſtituendum, vnam an plures Sibyllas Græcorum vetuſtiſſimi poſuiſſent. Eos dico, qui priſcorum Græcorum ſuperſtitionem ſecuti, ex Sibyllinis oraculis pendebant. Quibus ſi plures Sibyllas innotuiſſe conſtaret, exinde ad earum numeri inueſtigationem

nem

nem procederent: ſin vnam tantum iis cognitam fuiſſe & celebratam pateret, id defenderent, alios qui plures ponunt, erraſſe oſtenderent.

Sibylla profecto & vniuerſum iſtud diuinationis genus res Græca eſt, a Græcis primum prodita; a quibus ad alias gentes literarum monumentis manauit. Non quia diuinæ apud alias nationes feminæ non fuerunt, ſed quia non ſequitur, ſi qua ſit mulier vaticinio clara, continuo eſſe Sibyllam. Id enim eſt quod multos in errorem induxit, quod Sibyllam a fatidica quauis femina non diſtinguunt. Quem errorem ſuo loco detegam, & quid inter Sibyllam & alias prophetides differat, certis bonorum auctorum teſtimoniis perſpicuum dabo.

Nunc quibus coniecturis Sibyllam eiusque vaticinium Græcorum proprium eſſe arbitrer, exponam. Primum id ex ipſorum Chriſtianorum diſputationibus aduerſus paganos colligo: qui inter alia argumenta & teſtimonia, quibus eos de vera religione conuinci poſſe arbitrabantur, Sibyllina quoque oracula iis proponebant, (vera an ficta nihil in præſenti intereſt) in quibus de Chriſti aduentu & regno eſſet proditum: quod ſcirent, non minoris apud eos auctoritatis eſſe Sibyllinos libros quam Pythiæ reſponſa. Cæterum omnia Sibyllina græca fuiſſe ex Lactantio colligitur loco ſupra citato. Verba adſcribam: *Harum omnium Sibyllarum carmina & feruntur & habentur, præterquam Cumææ: cuius libri a Romanis occuluntur, nec eos ab vllo*

nisi a quindecim viris inspici fas habent. Et sunt singularum singuli libri: qui quia Sibyllæ nomine inscribuntur, vnius esse creduntur: suntque confusi, nec discerni ac suum cuique assignari potest, nisi Erythrææ, quæ & nomen suum verum carmini inseruit, & Erythræam se nominat, vbi prælocuta est, cum esset orta Babyloniæ. Sed & nos confuse Sibyllam dicemus, sicubi testimoniis earum fuerit abutendum. Ex his Firmiani verbis luce meridiana clarius apparet, omnia Sibyllina græcis literis comprehensa fuisse: aliter non fuisset confusioni locus, neque vlla in discernendis, quæ cuius essent, oraculis difficultas esse potuisset, si Sibyllæ patrio diuersarum nationum sermone scripsissent. Cum igitur Lactantius dicat, solius Erythrææ quæ essent propria cognosci potuisse, quod hæc nomen suum vaticiniis inseruisset; sequitur, & aliarum Sibyllarum præscita græce fuisse conscripta. Quis porro in animum inducat, aliarum nationum Sibyllas, siue Phrygiam, siue Cumæam Italiæ, vt volunt, indigenam, aut Tiburtem, Albuneam dictam, & alias barbaras vates græco potius quam patrio idiomate scribere instituisse? Quorsum enim? vt Græcis solis Christi aduentum & tanta bona, quæ Deus per eum hominibus facturus esset, nuntiarent? cur his potius quam aliis gentibus? Tum si ita est, cur Græcorum nullus ante Apostolos de Christo quicquam resciuit, aut scriptis meminit? Quæ eadem dubitatio exoritur opinantibus, vnamquamque proprio idiomate oracula

scri-

ſcripſiſſe. Cur neque barbarorum vlli de Chriſto auditum ante id tempus, ſi neque iis Sibyllæ defuerunt, quæ (quod multo eſt in ea hypotheſi veriſimilius) veræ religionis myſteria illi vernaculo ſermone præcinerent. Nego præterea (& eſt alia difficultas) potuiſſe mulierculas in Chaldæa natas, aut Phrygia, aut Italia, alia quam patria lingua vaticinari; niſi forte aliquis fingat, eodem quo futura præuiderent afflatu peregrinæ linguæ vſum accepiſſe. Sed hoc nullo modo veriſimile eſt, & credendum Lactantio teſtanti, omnia Sibyllina græco idiomate perſcripta fuiſſe. Ex quo efficitur, omnes Sibyllas (ſi quidem plures fuerunt) genere fuiſſe Græcas.

CAPVT II.

Vnam tantum Sibyllam Græcis cognitam fuiſſe.

NUnc vnam Græcis cognitam & celebratam fuiſſe Sibyllam maximorum eius gentis auctorum teſtimoniis probandum eſt. Plato igitur vbicumque Sibyllæ mentionem facit, id nomen in numero ſingulari vſurpat. Ita enim in dialogo qui inſcribitur Phædrus, ſiue de pulchro: καὶ ἐὰν δὴ λέγωμεν Σίβυλλαν τε καὶ ἄλλους, ὅσοι μαντικῇ χρώμενοι ἐνθέῳ, πολλὰ δὴ πολλοῖς προὔλεγον εἰς τὸ μέλλον ὀρθῶς. id eſt: *Et ſi dicamus Sibyllam & alios, quotquot diuino afflatu vſi multa multis in futurum recte prædixerunt.*

runt. Idem in Theage: ἔιποις ἂν ἦν μοι, τίνα ἐπωνυμίαν ἔχει Βάκις τε, καὶ Σίβυλλα, καὶ ὁ ἡμεδαπὸς Ἀμφίλυτος. id eſt: *Potes mihi dicere, quo nomine appellentur Bacis, Sibylla, & ciuis noſter Amphilytus?* Tres profectò ibi vates ſingulares nominat: duos viros, Bacidem & Amphilytum; feminam vnam, quæ Sibylla dicitur.

Sed neque Heraclitus aliter Sibyllæ, quam vt vnius ſingularis feminæ, mentionem facit. Quod ex loco Plutarchi in lib. de Pythiæ oraculis patet. Σίβυλλα δὲ μαινομένη στόματι καθ' Ἡράκλειτον, ἀγέλαστα καὶ ἀμύριστα φθεγγομένη, χιλίων ἐτῶν ἐξικνεῖται τῇ φωνῇ διὰ τὸν θεόν. id eſt: *Sibylla autem inſano ore, iuxta Heraclitum, tetrica & horrida nullisque delibuta vnguentis ſonans, voce attingit vsque ad mille annos propter Deum.* Eodem ſpectant eiusdem Plutarchi verba de propriorum nominum mutatione: τὴν γοῦν Ἀλεξάνδρου μητέρα Πολυξέναν, εἶτα Μυρτάλην, Ὀλυμπιάδα τε καὶ Στρατονίκην κληθῆναι λέγουσι. τὴν δὲ Κορινθίαν Εὐμῆτιν ἄχρι νῦν Κλεοβούλην πατρόθεν οἱ πλεῖστοι καλοῦσιν. Ἡροφίλην δὲ τὴν Ἐρυθραίαν μαντικὴν γενομένην Σίβυλλαν προσαγορεύουσαν. id eſt: *Aiunt, matrem Alexandri Magni, cum prius vocaretur Polyxena, poſtea Myrtalem, & Olympiadem, & Stratonicen dici cœpiſſe: Eumetin autem Corinthiam plerique omnes ad hoc vsque tempus Cleobulen patris nomine appellant. Sed & Herophilen illam, Erythris oriundam, cum eſſet vates, Sibyllam nuncuparunt.* Non eſſe igitur Sibyllam nomen appellatiuum omnibus feminis

minis vatibus commune, ſed proprium vnius, ex his Plutarchi verbis diſcimus. Idem Plutarchus in eodem libro eos refellens, qui negabant amplius Delphis ſupereſſe vim illam fatidicam, quod Pythia non vt olim ſolebat verſibus, ſed proſa & pedeſtri oratione reſponſa daret, hoc modo diſputat: τὶ δὲ ἀπολείπει τοῦ λέγοντος ἐρωτικὴν μόνην γεγονέναι Σαπφὼ γυναικῶν, μαντικὴν μόνην γεγονέναι Σίβυλλαν, καὶ Ἀριστονίκην, καὶ ὅσαι διὰ μέτρων ἐθεμίστευσαν. id eſt: *Quid refert, aliquis vnam e feminis Sappho amatoriam fuiſſe dicat, an ſolam pertendat Sibyllam apto ad vaticinandum ingenio præditam fuiſſe, an Ariſtonicen, & alias quotquot verſibus vaticinatæ ſunt?* Vbi velim obſeruent ſtudioſi, quam aperte Plutarchus Sibyllam ab Ariſtonice vate alia diſtinguat. Quod non faceret, ſi Sibyllam nomen eſſe omnibus fatidicis mulieribus commune putaſſet. His adde alium eiusdem locum ex libello qui inſcribitur γυναικῶν ἀρεταί, quo oſtendit eandem eſſe rationem virtutum in viris & feminis: τί δὲ ἐὰν ποιητικὴν πάλιν ἢ μιμητικὴν ἀποφαίνοντες, οὐχ' ἑτέραν μὲν ἀνδρῶν, ἑτέραν δὲ γυναικῶν οὖσαν, ἀλλὰ τὰ Σαπφοῦς μέλη τοῖς Ἀνακρέοντος, ἢ τὰ Σιβύλλης λόγια τοῖς Βάκιδος ἀντιπαραβάλλοιμεν, ἕξει τις αἰτιάσασθαι δικαίως τὴν ἀπόδειξιν. id eſt: *Quid ſi poeticam rurſus facultatem, aut quæ penicillo imitatur, non eſſe aliam in feminis, ab ea quæ in viris, dicamus; tum porro Sapphus cantica cum Anacreonticis contendamus; jure quiſquam id ge-*

nus demonstrationis reprehendat. Nempe hic, vt Sappho, in iis quæ ad lyricam poesim attinent, Anacreonti melico poetæ comparatur, vna scilicet mulier particularis cum vno viro item particulari; sic etiam Sibylla cum Bacide, vt vates vna particularis cum altero singulari vate componitur.

Idem ex verbis Dionis Chrysostomi in oratione 13. colligi potest: *ταῦτα δὲ ταῦτα καὶ Σίβυλλαν εὑρήσετε μαντευομένην ὑμῖν καὶ Βάκιν. εἴπερ ἀγαθὼ χρησμολόγω καὶ μάντιε ἐγενέσθην.* id est: ***Hæc ipsa & Sibyllam inuenietis & Bacidem vobis diuinasse, qui quidem ambo fatidici & vates boni fuerunt.*** Ecce in duali numero Sibyllam & Bacidem, vt duo humanæ naturæ indiuidua, componit.

His accedat Aristidis locus in Platonica prima, in quo etiam de Sibylla & Bacide fit mentio, vt de duobus indiuiduis: *ὅσοι δ' αὖ καὶ καθάπαξ ὑποδύντες Θεῷ καὶ τέχνης οὐδὲ μικρὸν μετασχόντες οὐ μόνον τοῖς ἐφ' αὑτῶν, ἀλλὰ καὶ τοῖς ὕστερον πολλὰ δὴ καὶ θαυμάσια προεῖπον, οἷον εἰ βούλει, Βάκις, Σίβυλλα, ἕτεροι μετὰ τούτων.* id est: ***Quotquot rursus vel semel numine repleti, nec artis habentes quicquam, non suis tantum, sed & posteris, multa & miranda prædixerunt, vt Bacis, Sibylla, & cæteri.*** Nec modus futurus dicendi, si cuncta quæ apud Græcos loca in eandem sententiam occurrunt, exscribere studeam: tum frustra eum laborem suscipiam, cum ex iis quæ attuli, id quod dixi, abunde demonstratum videatur.

CA-

CAPVT III.

Ciceronis loca de Sibylla; item Varronis.

NEc vero Græci tantum hoc modo de Sibylla locuti ſunt, ſed & Romani eorum exemplo: vt videre eſt apud Ciceronem, quoties occaſio incidit, vt Sibyllæ mentionem faciat. Quod aliquot eius locis oſtendere placet. Ita ergo in primo de natura Deorum ſcribit: *Cumque omnis populi Romani religio in ſacra & in auſpicia diuiſa ſit, tertium adiunctum ſit, ſi quid prædictionis cauſa ex portentis & monſtris, Sibyllæ interpretes haruſpicesque monuerunt: harum ego religionum nullam vnquam contemnendam putaui.* In primo etiam de Diuinatione, vbi de iis agit, qui furore correpti vaticinantur, *vt*, inquit, *Bacis Boeotius, vt Epimenides Cres, vt Sibylla Erythræa.* Recte autem Erythræam nominat, quia vt infra oſtendam, aliam Græci non agnouerunt. Rurſus eodem libro: *nam terræ vis Pythiam incitabat, naturæ Sibyllam.* Neque vero eſt quod quiſquam argutetur, & ipſam Pythiam ſingulari numero ibi efferri a Cicerone, cum tamen non vnam, ſed multas fuiſſe conſtet: hæc diſparitas eſt, quod Pythia vna quidem ſemper munere eo fungebatur, ideo in ſingulari vſurpatur a Cicerone & aliis; quod non obſtat quin plures fuerint ſucceſſione, quia vna extincta, alia in eius locum ſubſtituebatur, inque eo munere ſuc-

ſuccedebat. Quod de Sibylla dici non poteſt, cui alias eiusdem nominis & facultatis ſucceſſiſſe non legimus. Idem in 2. de Diuinatione: *Sibyllæ*, inquit, *verſus obſeruamus, quos illa furens fudiſſe dicitur.* Infra etiam: *Sibyllam quidem ſepoſitam & conditam habeamus.* Et in epiſtola 7. ad Lentulum, vbi de Ptolemæo rege reducendo in regnum: *ſine multitudine reducatur, quemadmodum homines religioſi Sibyllæ placere dixerunt.* Denique nusquam Cicero de Sibylla, niſi vt de ſingulari femina. In quo non leuis, fateor, mihi exoritur ſcrupulus. Cum enim M. Varro, vt viſum eſt, decem fuiſſe Sibyllas ſcripſerit, mirum ſane videri poſſit, nihil de eo numero vnquam a Cicerone proditum fuiſſe: neque enim hunc Varronis latuiſſe de numero Sibyllarum ſententiam veriſimile eſt. Cur igitur huius non ſaltem meminit in libris de Diuinatione? ſi vellet meminiſſe, non alius opportunior erat locus. Quæ igitur ſilentii cauſa? negligentia? non credo. Quid igitur? oblitus huius mentionem facere? ne id quidem. Nihil video probabilius, quam non putaſſe hanc opinionem dignam cuius aliquam rationem haberet.

At Varro, vt fere omnes qui eruditionis & πολυμαθείας amore ducuntur, omnia quæ vſpiam legiſſet, ſiue vera ſiue falſa, ſtudioſe colligebat, vt multorum conditor voluminum diceretur. Quo ſane fiebat, vt vtilibus & ſcitu dignis quædam, vt Gellius de eo prodidit, congereret frigidiuſcula: vt quæ in Hebdomadibus de nu-

meri

meri ſeptenarii poteſtate commemorat. *Septem opera eſſe in orbe terrarum miranda, & ſapientes item veteres ſeptem eſſe: curricula ludorum Circenſium ſolennia eſſe ſeptem: ad oppugnandas Thebas duces ſeptem electos: ſe quoque duodecimam annorum hebdomadam ingreſſum eſſe: & ad eum diem ſeptuaginta hebdomadas librorum conſcripſiſſe.* Hæc & alia id genus friuola Varro, ne quid, quod in literis eſſet, intactum relinqueret.

Cæterum abſit hæc vanitas a nobis, vt putemus tantum virum, in iis omnibus quæ ab aliis prodita excerperet, voluiſſe obſtringere fidem ſuam. Quin neque hunc plus vna Sibylla agnouiſſe, coniectare licet ex verbis eius in Præfatione librorum de Re Ruſtica: *Neque patiar*, inquit, *Sibyllam non ſolum ceciniſſe quæ, dum viueret, prodeſſent hominibus, ſed etiam quæ cum periiſſet ipſa, & id etiam ignotiſſimis quoque hominibus. Ad cuius libros tot annis poſt publice ſolemus redire, cum deſideramus quid faciendum ſit nobis ex aliquo portento: me, ne dum viuo quidem, neceſſariis meis quod proſit, facere.*

CAPVT IV.

Non plures fuiſſe Sibyllas inſuper aliorum teſtimoniis probatur.

IAm vidimus, vt Plutarchus Sibyllam ab aliis fatidicis mulieribus diſtinguat; id vero nunc aliorum teſtimoniis confirmare libet. Quo autem

tem certiore quam doctiſſimi Plinii lib. 7. cap. 33. quod *de diuinatione* inſcriptum eſt? *Diuinitas, inquit, & quædam cælitum ſocietas nobiliſſima ex feminis in Sibylla fuit, ex viris in Melampode apud Græcos, apud Romanos in Marcio.* Vbi quos diuiniſſimos hominum habuerit vetuſtas, refert; nempe in eo albo fuiſſe Melampodem apud Græcos, Marcium apud Romanos: at Sibyllam ex feminis nobiliſſima cælitum, hoc eſt, Deorum ſocietate venerabilem & auguſtam fuiſſe cenſet: diuiniſſimam inquam inter feminas, nedum huic alias pares fuiſſe arbitretur. Quod cum Sibyllæ proprium facit, ſine dubio hanc vnam & ſingularem eius nominis fuiſſe declarat.

Id cum adeo manifeſtum ſit Plinii de vna vate Sibylla eaque diuiniſſima teſtimonium, ſatis mirari non poſſum, quoſdam extitiſſe, eoſque non indoctos, qui plures ex Plinio Sibyllas profiterentur. In his eſt Onuphrius in libro quem de Sibyllis compoſuit; vbi Plinio falſam hanc opinionem affingit his verbis: *Plinius lib. 34. cap. 5. auctor eſt, Romæ in foro iuxta roſtra trium Sibyllarum fuiſſe ſtatuas cæteris minores: ex his vnam Pacuuius &c.* Quem errorem & Ludouicus Viues ſequitur, ei adſtipulatus inconſulto Plinio, quod miror: adeo bona fide exſcripſit Onuphrii locum, ad caput 23. lib. 18. de civit. Dei: *Plinius eſt auctor, Romæ trium Sibyllarum fuiſſe ſtatuas iuxta roſtra, vnam quam Pacuuius Taurus ædilis plebis inſtituit, duas quas Marcus Meſſala.* Has cenſet eſſe, Cumanam, Delphicam,

cam, & Erythræam Heriphilen, Solino memoratas cap. 8. Ambo hallucinati. Quod vt pateat, locum Plinii adſcribam: *Equidem & Sibyllæ* (ſupple *ſtatuas*, nam de his loquitur) *iuxta roſtra eſſe non miror, tres ſint licet: vna quam Sextus Pacuuius Taurus ædilis plebis reſtituit: duæ quas Marcus Meſſala.* Hæc igitur cum Onuphrius legeret, trium Sibyllarum ſtatuas putauit induci, cum Plinius vnius eiuſdemque Sibyllæ tres intelligat ſtatuas non eodem tempore poſitas: dum quidem vni æuo corruptæ alteram ſubſtituit ædilis Pacuuius, huic poſtea duas Meſſala, non eodem tempore. Neque enim abſurdum, aliquo caſu vna priore conſumpta, alteram non multo poſt ab eodem magiſtratu denuo ſubſtitui. Immo vero eiuſdem Sibyllæ tres ſtatuas in roſtris fuiſſe poſitas quid vetat, velut in eodem templo apud nos plures eiuſdem Sancti effigies videre eſt? Quin Demetrio Phalereo trecentas & ſexaginta ſtatuas Athenis eodem tempore poſitas fuiſſe, idem Plinius ibidem refert, & ex Græcorum etiam monumentis nemini non erudito compertum. Quod autem tria hæc ſimulacra non fuerint trium diuerſarum Sibyllarum, ſatis ipſe Plinius declarat his verbis, quibus nihil clarius: *Equidem & Sibyllæ* (ſtatuas) *iuxta roſtra eſſe non miror, tres ſint licet.* Primum enim Sibyllæ ait ſtatuas, non Sibyllarum: deinde ſe non mirari, licet tres ſint ſtatuæ; quod non erat opus admonere, ſi totidem has effigies Sibyllarum, non autem vnius eiuſdem putaſſet. Nempe idem,

idem, quod modo dixi, intellexit, eiusdem viri aut mulieris plures eodem tempore imagines siue ſtatuas poſſe conſtitui.

CAPVT V.

Quod Sibyllæ nomen non, vt vulgo creditur, appellatiuum ſit, pluribus probatur contra Grammaticos.

CÆterum quia multas fuiſſe feminas vates in confeſſo eſt, nomenque iſtud *Sibyllæ* Grammatici appellatiuum eſſe docent, ideoque commune omnibus diuinandi peritis, ad earum vim & facultatem indicandam: qua id fiducia affirment, audire, & quæ afferunt accuratius conſiderare operæ pretium cenſeo; eoque impenſius, quod plures citant teſtes, in quibus & Varronem teſte Lactantio citato loco. *M. Varro*, inquit, *quo nemo vnquam doctior, ne apud Græcos quidem, nedum apud Latinos vixit, in libris rerum diuinarum, quos ad C. Cæſarem Pontificem maximum ſcripſit: cum de quindecim viris loqueretur, Sibyllinos libros ait non fuiſſe vnius Sibyllæ, ſed appellari vno nomine Sibyllinos, quod omnes feminæ vates Sibyllæ ſint a veteribus nuncupatæ.* Varroni adſtipulatur Seruius ad tertium Æneidos: *Sibylla*, inquit, *appellatiuum nomen eſt, adeo vt Varro, quot Sibyllæ fuerint, ſcripſerit. Sibylla autem dicitur omnis puella cuius pectus numen recipit.* Ad-

Adſtipulatur & Heſychius Illuſtrius: Σίβυλλα Ῥωμαϊκὴ λέξις ἐστὶν, ἑρμηνευομένη Προφῆτις· ὅθεν αἱ θήλειαι μάντιες ἑνὶ ὀνόματι Σίβυλλαι ὠνομάζοντο. id eſt: *Sibylla dictio eſt Romana, fatidicam mulierem ſignificans: vnde vates feminæ vno nomine Sibyllæ vocabantur.* Quod latinam eſſe dictionem cenſet *Sibyllam*, infra perpendemus vbi de etymo.

Eadem habet Iſidorus in libris Originum, item Antimachus in libro de oraculis Sibyllarum. Quæ conſiderans Lilius Gyraldus, ac tanto Grammaticorum conſenſu perſuaſus, Sibyllam nomen eſſe facultatis atque officii; conſequens putauit, multo plures quam decem fuiſſe Sibyllas: totidem ſcilicet, quot ſeculis omnibus feminæ futura prænuntiaſſe inueniuntur. Ita enim in 2 dialogo de Poetarum hiſtoria loquitur: *Nolim vos tamen decem tantum Sibyllas nuncupatas exiſtimare, vt ſcriptorum fere magna pars ad hanc diem credidit: nam quæcumque diuino afflarentur numine & futura prædicerent, hæ Sibyllæ græca voce dictæ fuere. Nam & Phemonoen & Caſſandram Sibyllas vocatas inuenimus.* Non male ille quidem, ſi Sibylla nomen appellatiuum eſt, commune omnibus feminis vatibus: & ſi, quæcumque aliquid de futuris prædiceret, Sibylla olim nuncupata. Verum hæc quam ſit falſa opinio, nunc certe faciam vt omnes intelligant.

Quod igitur & Phemonoen & Caſſandram eo nomine appellatas ſe inueniſſe autumat, quære-

 rem

rem ab illo libenter, si viueret, apud quos auctores id scriptum inuenerit: si indoctos, nihil moror; si eruditos & prisci æui, horum & nomen & locum indicaret. Quod cum non facit, & fieri non posse certo scio, superest vt hunc mentitum dicamus. Damus autem testes contra eum omni exceptione majores. Audiamus Pausaniam in Phocicis: Φαεννὶς δὲ θυγάτηρ βασιλεύσαντος ἀνδρὸς ἐν Χάοσι, καὶ αἱ Πέλειαι παρὰ Δωδωναίοις ἐμαντεύσαντο μὲν ἐκ Θεοῦ καὶ αὗται· Σίβυλλαι δὲ ὑπὸ ἀνθρώπων οὐκ ἐκλήθησαν. id est: *Phaennis vero, hominis in Chaonibus regnantis filia, & Peleæ apud Dodonæos, diuinarunt quidem ipsæ, non tamen Sibyllæ ab hominibus nominatæ fuerunt.*

Idem ex Hygini veteris Grammatici libro Fabulosæ historiæ intelligi potest: vbi de antiquis vatibus vtriusque sexus singulari capite tradit hunc in modum: *Amycus Elati filius, Mopsus Amyci filius, Amphiaraus Oeclei vel Apollinis filius, Manto Tiresiæ filia, Polyidus Cærani filius, Helenus Priami filius, Cassandra Priami filia, Calchas Thestoris filius, Theoclymenus Polyphidei filius, Theonoë Protei filia, Telemus Eurymi filius, Sibylla Samia, alii Cumæam dixerunt.* Ibi cum vates feminas complures enumeret, non tamen harum vllam Sibyllæ nomine appellat, præter vnam, quam expresse Sibyllam vocat, & ab aliis distinguit. Jam vero quot alias memorare possum diuinandi peritia celebres feminas, quæ nunquam Sibyllæ fuerunt vocatæ? Non enim

Cassan-

Caſſandram eo nomine appellauit Hyginus, vt vidimus; non Maro, non alii ſcriptores, quicquid Gyraldus contra obſtrepat; non idem Maro Carmentam Euandri matrem,

cecinit quæ prima futuros
Æneadas magnos, & nobile Pallanteum.

Huic antiquum nomen fuiſſe Nicoſtratæ ferunt; poſt Carmentam dictam a furore, quaſi mente carentem, ſi Plutarchum audimus, qui nominis hujus hanc originem tradit in Quæſtionibus Romanis. vnde etiam *carmina* cenſet dicta, quod inſanæ illæ mulieres ſua reſponſa verſibus modulari ſolerent.

De Phemonoe nulla mihi objicitur dubitatio, quin vates ſimpliciter habita & dicta fuerit, nunquam Sibylla. Et ſemper credam, donec mihi proferatur locus antiqui alicuius auctoris, qui hanc nomine Sibyllæ appellet. Certe Plinius lib. 10. cap. 3. hanc teſtem citans, Apollinis quidem filiam vocat, non tamen Sibyllam: *Phemonoe dicta Apollinis filia dentes ei eſſe prodidit.* De tertia aquilarum ſpecie ibi tradit, quod genus Græci μορφνὸν, Homerus περκνὸν vocat. cui dentes ineſſe præter aliarum auium naturam, Phemonoes iſtius auctoritate confirmat.

Sic & Plato in Sympoſio Diotimæ fatidicæ mulieris ſermonem recitans, habitum cum Socrate de natura amoris, hanc γυναῖκα μαντικὴν ſimpliciter vocat; ita enim lego, non μαντινικὴν, vt quibuſdam placet. Sed neque Arrianus Syram illam vatem e comitatu Alexandri Ma-

gni: aut Eunapius Sosipatram Dæmonum alumnam, & semper numine, vt vocat, afflatam: aut Hyginus Manto Tiresiæ vatis filiam, vel Theonoen, aut alias supra memoratas, Sibyllæ appellatione comprehendunt. Omnium maximum argumentum, quod Plutarchus, qui tam multa de Pythia Apollinis sacerdote & vate celeberrima prodidit duobus libris de ea editis, nunquam aut in his aut alibi vspiam hanc Sibyllam appellat, sed Pythiam semper. Quod & Herodotus & Xenophon & alii scriptores antiqui obseruant. Multa alia in eandem sententiam possem adjungere; sed vereor in re doctis omnibus comperta diutius lectores morari.

CAPVT VI.

Nomen hoc Sibylla *quid significet; variæ de eius etymo eruditorum opiniones.*

SEd rursus pugnant argumento ab origine ipsius nominis ducto, quod id nomen significet vaticinandi peritiam. Ita namque Hesychius Illustrius loco supra allato: Σίβυλλα Ρωμαϊκὴ λέξις ἐστὶν, ἑρμηνευομένη προφῆτις, ὅθεν αἱ θήλειαι μάντιες ἑνὶ ὀνόματι Σίβυλλαι ὠνομάζοντο. In quam sententiam omnes prope pedibus vadunt. Verum vt hoc iis largiamur, non tamen quicquam efficiunt. Neque enim sequitur, non fuisse id nomen proprium vnius singularis

aris puellæ fatidicæ, quia vatem ſignificat. Quot nomina proferre poſſum propria, quæ tamen, ſi ipſam ſignificationem ſpectes, multis communia eſſe poſſunt, haud ſecus ac quæ appellatiua dicuntur. Innumera exempla hujus habeo: vnum ſufficiet, nomen iſtud ἄνθρωπος; quod cum ſignificet hominem, omnibusque hominibus conueniat, tamen proprium fuit cujusdam athletæ, vt in Græcorum Ariſtotelis interpretum commentariis me obſeruare memini.

Patet igitur, nihil valere argumentum ductum ab etymo: de quo tamen obiter data occaſione aliquid dicendum eſt. Sunt autem doctorum de huius vocabuli origine opiniones tam diuerſæ, vt vix animus vbi conſiſtat habeat. Maxime communis & recepta etymologia eſt: σιὸς, hoc eſt, θεὸς Æolum lingua, *Deus*; & βουλὴ, *conſilium*: vates enim Dei conſiliorum particeps & gnarus efficitur, cum numine afflatur. Non tamen abſurdi, qui iſtius nominis originem deducunt a *ſibo*, quo nomine veteres Latinos callidum & acutum deſignaſſe, auctor eſt Feſtus in Lexico. Verum Salmaſius a Græco σίβη mauult deducere. Sane ſi latinum id nomen eſſet, non produceretur penultima eius ſyllaba in *Sibyllinus* apud bonos auctores; ſed corriperetur, vt in his deriuatis, ἀνθρώπινος, λίθινος, ξύλινος.

Quid ſi non a σιὸς, neque a σίβη, neque latino *ſibus*, id nomen formatum, ſed a verbo σίνω, quod eſt *lædere*, & βουλὴ: παρὰ τὸ σίνεσθαι

τὴν βȣλὴν, a mentis & conſilii oblæſione, quam vates furore correpti patiuntur? Huius compoſitionis exempla in his nominibus, σιώπη, & σίφλος, *ſilentium*, *cæcus*, animaduertere licet: quorum prius fictum cenſetur παρὰ τὸ σίνειν τὴν ὄπα, ad ſignificandam vocis priuationem: nihil enim aliud ſilentium eſſe videtur, quam vocis quædam priuatio; ſi vocis priuatio dici poteſt interruptio eius & ceſſatio voluntaria: poſterius autem idem quod ὁ σεσινωμένος τȣ̀ς ὀφθαλμȣ̀ς *qui oblæſa eſt oculorum acie.* Nihil igitur obſtat, quo minus hanc nominis Sibyllæ originem amplectamur, cum aliis memoratis probabilitate haudquaquam concedat. Nam quod quidam Sibyllam volunt nominatam a verbo Ebræo *ſabal*, quod eſt *portare*, nimis remotum videtur: quia vates Deum in pectore portant, & animæ ſuæ incolam circumferunt, juxta illud Horatii:

Non Dindymene, non adytis quatit
Mentes ſacerdotum incola Pythius;

vnde & nomen Pythoniſſa in ſacris literis, & in Græcorum monumentis Ευρυκλεῖς, & ἐγγαστρίμυθοι ab incolatu dæmonis; & Sibyllarum antiquiſſima *Sambethe* dicta, ab eodem verbo *ſabal.* Ita Thyſius Miſcellanearum exercitationum cap. 13. Hoc, inquam, nimis remotum; cui tamen hæc magis arridebit coniectura, hanc ſequatur per me licet.

Sane ſi eſt, vbi ingenio ludum dare liceat, maxime in inueſtigandis nominum originibus

id cuiuis permissum arbitror. Quod studii genus licet sola conjectura nititur, vixque certi aliquid habet; nescio quomodo tamen doctissimum quemque & ingeniosissimum mirifice oblectat: adeo, vt ne grauissimi quidem Philosophorum sibi temperare potuerint, quin eo ludi genere inter altissimas philosophiæ disputationes animo suo indulgerent. Sic Plato in Cratylo, siue recta nominum ratione, multarum origines dictionum persequitur; sed ea licentia, vt tota illa tractatio ludicræ potius exercitationis ad solam animi voluptatem comparatæ, quam seriæ occupationis speciem præbeat: adeo quæ ibi affert leuia & friuola acutius excutienti deprehenduntur. Neque in hoc genere grauior aut solertior videtur Aristoteles; vel etiam Plotinus, cæterique sapientiæ antistites; qui modo aliquid, quod ad propositum alludat, dicant, parum id, verum an falsum sit, curant. Sed de Sibyllæ etymo hactenus.

Patet autem ex his, non posse idoneum vllum contra nos argumentum trahi ex nomine Sibyllæ. Quod autem hoc nomen, vt dixi, proprium sit feminæ alicuius vaticinio supra alias omnes eminentis, aliud argumentum addere placet ex Cedreni Annalibus; tametsi multis quauis etymologia futilius visum iri non dubito, sed tamen animi gratia subiungam. Is de Saba Æthiopum regina, ea cuius fit mentio in libris Regnorum, verba faciens, & nominis affinitate, vt arbitror, & sapientia ipsius feminæ inductus,

ctus, vtpote quæ Salomonis visendi atq; interrogandi causa in Judæam proficisci non dubitauerit, hanc ipsammet Græcorum Sibyllam fuisse censet. καὶ βασίλισσα Σαβᾶ, ἥτις ἐλέγετο Σίβυλλα παρ' Ἕλλησι.

CAPVT VII.

Loca quædam difficilia explicantur.

Cæterum non est satis, luculentis veterum scriptorum testimoniis probasse, vnam tantum fuisse Sibyllam, nisi etiam loca quædam non minus grauium auctorum, quæ prima facie nobis aduersari videntur, explicamus; ne quis iis deceptus, a recto veritatis tramite, quem ostendimus, aliorsum transuersus rapiatur. In his est ille Aristotelis in problemate primo sectionis trigesimæ naturalium quæstionum: quo loco de bilis atræ natura & viribus disputans, huic vatum furorem adscribit, & in exemplum adducit Sibyllas & Bacides; ita enim eos vates in plurali nominat: πολλοὶ δὲ διὰ τὸ ἐγγὺς εἶναι τοῦ νοεροῦ τόπου τὴν θερμότητα ταύτην, νοσήμασιν ἁλίσκονται μανικοῖς, ἢ ἐνθουσιαστικοῖς, ὅθεν Σίβυλλαι καὶ Βάκιδες. id est: *Multi etiam propterea quod ille calor sedi mentis in vicino est, morbis vesaniæ implicantur, aut instinctu lymphatico inferuescunt, ex quo Sibyllæ efficiuntur & Bacchæ.* Ita Theodorus Gaza, & recte, vertit; nisi quod in voce vltima

lapsus est, *Bacchæ* vertens pro *Bacides*, quod vatum quorundam est nomen: vt pridem ab aliis est animaduersum. Hic ergo videtur Aristoteles non obscure agnoscere multas Sibyllas.

Sed & Plutarchus in libro de Pythiæ oraculis, in quo quærit: quamobrem desierit Pythia versibus responsa dare? pariter S byllas in numero plurali nominat: Σίβυλλαι δὲ ἆυται καὶ Βάκιδες, ὥσπερ ἐις πόντον ἀτεκμάρτως τὸν χρόνον κατέβαλον καὶ διέσπειραν, ὡς ἔτυχε παντοδαπῶν ὀνόματα καὶ ῥήματα παθῶν καὶ συμπτωμάτων. id est: *Sibyllæ vero ipsæ & Bacides in tempus, tanquam in vastum & profundum mare, proiecerunt ac disseminarunt, nulla coniectatione atque vt fors tulit, omnifaria nomina & verba cladium atque euentuum.* Tum ibidem de quodam saxo, in quo Sibyllam consedisse aiebant, & adhuc Delphis visebatur, loquens: ἐφ' ἧς, inquit, λέγεται καθίζεσθαι τὴν πρώτην Σίβυλλαν: Neque enim *primam* Sibyllam videtur dicturus fuisse, nisi alias fuisse agnosceret.

Hæc, fateor, aliquid negotii primo aspectu legentibus facere possint, non tamen iis qui superiorem nostram viderint disputationem, modo paulum salis critici habeant. Quod enim ad Aristotelis locum attinet, non immerito aliquis suspicetur mendose scriptum Σίβυλλαι pro Σίβυλλα. Quid enim facilius quam vnum iota addere? Ac ne quis a me hoc gratis dici putet, huic suspicioni occasionem dat antiqua versio latina horum problematum, quam Aponensis, vulgo

Conciliator dictus, qui cum Aristotelis librum commentariis auxit, sequebatur; quæ sic habet: *Multi autem & propter hoc quod hæc caliditas est prope intellectiuum locum, ægritudinibus consumuntur maniacis aut diuinatiuis: vnde Sibylla & Bacides.* Nota etiam eiusmodi extat ad marginem: *Nota de Sibylla & aliis diuinis.* Sed & ipse Aponensis in commentario congruenter ei versioni sic memorata verba explanat: *Et plurimi, eo quod caliditas colera nigræ est prope locum, in quo viget operatio intellectus diuina, puta circa virtutes phantasticas, cadunt in ægritudines maniacas: ita quod efficiuntur amentes, diuinantes, & Pythonici: & inducit quosdam qui fuerunt tales diuini prope, quod Sibylla in prophetia famosa, & Bacides.* Hæc eo fidentius affero, quod plerumque accidit, vt ex impolitis versionibus & semibarbaris, modo antiquis, corrupta bonorum auctorum loca emendentur. Si cui tamen non satis iusta hæc causa vel vnum iota mutandi in textu Aristotelis videatur; fortasse istud satisfaciet, si nimirum, quod alias interdum fieri obseruatur, hic factum dicamus, vt Aristoteles *Sibyllas* dixerit pro *Sibylla*, per eam quam Grammatici vocant numerorum enallagen. Qua & philosophos aliquando vti, ostendunt hæc Platonis in Symposio· καὶ ὁρῶν ἂν, Φαίδρους, Ἀγάθωνας, Ἐρυξιμάχους, Παυσανίας. cui similia occurrunt passim apud eundem exempla, sed & apud latinos auctores; Juuenalis:

Qui Curios simulant & Bacchanalia viuunt.

Ita

Ita & Arnobius lib. 1. *Quamuis Epicados omnes, Cæsellios, Verrios, Scauros teneatis & Nisos.* quæ nomina sunt propria veterum Grammaticorum in numero multitudinis per eam figuram vsurpata. Sexcenta apud auctores in hunc modum. Neque vero mihi id primum super hoc Aristotelis loco in mentem venit, sed & Petro Victorio multo ante; qui verba illa ὅθεν Σίβυλλαι καὶ Βάκιδες sic in numero multitudinis posita exponit, vt figura nota vsum Aristotelem non dubitet, libro 26. Variarum Lectionum c. 16. De qua eius loci interpretatione videndus Muretus lib. 13. Var. Lect. cap. 15. cui tamen hic, quod ad Bacidem attinet, negat esse locum: propterea quod ipse tres Bacidas fuisse, quorundam testimonio certum autumat, cum Victorius vnum vatem extitisse eius nominis putaret. De quo quid probabilius mihi videatur, alias in dissertatione de Bacide dicetur.

Quod autem Plutarchus loco supra allato primam ait Sibyllam quodam in saxo Delphis consedisse, neque hoc probat plures fuisse Sibyllas; neque necesse est, quia primam nominat, alias post illam primam in eadem petra sedisse, ibique oracula fudisse: sicut non sequitur, quia Hector apud Homerum dicit,

Πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην ἀναθήσει.

Primus Polydamas mihi exprobrabit;

multos fuisse Polydamantas in Trojanorum exercitu, qui auderent Hectori exprobrare, si id de quo ibi agitur fecisset: aut plures Trojanos prin-

ci-

cipes Æneæ nomine in Italiam venisse, quia Maro Æneam primum e Trojæ finibus eo peruenisse primis magni operis versibus testatur:

Arma virumque cano, Trojæ qui primus ob oris
Italiam fato profugus Lauinaque venit
Litora.

Nihil enim aliud ex his locis sequitur, nisi alios fuisse Troja profugos, qui in Italiam post Æneam descenderunt; alios in Trojanorum exercitu, qui Hectori si quid parum honestum fecisset, Polydamantis exemplo exprobrarent. Neque igitur aliud ex iis Plutarchi verbis efficitur, nisi ideo primam dici Sibyllam in eo saxo sedisse, quia alias postea contigit in eodem loco consistere; non quidem Sibyllas, sed fatidicas post Sibyllam. Adde his locum Platonis in Hippia maiore statim initio; vbi Hippias sophista illustris sic loquens inducitur: ἡ γὰρ Ηλις, ὅταν τι δέηται διαπράξασθαι πρός τινα τῶν πόλεων, ἀεὶ ἐπὶ πρῶτον ἐμὲ ἔρχεται τῶν πολιτῶν. id est, *Elis namque ciuitas, vbicumque aliquid cum quapiam aliarum ciuitatum tractandum est, ad me primum ex ciuibus veniunt.* An igitur quisquam ex his verbis inferat, plures fuisse Elide eius nominis sophistas? & non potius, Hippiam istum fuisse, ad quem ex omni ciuium multitudine, vbi quid maioris momenti in republica agendum esset, ciuitas se conferret. Nihil proinde aliud, inquam, Plutarchus iis verbis vult, nisi primam ibi fuisse Sibyllam omnium quæ eo postea accesserunt fatidicarum; quod plane efficietur, si moto articulo, non τὴν πρώ-

την, vt mendose scriptum est, sed πρώτην τὴν Σίβυλλαν legamus. Sic Plutarchum & veritati amicum, & sibi ipsi concordem faciemus.

Hactenus quid de Sibyllarum numero dicendum putem, exposui: nempe hanc vnicam tantum fuisse. In qua opinione constituenda si Græcorum nonnullis elaboratum est, vt Viues ad cap. 23. libri 18. de ciuitate Dei autumat: non equidem minus ea causa meam hanc putem doctrinam, immo, eo potiori iure meam, quod huic lucis non parum mea opera confido allatum & roboris ad fidem in animis hominum non præoccupati iudicii obtinendam.

CAPVT IIX.

De Sibyllæ ad vaticinandum facultate, & aliis ad eam rem pertinentibus; ac primum, an aliqua animæ humanæ insit vis prænoscendi futura?

HAc perfunctus disputatione, ad alia quæ in hac Sibyllæ rerum consideratione se offerunt tractanda deinceps me confero; quando non obiter tantum de hac vate, & ob aliud, nempe ob ea oracula quæ eius nomine feruntur, disputare institui, sed ipsius causa, vt quæ de ipsa in veterum monimentis scitu digna extant perscripta, in lucem proferantur. In his igitur prima occurrit indoles siue facultas præsagiendi futura,

tura, quam illi eximiam fuisse in confesso est. Hanc vero facultatem licet ab exteriore principio & altiore, quam humana ferat natura, pendere haud dubium sit, non tamen hoc perinde exploratum est, nullam in huius anima aut corpore vim & proprietatem fuisse a natura inditam, qua magis idonea illi societati, quam cum cœlitibus habuisse dicitur, capaxque diuini afflatus fieret. Quod idem de aliis quoque vatibus, qui eadem prædicendi facultate celebres fuerunt, quæri potest.

Parecbasis

De vaticinandi potestate; an sit homini innata, & de eius causis.

QUinetiam non defuerunt, qui hoc in controuersiam vocarent, num scilicet inter animæ humanæ facultates & nonnulla, qua futura præsentire possit, sicut qua præterita, puta quæ memoria vocatur. Quo sane argumento Ammonius apud Plutarchum in libro de oraculis defitis disputat, non esse alienum a natura animæ humanæ id munus diuinandi, hancque potestatem qua futura præsentiat. Nam quod anima nostra quorumdam naturaliter recordatur, hinc patet, posse hanc ea quæ amplius non existunt, sed fuerunt, cognoscere: cur igitur non etiam ea quæ nondum sunt, sed futura sunt, & quod

discri-

discrimen in iis fingi poteſt quæ pariter non ſunt in natura? Hæc ibi dubitatio eſt Ammonii, vel potius Plutarchi, quam non ſatis penetrat, contentus locum indicare & fontem aperire diſputationis. Quid igitur obſtat, quo minus paulum nos oblata occaſione in eo campo exerceamus?

Fortaſſe aliquis ad propoſitam dubitationem, quæ ex memoriæ cum vaticinio comparatione ducitur, hoc eſſe dicet diſcrimen eorum quæ memoria repetimus, ab iis quæ vates prædicunt; quod illorum ſpecies in memoria repoſitæ manent, ex quibus tanquam picturis, quæ olim fuerunt, ab iis qui ea viderunt, audierunt, aut quo alio ſenſu perceperunt, vel etiam geſſerunt, denuo cognoſci poſſint; horum autem quæ futura ſunt nullæ in animo relinquantur ſpecies. Ego vero oſtendo hoc diſcrimen eſſe nullum: quoniam eædem ſpecies perinde nobis ad præterita, præſentia, & futura perſpicienda inſeruire poſſunt. Quod primum de præſentibus & præteritis probo. Illa ipſa quæ nunc ſunt præterita, quorum recordamur, olim fuerunt præſentia, cum ſcilicet primum fierent, & ſenſu obſeruarentur: ergo & quæ nunc ſpecies ſunt præteritorum, & memoriæ inſeruiunt, olim præſentium fuerunt, cum ſcilicet illa, quorum nunc meminimus, fierent, & ſpeciem ſuam ſenſibus noſtris imprimerent. Quod autem & eadem ſit ratio ſpecierum per quas futura proſpiciuntur, non minus liquido declarari poteſt;

ſi

ſi quod experientia notum eſt, cogitemus, nihil tam nouum, tam inuſitatum in tempore futuro accidere poſſe, cuius non ſpecies ac ſigna in animo noſtro pridem per ſenſum accepta inhæreant. Exemplo id oſtendo: Nam cum Propheta Iſaias Judæis vaticinans de Chriſti aduentu, id oraculum pronunciaret: *ecce virgo concipiet & pariet filium* &c. quid quæſo, ſi rem ipſam in ſe contemplamur, magis nouum aut incredibile dici potuit? cuius tamen rei tam prodigioſæ, tam incredibilis ſententiæ, ſpecies omnes, ſiue, vt philoſophi loquuntur, phantaſmata in omnium, qui id oraculum audiebant aut legebant, animis fuiſſe repoſita, nemo non fateatur. quando conſtat, neminem fuiſſe Judæorum illorum, qui non omnes eius propoſitionis terminos, propriis ex ſpeciebus animo ſuo infixis, quam notiſſimos & euidentiſſimos haberet: puta, virginis, conceptus, partus, filii. quippe quorum nihil non manifeſtum, & in communi hominum cognitione poſitum. Eadem ratio eſt aliorum quæ futura prænuntiantur. Vix enim, vt dixi, fieri poteſt, vt aliquid poſteris ſeculis accidat ita inuſitatum, vt non per eas, quas nunc in animo ſpecies habemus, exprimi poſſit, ſi poſſit mens componere eas ſpecies, vt ex iis apta vnius de altero prædicatio atque enunciatio, futuro poſt euentui congruens, efficiatur. In quo ſane eſt difficultas & labor diuinandi futura.

At enimuero acrius contemplanti non minor

nor apparet in recolendo, quæ a multo tempore transacta sunt, & non sunt amplius, difficultas & labor. Quippe & horum solæ seorsim species in animo remanere videntur; compositio autem ipsarum, quæ tunc facta est, cum res præsentes essent & fierent, pridem cum sensu & cogitatione euanuit. Cum enim animi facultas ipsa hanc specierum compositionem efficiat, ipsaque nihil aliud sit quam animi contemplatio; necesse est, desinente talium rerum contemplatione, simul desinere & aboleri specierum compositionem, vtpote quæ in sola animi cogitatione consistat, & ab ea omnino dependeat. Par igitur esse videtur difficultas, reuocare eam, quæ in præterito tempore facta est, specierum compositionem; & nouam ex iis quæ sunt in animo phantasmatis excitare, quæ sit futuro rerum euentui congruens: si quidem solæ rerum non existentium species in animo vtrobique habentur.

Fortasse aliquis dicet, in phantasmate siue imagine rei præsentis, dum aliquid fit, aut auditur, aut spectatur, aut quopiam alio sensu vsurpatur, duplicem contrahi habitudinem ex ea cognitione: vnam, qua eius qui cognouit animam respicit; alteram, qua eam temporis differentiam, in qua id factum est. Quo fit, vt is qui alicui olim rei interfuit, per eandem rei transactæ speciem in animo relictam, & se eam vidisse, aut gessisse, ex ea, quæ ad ipsius facultatem illi inest, habitudine cognoscat; & in tali tempore, per aliam habitudi-

nem ad certam temporis differentiam. Sed hæc commentatio non tollit difficultatem; rurſus enim quærendum, vnde & qua ratione tales habitudines rationesque iisdem rerum phantaſmatis ingenerentur. Quæ igitur harum cauſa afferri poteſt? Non illa quæ tunc extitit cognitio rei per aliquem ſenſum, quippe hæc tunc rei erat præſentis: ſenſus enim tantum eſt præſentium. Quomodo igitur idem phantaſma ſiue ſpecies, quæ tunc cum res ſenſu vſurpabatur erat rei præſentis, poſtea efficitur imago rei abſentis & præteritæ? quid noui illi accidit, & quæ cauſa eius mutationis? Non enim ſenſus, qui eſt præſentium; non etiam intellectus, qui a temporis differentiis abſtrahit. An igitur ipſe temporis fluxus & ſucceſſio huius cauſa dicetur? At tempus nihil addit rebus, imo detrahit potius, vt Philoſophus lib. 4. Natural. Auſcultationis docet: *δῆλον οὖν, ὅτι φθορᾶς μᾶλλον ἔσαι καθ' αὑτὸν αἴτιος (χρόνος) ἢ γενέσεως, patet igitur, tempus ex ſe magis cladis & interitus in aliquo eſſe cauſam, quam generationis.* Cauſam mox ſubiungit: *ἐκστατικὸν γὰρ ἡ μεταβολὴ κατ' αὐτήν: eſt enim mutatio ſecundum ſe eius quod prius fuit amotio.* Quod autem de mutatione dicitur, idem & de tempore, quod ad hanc prædicationem attinet, dici poteſt: cum temporis natura in ipſa mutationum ſucceſſione ab animo numeranda ac computanda conſiſtat.

Reſtat igitur vt dicamus, animæ ipſi innatam

esse habitudinem, qua se ad rerum transactarum nonnullas conuertat, atque ita earum memoriam replicet; eo quod iis olim, dum fierent, sensu & cogitatione interfuerit. Quod si vero consentaneum fatemur; cur non pariter dicemus, aliquam esse animæ concessam facultatem, qua se ad futura interdum conuertat, certa specierum sensu acceptarum agitatione atque compositione, ad eum scilicet modum, qui futuris euentibus congruat?

Nec mediocre porro huic rationi accedit firmamentum ex μαντικῆς, hoc est, diuinationis ipsius consideratione, quam omnes fatentur non minus ad præterita & præsentia, quam futura extendi. Vnde illud est Homeri de Calchante vate heroïcorum temporum, in Iliad. 1.

τοῖσι δ' ἀνέστη
Κάλχας Θεστορίδης, οἰωνοπόλων ὄχ' ἄριστος,
Ὃς ᾔδη τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα.

hoc est: *His surrexit Calchas Thestoris filius, augurum longe optimus, qui quæ sunt, quæ futura sunt, quæque prius fuerunt, sciebat.* Qualem & vatum facultatem in Proteo Virgilius expressit in quarto Georgicorum:

nouit namque omnia vates,
Quæ sunt, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

Qualem & in Mose nos viguisse cognoscimus multo certiori testimonio sacrarum literarum;

cui cum primas in hoc vaticinandi munere Judæi tribuant, interim hunc videmus non minus de præteritis quam futuris ſtupenda mortalibus oracula edidiſſe, qui tam diſerte, tanquam præſens fuiſſet Deo creanti, de vera mundi origine, hominis ortu, & calamitate primorum parentum, tum primarum familiarum initiis & ſucceſſione, ante literas natas perſcripſit; ne quis putet, a prioribus tam occultarum rerum memoriam ad eum ſcriptorum monumentis propagatam. Vt enim fateamur, multa hunc de primorum hominum rebus potuiſſe fama accipere, rerum memoria a parentibus ad filios auditione ſubinde transmiſſa; non tamen tam certa horum fides eſſet, vt non eſſet ambigendi locus, ſi Moſaica illa hiſtoria ſola hominum fama niteretur: neque diuinæ illæ literæ haberentur, ſed humanæ. Enimuero de iis, quæ hominis ortum præceſſerunt, aliter non potuit quam vt vates cognoſcere. Ex quo efficitur, præterita ad eam vim diuinandi pertinere non minus quam futura.

Cum ergo ex his conſtet, vtriusque temporis res ſub eandem cadere diuinandi facultatem; quærendum eſt, quid diuinatio a memoria differat? Sane non in ipſis rebus differentia eſſe videtur: quippe quibus id commune omnibus, vt fuerint, amplius non ſint aut fiant. Eadem igitur facultas vaticinandi & recordandi; ſolum hoc diſcrimen, quod plura vates de præteritis & occul-

occultiora dicunt, quam hominum quiuis, quantumuis memoria excellens, dum recordatur. Ex his efficitur, memoriam & diuinationem differre tantum penes magis & minus. Qui enim recordatur, ad ea tantum quæ vidit, quibusque interfuit, vim illam qua præterita cognoſcuntur extendere poteſt; vates ad ea etiam quibus nunquam interfuit, & quæ nullo vnquam ſenſu vſurpauit, vim mentis extendit. Cæterum, vt vulgo dicitur, magis aut minus ſpeciem non mutant; cumque ea facultas qua recordamur, miras in hominibus differentias habeat, in multis mediocris & vix ad vſum ſufficiens, in nonnullis ad miraculum vſque & oſtentationem credita ſibi repræſentet; velut in his qui duo millia nominum ſemel audita, quo ordine dicta ſunt, referre potuerunt: vt Seneca primo libro Declamationum de ſeipſo prodit; quis affirmare poſſit, non eſſe & iſtud inter memoriæ proprietates & miracula, vt aliquis poſſit occulta præteriti temporis, quibus neque interfuit ipſe, neque ſenſu vllo animum adiunxit, hac ipſa, quæ ad præterita eſt, mentis conuerſione conſequi? cuius operationis modum licet explicare non valemus, hanc tamen penitus derogare humanæ animæ non æquum eſt; cum neque modum, quo animus illa, quæ nobis oblata olim, ſiue ſentientibus ſiue cogitantibus, non amplius autem exiſtunt, reuocat, ſatis quiſquam explicare valeat: quemadmodum ſupra in exponendis difficulta-

tibus, quæ circa eam præteritorum replicationem quæ fit memoria, ostendebamus.

Si tamen ea est memoriæ natura & definitio, vt non sit nisi eorum quæ prius cognita fuerunt, vtpote earumdem rerum, quarum est obliuio, cui contraria est; esto sane hæc animi facultas, qua occulta præteriti temporis indagantur, diversa a memoria; non tamen negemus hanc humanæ animæ inesse, qua etiam futura prænoscat, cui sit tributum per species rerum iam animo infixas quidem, sed eodem modo ad præterita & futura se habentes, ad præteritas cognitiones neque amplius in natura existentes proprio motu conuerti.

Altera Plutarchi coniectura ad asserendam animæ diuinationem ab experientia ducitur multorum, qui morti appropinquantes vaticinantur, cuius rei complura extant exempla. in quibus Hectoris apud Homerum, qui moriens propinquam Achilli mortem denunciat: item Calani, qui Alexandro regi familiaris fuit: item cuiusdam Rhodii, quem refert Posidonius morientem sex æquales nominasse & dixisse, qui primus eorum, qui secundus, qui deinceps moriturus esset; vt est apud Ciceronem lib. 1. de Diuinatione. Ex quo sic Plutarchus arguit: Non est verisimile, aliquas animam lucrari facultates & proprietates in discessu e corpore, quas antea non haberet, cum corporis vinculis teneretur; multo est verisimilius, si quam morti vicina ostendat, qua antea non vteretur, habuisse

qui-

quidem ſibi innatam, ſed obſcuratam & impeditam corporis contagio: quam tunc exerat, cum reſolui incipit, & minus membrorum caducorum & humorum ſarcina premitur. Qua de re locus inſignis extat apud Aretæum Cappadocem libro 1. de acutis morbis: πρόσθεν μὲν γὰρ ἐν ἰλύϊ τοῖσιν ὑγροῖσιν ἔην καὶ ζόφῳ· ἐπεὶ δὲ τάδε ἐξήντλησε ἡ νοῦσος, καὶ ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν τὴν ἀχλὺν ἕλε, ἐρέουσι τά τε ἐν τῷ ἠέρι, καὶ γυμνῇ τῇ ψυχῇ γίγνονται μάντιες ἀτρεκέες· οἱ δὲ ἐς τοσόνδε λεπτότητος ὑγρῶν καὶ τῆς γνώμης ἀφιγμένοι, οὐ μάλα τοι περιγίγνονται, ἐξηερωμένης ἤδη τῆς ζωτικῆς δυνάμιος. *Etenim antea quidem anima in limo, humoribus ſcilicet & tenebris verſabatur: poſtquam vero hæc morbus abſumpſit, & caliginem ab oculis remouit, tunc & quæ in aere ſunt ægri narrant, ac nuda anima vates veridici efficiuntur; cæterum qui ad tantam humorum ac mentis ſubtilitatem adducti ſunt, vix convaleſcunt, vitali facultate iam in aerem conuerſa.* Quibus conſentanea habet Tertullianus in libro de Anima, capite 53. *de animarum exceſſu*, digna quæ hic legantur: *Hinc denique euenit, ſæpe animam in ipſo diuortio potentius agitari, ſollicitiore obtutu, extraordinaria loquacitate, dum ex majore ſuggeſtu jam in libero conſtituta, per ſuperfluum, quod adhuc cunctatur in corpore, enunciat quæ videt, quæ audit, quæ incipit noſſe. Si enim corpus iſtud Platonica ſententia carcer, cæterum Apoſtolica Dei templum*

 cum

cum in Christo est: sed interim animam conscepto suo obstruit, & obscurat, & concretione carnis infucat; vnde illi velut per corneum specular obsoletior lux rerum est; procul dubio cum vi mortis exprimitur de concretione carnis, & ipsa expressione colatur, certe de oppanso corporis erumpit in apertum, ad meram & puram & suam lucem; statim semetipsam in expeditione substantiæ recognoscit, & in diuinitatem ipsa libertate resipiscit: vt de somno emergens ab imaginibus ad veritates, tunc & enunciat, & videt, tunc exultat, aut trepidat, prout paratum diuersorii sui sentit, de ipsius statim angeli facie euocatoris animarum, Mercurii poetarum.

Ita igitur caufam explanat, qua fit vt homines sub mortem potius, quam superiore vitæ tempore, futura augurentur & prænuncient. Tunc scilicet animam maiori ex parte esse extra corpus; aliqua autem, nempe postrema, adhuc illi hærere. Hanc partem animæ foris extantem *superfluum* vocat Tertullianus: quasi redundantem eius substantiam; quod respectu corporis intelligendum est, quia ea animæ pars corpus amplius non informat, vtpote extra ipsum posita. Per hoc igitur superfluum, inquit, quod adhuc cunctatur in corpore, hoc est, pars animæ alia nondum corpore soluta, enunciat quæ videt, quæ audit, quæ incipit nosse. Ita animæ egressum e corpore declarat suo modo, hoc est, pinguiore Minerua; vt alias

so-

ſolet vbicumque de anima diſſerit, quam vt totum quoddam partibus extenſum cogitat, adeo obtuſa mentis acie, vt (quod miratur Auguſtinus in homine tam facundo) nunquam potuerit capere, aliquid eſſe animam, ſi extenſa non ſit. Sed tamen ex hoc loco apparet, hunc non eſſe alienum ab eorum ſententia, qui aliquam animæ ineſſe facultatem, qua futura præſentiant, ſuſpicantur. Quod ſi verum eſt, tunc demum homines hanc vim incipere vſurpare atque in promptu habere, cum mors iis inſtat; id fieri putandum eſt ea ratione, quam Plutarchus dicto loco affert, quod anima morte inſtante minus ſe adiungit corpori iam afflicto, neque amplius idoneo animæ domicilio aut inſtrumento. Neque enim in eius e corpore diſceſſu mutatio vlla fit loci, aut ipſa vere migrat motu locali, ſed ſolum ceſſat operari per corpus, quia ad nullam functionem amplius vtile. Quo fit vt omiſſa inutili ſarcina, in ſe conuertatur, incipiatque operari ſecundum nobiliores facultates, e quibus illa eſt qua futura præuidet.

His coniecturis tertia ex eodem Plutarcho adiungi poteſt hoc modo: quæ ratio eſt vini, ad eos quibus iram aut libidinem largiore potu accendit, eadem eſt, halitus e ſpecu erumpentis, qui Pythiam Delphis incitabat; atqui qua ratione vinum dictos affectus excitet, notum eſt: non enim quia vim ipſam & facultatem iraſcendi aut libidinandi affert potanti, ſed

iam natura ad eos motus procliuem ita calore excitat, vt actu moueatur. Cur igitur non idem iudicemus de halitu, quo Pythiam constat solitam inflammari ad vaticinandum; vt non auctorem hunc & causam vaticinii, sed incitamentum putemus facultatis animæ insitæ ad futurorum euentuum rationes videndas.

Sed & Posidonius, vt refert Tullius in primo de Diuinatione, varios diuinationis per somnum enumerans modos, hunc primo loco affert: quod præuideat animus ipse per se se, quippe qui Deorum cognatione teneatur. Si per se: ergo per vim sibi a natura insitam. Cuius profecto argumentum insuper videri possit, innata omnibus cupiditas cognoscendi quæ sibi euentura sint. Qua cupiditate haud scio an alia vehementior animos incessat. Hinc propensio vulgi in ariolos & omne diuinantium genus, nec minor principum, quorum secreta vix sine mathematicis; vt exemplo etiam Poppææ Neronis coniugis Tacitus demonstrat in primo Historiarum: *nullo*, inquit Plinius lib. 30. cap. 1. *non auido futura de se sciendi*. Quod maxime pateret, si quot modos futuri indagandi ea curiositas inuexit, sigillatim vel solis superstitionum nominibus indicatis percensere vellem. Ex quo intelligi potest, non esse futuri notitiam supra hominis captum, sed posse saltem in nonnullis expleri naturæ appetitum; alioqui frustra esset: natura autem nihil in cassum facit.

Sic

Sic Aristoteles initio transnaturalis philosophiæ, non esse verum homini indeprehensibile, probat argumento eius cupiditatis, qua omnes mortales tenentur, aliquid cognoscendi: πάντες ἄνθρωποι εἰδέναι ὀρέγονται φύσει. Si enim eius appetitus, qui est omnibus innatus, non esset in aliquibus expletio: frustra hæc generi humano indita propensio esset. Quod, vt dixi, naturæ omnia sapienter instituenti repugnat. Cum ergo etiam omnes naturaliter quæ sibi euentura sint, nosse expetant, eodem modo consequens videtur, quosdam reperiri inter homines, qui naturalem potentiam ad effectum naturæ viribus redigere valeant. Atque hæc sunt quæ meo quidem iudicio probabilius afferri possint ab iis, qui inesse nobis a natura vim quandam præsciendi futura contendunt. Non tamen his sic trahi debemus, vt non potius eos audiamus, qui animam humanam non propria vlla facultate, sed vi aliena excitari ad vaticinandum docent. Quos recte sentire, paucis sed certissimis rebus deinceps ostendo.

Primum videndum est, quæ sint illa circa quæ vates & fatidici versantur. Horum autem, auctore Augustino Nipho in lib. de prophetia cap. 6. triplex est genus: vnum est eorum quæ aliquorum non omnium sensus & intelligentiam excedunt; vt meam facultatem & aliorum hominum qui hic Lutetiæ degimus, quæ nunc Romæ aut Constantinopoli aguntur: non enim

enim eorum, qui illis in locis verſantur, & ignota illa nobis tractant, notitiam talia fugiunt. Eiusmodi & quæ quiuis mente agitat, dum penes ſe habet, nec foris profert: hæc enim aliis tunc ignota, non illi qui cogitat. Alterum genus eorum quæ omnium prorſus hominum captum ſuperant, toto genere homini occulta; licet non Deo & intelligentiis: vt religionis myſteria. Tertio in genere ſunt quæ ſuapte omnium hominum ſenſus & intelligentiam fugiunt: vt futura contingentia, quæ in mentis humanæ arbitrio poſita, nihil in ſe habent finitum quo in vnam potius quam in alteram partem cadant. Hæc igitur omnia quibus occulta ſunt, dum ſunt occulta, non poſſe vlla animi noſtri induſtria deprehendi, ſed ſola diuinatione, certum eſt. Cæteris autem præteritis, id quod dixi, de ſolis futuris contingentibus demonſtraſſe ſufficiet.

Quod igitur omnem animi humani facultatem excedant futura contingentia, hinc ſciri poteſt: Omnis cognoſcendi facultas in homine, in ſenſus exteriores, & internos, & mentem diuiditur: ſed nulla harum potentiarum quæ contingenter futura ſunt deprehendi poſſunt: ergo omnino humani animi captum excedunt. Horum quæ hic ſumuntur, prius notius eſt quam vt probatione egeat; alterum, in quo eſſe difficultas poteſt, oſtendo. Futura contingentia dicuntur proprie, quæ non ſunt quidem, poſſunt autem eſſe aut non eſſe, quia ab humana voluntate de-

dependent, vt fiant aut non fiant. Interim dum nondum sunt, nihil esse in iis cur potius fore quam non fore iudicentur, manifestum est, cum in hominis sita sint voluntate: qui homo nondum est; ita enim pono; vt magis incertum esse constet, cuius nondum causa extet in natura; neue quis propositum voluntatis fingat multo tempore agenda præcedens, quod ratione immobili persistat: tamen incredibile est, aliquid tam certum esse posse in humanis consiliis, vt mutari non possit, præsertim si longum tempus effectum præcedat. Nego igitur eiusmodi contingentia, vlla ex notis humani animi facultatibus deprehendi posse. Non enim vllo sensuum exteriorum, qui omnes sunt rerum præsentium; neque interiorum, qui quodcumque agitant externis sensibus acceptum ferunt: quia per species animo impressas rerum externarum, quibus vnus in animam ingressus per sensus externos, vt omnes fatentur; sed neque mente: quia nihil in hac esse, quod non prius sensu aliquo occupatum fuerit, constans dogma est philosophorum. Sed propter motas supra dubitationes, quibus ostensum est easdem rerum species memoria infixas, quemadmodum præteritarum cognitioni, quæ recordatio dicitur, naturaliter inseruiunt, sic & futurarum præuisioni non minus suapte natura esse accommodatas: solum in eo esse discrimen, ad vtrum rerum genus anima intendat, præteritarum an futura-

rum;

rum: non esse autem, cur anima ad præteritas intentione reflecti possit, ad futuras non possit, cum & hæ & illæ pariter non sint; ob hanc, inquam, & alias dubitationes, accuratius, quid in his mens possit, aut non possit, perscrutari operæ pretium est.

Mens quidem altissima est animæ potestas, & quodammodo immensa: nihil enim est quod non cognitione complecti possit, omnium est capax quæ cœli ambitu continentur, si quidem & Dei, qui ipsum mundum continet. Non tamen existimandum est, ita esse felicem, vt citra causæ vllius exterioris impulsum omnia in seipsa contemplari possit, vt visum est Platoni, qui rerum omnium rationes ei naturaliter inditas ac vernaculas credidit, quas in se conuersa intueri valeat, quantum

non noxia corpora tardant
terreniq; hebetant artus moribundaq; membra:

vt Poetarum doctissimus Platonis Musa afflatus loquitur. Quin neque si talium rationum ab ortu plena esset, omnia cernere posset: non enim rerum particularium & indiuiduarum discrimina & proprietates, certis materiæ finibus, locis, temporibus diuisas; quarum varietas ad vnam communem rationem reduci nullo modo potest. Quamobrem neque eius hominis mens qui Lutetiæ est, ex se locis procul dissita cognoscere potest, neque si quæ terris alte infossa & recondita visum excludant,

hæc

hæc quisquam vi vlla mentis deprendat: multo igitur minus eadem animi vis rerum euentus futuros contingentium proſpicere, ac certa cognitione ſignare poſſit. Quarum enim rerum neque principia in ſe anima habet, neque ſigna vlla, aut indicia ex quibus percipiat, qui poſſit earum ex ſe notitiam capere? Quod autem anima in ſe non habeat rerum principia, notius eſt quam vt probatione egeat. Ita enim eſſet cauſa efficiens aut formalis earum. Sed neque notas aut indicia habet contingentium quæ nondum ſunt; vnde enim illi, & qua neceſſitate talia illi ineſſent? Neque eſt quod verbis abutar in re manifeſta. Si quis enim tam inſanus eſſet, vt hoc affirmare vellet, hunc melius omnium hominũm experientia quam ratio vlla refelleret. Abunde igitur his quæ dixi, cuiuis non ſocordi neque proteruo probatum & conſtitutum videri debet, non poſſe contingentia futura ab homine propria animi induſtria cognoſci.

Conſequens eſt igitur, vt iis quæ ſupra negotium facere viſa ſunt, reſpondeamus. Primæ difficultati occaſio data ex memoriæ conſideratione, & futurorum cum præteritis comparatione: ceu ratio exigeret, vt anima eodem modo ſe habeat ad futura atque ad præterita, eo quod tam præterita quam futura non exiſtant. Sed longe diſparem eſſe rationem horum & illorum certum eſt: non tamen facile eſt oſtendere diſparitatem. Quod enim vulgo dicitur,

de-

deesse animæ species rerum futurarum, vanum esse ostendimus supra: cum eædem sint præsentium, præteritorum, & futurorum species. Quæ enim nunc præsentia sunt, hæc antequam essent futura erant: eadem & non multo post, quia non manent, præterita dicentur. Quod autem de rebus dico, idem pari iure de rerum vestigiis, quæ in animo conseruantur, affirmari potest. Immo rerum consequentia id esse necessarium docet. Eo proinde redit disputatio, vt explicetur causa, quamobrem eædem rerum species cuiuis pro arbitrio res præteritas exhibere possit, futuras non possit.

Ego hanc huius disparitatis causam inuenio, quod earum rerum, quæ transactæ sunt, ordinem videre possumus, instantium & futurarum non valemus. Cum enim omnia quæ fiunt, in aliqua temporis parte efficiantur, quia tempore continentur, necesse est in iis esse ordinem quo fluuunt, & alia aliis succedunt, quæ successio tempus vocatur. Nihil enim aliud est tempus quam rerum successio, eo quod aliæ prius in ortum dentur, aliæ posterius. Hunc autem ordinem successionis secundum prius & posterius, in iis quæ præterierunt, facile anima videre potest; non autem in futuris quæ nondum facta sunt. Tametsi enim & futura suo ordine procedunt: non tamen eum ordinem anima videre potest, quia contingentium contingens quoque ordo; ergo incertus & indefinitus

tus, quod ad rerum ipsarum conditionem attinet; quæ, vt dictum est, possunt esse & non esse, quia in hominum arbitrio positæ. E contrario ordo, quo res præteritæ extiterunt, certus est, neque certus tantum, sed etiam immutabilis, adeo vt ne diuina quidem potentia mutari possit. Non ergo mirum videri debet, quod anima horum ordinem percipiat, etiam postquam in natura esse desierunt. Neque enim ordo ille vna cum rebus interit, sed ipsa successione manet. Nam & rebus prioribus destructis earum successio persistit: cuius hæc natura est, vt præterita neque amplius existentia præsentibus & post futuris alliget; aliter successio intelligi non potest. Anima igitur humana, qui ordo rerum non existentium certus est, hunc videt; non autem qui incertus indefinitusque est.

Magna porro in his admiratio incessat necesse est altius contemplantes, quomodo multorum sibi succedentium, ideoque partim existentium, partim non amplius existentium ordo, qui ex his resultat, ad animum veniat ab eoque perspiciatur. Si quidem ordo qui in successione est ex omnibus resultat. dictum est autem, eorum quæ transeunt alia amplius non esse, alia esse dum transeunt: ex quo efficitur, vt in ordinem etiam veniant & sint quæ amplius non sunt; sequitur etiam, vt abolita fiant apta & coniuncta præsentibus: non ens scilicet enti,

Neque enim ordo est nisi eorum quæ apta inter se coniunctaque. Absurdum autem videtur, quæ non sint amplius, ea dici apta existentibus. Accessit prope ad hanc difficultatem beatus Augustinus capitalis ingenii theologus, & mentis perspicacitate cæteros omnes supergressus ecclesiæ magistros, non tamen satis distincte explanauit. Sic enim de ordine rerum qui in successione est loquitur in libro duodecimo de Genesi ad literam cap. 16. *Itemque in auditu, nisi auribus perceptæ vocis imaginem continuo spiritus in se ipso formaret, ac memoria retineret, ignoraretur secunda syllaba vtrum secunda esset, cum iam prima vtique nulla esset, quæ percussa aure transierit. Ac sic omnis locutionis vsus, omnis cantandi suauitas, omnis postremo in actibus nostris corporalis motus dilapsus occideret, neque vllum progressum nancisceretur, si transactos corporis motus memoriter spiritus non teneret, quibus consequentes in agendo connecteret. Quos vtique non tenet nisi imaginaliter a se factos in se. Ipsarum etiam futurarum motionum imagines præueniunt fines actuum nostrorum. Quid enim agimus per corpus, quod non cogitando præoccupauerit spiritus, omniumque visibilium operum similitudines in se ipso primitus viderit, & quodammodo disposuerit?* Quibus similia habet in quarto Confessionum libro cap. 11. *Nam & quod loquimur,* inquit, *per eundem sensum carnis audis; & non vis vtique stare syllabas, sed*

trans-

transuolare, vt aliæ veniant, & totum audias. Ita semper sunt omnia quibus vnum aliquid constat, & non simul sunt omnia ea quibus constat. Vbi aduerbium *semper* intelligendum est de syllabarum vnius post aliam transitu & successione non interrupta.

Apparet autem, non alium ab ipso afferri modum quo anima percipiat ordinem in iis quæ transeunt, & partim sunt & non sunt; nisi quia eorum quæ successiue fiunt, dum fiunt, imagines sibi ipsa efformat in spiritu animali, atque efformatas conseruat. Verum vt iam supra attigi, hæc ratio non satisfacit: quia aliud est, eorum quæ fiunt species in sensu interiore conseruari, aliud in iis ordinem quo facta sunt progressusque ipsius rationem videre. Aliud res intueri, aliud ordinem. Quid igitur? An aliquam in animo imprimi ordinis illius quo res fluunt imaginem dicemus? Nequaquam. Quare? Quia in talibus ordo non fit, nisi in eo quod eorum quæ transeunt, vnum prius fit, alterum posterius, & sic per omnia quæ in transitu spectantur. Cæterum huius quod prius, & eius quod posterius, quæ imago animo infigi possit, quæ quidem simul persistat & conseruetur, non facile intelligi potest. Oporteret namque his, quatenus vnum est prius alterum posterius, commune esse aliquid & vnum, in quod animus intendens vtrumque concipiat. At nihil his commune fieri posse ex eo intel-

ligi poteſt, quod ne Platonis quidem aſſeclæ audebant in quibus eſſet prius & poſterius horum ideas ponere, vt Ariſtoteles teſtatur in primo Moralium cap. 4. οἱ δὲ κομίσαντες τὴν δόξαν ταύτην, οὐκ ἐποίουν ἰδέας ἐν οἷς τὸ πρότερον καὶ τὸ ὕστερον ἔλεγον. Quod igitur animus videt ordinem prioris & poſterioris, non ex vlla fit propria prioris & poſterioris ſpecie in memoria. Solum cuiusque intenſionis animæ aliquod relinqui in ipſa veſtigium, habitum, propenſionem neceſſe eſt, qua ſe ad id quod factum olim cognitumque eſt mente aut ſenſu denuo referat. Ita fit, vt anima prioris & poſterioris eorum quæ in tempore aguntur cognitionem capiat, dum mens propriorum actuum atque intentionum ordinem videt. Quod ſane conſequitur comparando eos actus inter ſe: in qua comparatione intelligit non ſimul extitiſſe, ſed aliqua inter eos interceſſiſſe. Cum enim hos non modo diſtinctos numero, ſed etiam quibuſdam aliis interpoſitis diſſitos concipiat, exinde ordinem in iis cogitet neceſſe eſt: qui ordo alius eſſe non poteſt, niſi prioris & poſterioris.

Ac horum quoſdam quomodo fluxiſſe ac tranſactos eſſe intelligat, non difficile eſt aſſequi & explicare: nempe ex nouiſſimis & præſentibus facile alios præceſſiſſe adeoq; præteritos eſſe intelligit: in illis autem præteritis quomodo eundem prioris & poſterioris ordinem videat, non eſt

pro-

promptum declarare. Ariſtoteles quidem in præterito id eſſe prius definit, quod eſt remotius ab ipſo nunc, hoc eſt, præſenti in quo verſamur; poſterius, id quod minus ab eodem diſtat. Sed non expeditur animus: rurſus enim noua exoritur dubitatio, vnde id animæ innoteſcat, eorum quæ præterita ſunt, alia longius ab hoc in quo ſumus puncto temporis, quædam propius abeſſe? Verum hæc contemplatio longiores habet explicatus, quam præſens capiat diſputatio. Satis eſt in præſentia oſtendiſſe cauſam, quamobrem anima rerum tranſactarum neque amplius exiſtentium ſeriem & tractum percipere valeat: quod ſcilicet illis cognitione interfuerit, & circa eas res aliquo ſenſu aut mentis agitatione vim ſuam exercuerit. Ex quo contractam illi propenſionem atque habilitatem ad ſimiles cognitionis præteritæ actus putandum eſt, per quos in iis ordinem prioris & poſterioris comparando videre poſſit. Quorum cum nihil in futurorum contingentium ſequenti proceſſu, quod ad animam pertineat, afferri poſſit, merito ad illa facultatem eius extendi negamus, ſed vt ad illa intendat aliunde hanc illuminari atque impelli neceſſe eſſe ex dictis ſequitur: cum nulla in ipſa animæ natura vis, nullus excogitari poſſit modus, quo ſe ad talia conuertat. Hac igitur ſolutione faceſſat prima ratio earum, quæ initio ad aſſerendam humanæ naturæ vaticinandi facultatem propoſitæ ſunt.

Altera ratio ſumpta fuit ab eorum exemplis, qui morte inſtante prædicere viſi ſunt quæ poſtea euenerunt. Et conuenit, in eo ſtatu poſitorum animam minus corpori eſſe immerſam, vtpote quæ tunc a corpore reſolui incipiat. Si autem anima eo ipſo quod minus arcte corpori alligatur, fit prudens futuri, cum nihil ſeparatio ipſa a corpore nouæ facultatis animæ adiungat; ſequitur, quam in ſeparatione anima habet vim proſpiciendi quæ poſt euentura ſunt, habuiſſe antea, toto coniunctionis tempore, & ſemper habere, quod ea vis naturæ eius conueniat, nempe innata & vernacula. Cæterum facile rationis huius deprehenditur vanitas: qua accipitur aliquid & pro manifeſto ponitur, quod non eſt manifeſtum; nempe ſola a corpore ſeparatione animam ſic comparari, vt quæ antea de futuris videre non poterat, videre poſſit, neque aliud quicquam interuenire cauſæ. Quod, fateor, ſi verum eſſet, reliquum quod infertur ſequeretur. Id vero inficiamur nos; dicimus autem, nihil aliud ſeparatione a corpore quam impedimentum auferri, quod animæ affert corporis ſocietas & conſuetudo, quo minus rerum diuiniorum, quarum eſt capax, vſum capeſſat. Eſt enim animæ natura eiuſmodi, vt poſſit cælitum appulſu moueri, multaque eorum in lumine videre, quæ aliter nulla ipſius induſtria & contentione conſequi poſſet; quod careat facultate qua illa ſuopte inge-

nio

nio vſurpare poſſit, etiamſi tota a corpore ſecedat. Ex his patet ſolutio. Dicimus enim, ſub animæ e corpore diſceſſum, minus hanc corpori eſſe immerſam, vtpote ex parte liberatam; non quia partibus conſtat, vt Tertulliano viſum eſt, ſed quia minus corpore tunc ad ſummam redacto imbecillitatem tardatur. Ex quo efficitur, vt magis in ſe conuerti incipiat, magisque capax efficiatur eorum quæ menti conueniunt: in quibus eſt, poſſe moueri a Deo & intelligentiis, nouamque earum munere cognitionis lucem accipere, qua non ſolum immutabilem & ſempiternam rerum diuinarum veritatem contempletur, ſed etiam eorum quæ hic contingunt, nondum exiſtentium ſed futurorum nubem intuitu perrumpat.

Tertia ratio quæ ducitur ex comparatione halitus Pythiam afflantis, cum vini fumis & ardore ad iram aut libidinem largius potos exſtimulante, & ipſa propius excuſſa vaneſcit. Fatemur quidem, vt vini vapores non dant potantibus eam vim qua iraſcantur, aut venerea concupiſcant; ſed homines corpore accenſo ſic comparare vt vehementius moueantur: ſic neque antri Delphici halitum contuliſſe Pythiæ vim fatidicam, ſed ſolum aliquam affectionem, qua magis apta eſſet atque idonea prorumpere in voces diuinas. Hactenus enim non male comparatio procedit: vt vinum diſponit hominem ad iraſcendum, ſic halitus terræ ad vati-

cinandum. Non tamen hinc quisquam recte inferat, ex duobus hominibus, qui extrinsecus ad aliquem actum sui generis eliciendum corpore aut animo præparantur, si vni eorum naturalis insit facultas, quæ sit proprium & adæquatum talis actionis principium, continuo & alteri oportere eius quam exerit functionis proprium in se & sufficiens principium ipsi a natura tributum continere. Satis est, ita istum cui deest facultas, sic eo quod illi accidit affici & comparari ad agendum, vt cuius efficiendi in se principium non habet, aliunde suscipiat. Quod plane de Pythia dicendum censemus. Nam neque hæc facultatem vaticinandi plenam habuit a natura: neque ab halitu terræ, cui nulla eiusmodi vis inesse potuit, omnino accipiebat; solum talis exspirationis admistione cum spiritu animali in furorem & ecstasim potuit conuerti, quo alienata a præsentium sensu atque impedita ratione, aptius dæmoni organum fieret ad expediendum per eam munus qualis qualis prædictionis rerum futurarum.

Quarto allatum ex Posidonio, inter alias diuinationis per somnia causas hanc agnoscente, quod anima per se futura præsentire possit, quia Deorum cognatione teneatur: cuius cognationis & diuinandi facultatis argumentum sit cupiditas vnicuique innata sciendi, quid sibi in tempore futuro euenturum sit. His respondeo, non posse negari, quin nonnulla occulta futuri

tem-

temporis hominibus interdum per visa nocturna objiciantur; verum id non fieri, quia anima per se atque innata facultate propter Deorum cognationem diuinare possit: sed quia ea cognatione, quæ est illi cum diuinis principiis, fit vt ab iis interdum aliquam lucem suscipiat rerum futurarum. Neque enim ex illa agnatione infertur facultas præsagiendi futura, qua anima talia per se videat, sed mera potentia qua sit apta superis interdum coniungi, atque ab iis quorumdam quæ postea futura sunt notitiam accipere.

Quod autem diuinationis animæ argumentum censetur cupiditas omnibus innata hominibus, prænoscere quid sibi & aliis impendeat boni vel mali, aut quid aliud futurorum euentuum; respondeo, id quidem omnibus innatum esse hominibus, vt ignorantiam fugiant, scientiam expetant, non modo eorum quæ erunt, sed etiam sunt aut fuerunt. Id enim natura animæ requirit, vt nihil a se alienum putet omnium quæ mente comprehendi possunt: quia in eo mentis perfectio sita est, vt omnia cognoscat quæ sciri possunt. Non tamen ex ea potentia & desiderio animæ inferri possit, huic eam vim cognoscendi inesse, qua omnia per se comprehendat; sequitur tantum, scire posse omnia vel proprio marte, vel aliunde adiutam. Nam & omnes naturaliter felicitatem expetunt, non tamen ad eam humanis viribus

peruenitur, sed diuino auxilio; trahatur oportet a Deo, & supra captum mentis humanæ illuminetur, quisquis ad vltimum bonum peruenturus est. Quemadmodum igitur non sequitur ex innato vnicuique appetitu felicitatis, vt possit quisquam felix beatusque propriis viribus effici; neque ex illa sciendi cupiditate, vt proprio ingenio omnia quæ mundi ambitu continentur, omnia naturæ arcana, cæli omnem dispositionem, astrorumque numerum & vires, consequi valeat; sic neque vt futurorum contingentium occultas rationes mente attingat: sequitur dumtaxat, posse eius cognitionis dono Dei fieri compotem; quod fatemur, & ex dicendis amplius patebit.

CAPVT IX.

An natura alii aliis magis apti ad diuinandum, & quibus rebus apti efficiantur.

HActenus ostendi, non esse inditam animæ humanæ facultatem vllam, qua se naturaliter ad vaticinandum expediat; non tamen iisdem argumentis effectum est, nullam esse in natura opportunitatem, qua nonnulli magis apti aliis ad donum illud Dei, quod diuinatio & prophetia dicitur, accipiendum reddantur. Superest proinde vt quæramus, num quid in ani-

anima aut corpore vatis exiſtat natiui apparatus, aut proprietatis, qua aptior intelligatur ad ineundam cum ſuperis ſocietatem, ſine qua nullam eſſe diuinationem oſtendimus. Si conſulimus Aquinatem doctorem, non eſt locus præparationi apud Deum, qui in iis quæ ſupra omnem naturæ ordinem excellunt, vt eſt prophetia, vel remotiſſimis ſubiectis, atque, vt ſic dicam, infeliciſſimis quiduis patiendi & recipiendi legem facile imponit. Ita enim in Quæſt. 172. artic. 3. 22æ habet: *Eſt autem conſiderandum, quod ſicut Deus, quia eſt cauſa vniuerſalis in agendo, non præexigit materiam, nec aliquam materiæ diſpoſitionem in corporalibus effectibus, ſed ſimul poteſt & materiam & diſpoſitionem & formam inducere: ita etiam in effectibus ſpiritualibus, non præexigit aliquam diſpoſitionem: ſed poteſt ſimul cum effectu ſpirituali inducere diſpoſitionem conuenientem, qualis requiritur ſecundum ordinem naturæ.* Idem tamen fatetur in ſolutionibus obiectionum, inordinatos animi motus intemperantium & aſotorum, item iracundorum, nempe inflammatam cupiditatem venereorum, aut iræ ardorem, non mediocre eſſe impedimentum prophetiæ: nec minus hanc turbidis rerum ciuilium fluctibus & curis negotiorum excludi, adeo vt non putet in talibus verſantes vatum poſſe munere fungi, quod eorum mens tota in rerum corporalium imaginibus defixa teneatur. Fatetur etiam, eum qui natu-

naturali esset sensu destitutus, hoc est, hebes, stupidus, vel male moratus, non esse aptum Dei instrumentum ad denunciandos hominibus futuros euentus; & causam affert, quia ad prophetiam maxima requiritur mentis eleuatio ad rerum intelligibilium contemplationem, cui obstare vehementiam passionum & inordinatam exteriorum rerum occupationem censet. *Vnde* (inquit) *de filiis prophetarum legitur 4. Regum 4. quod simul habitarint cum Helisæo, solitariam vitam ducentes, ne mundanis occupationibus alienarentur a dono prophetiæ.* Quæ cum Thomas fateatur, non video quo iure negare possit, nonnullos homines melius aliis ad donum vaticinii suscipiendum natura esse comparatos, qui scilicet minus naturali corporis habitu & recta viuendi ratione inordinatis animi motibus sunt obnoxii: qui item magno ingenio præditi, amore contemplationis a vulgi turba & negotiosæ vitæ tumultu & fluctibus longe recedunt.

Nec vero quam affert rationem ea alicuius momenti est: ideo non requiri has naturæ opportunitates ad prophetiam, quia Deus his contrarios naturæ habitus & impedimenta tollere potest: *talem* (inquit) *naturalem indispositionem remouet virtus diuina, quæ est prophetiæ causa.* Nil, inquam, hæc ratio valet: nam & Deus impedimenta quæ sunt in lapide, prohibentia ne materia eius formam panis induat, auferre potest: *si filius Dei es, dic vt isti lapides panes fiant,* in-

inquit Diabolus Matthæi 4. hanc creatoris in transſmutandis rerum naturis potentiam confeſſus. Quæ item in membris paralyticorum, ſurdorum, cœcorum, mutorum, naturalibus eorum membrorum functionibus obſtabant, momento ſuſtulit Chriſtus. Num propterea negandum, naturalem requiri partium corporis, quæ iis officiis inſeruiunt, conſtitutionem habitumque ad certas functiones, puta neruorum ad motus voluntarios, aurium ad auditum, oculorum ad viſum, linguæ & vocalium inſtrumentorum ad loquendum? Id modo ex Thomæ illa ratione ſequitur, Deum multo altiorem atque liberiorem agendi modum ſequi in conferendo hominibus prophetiæ dono, quam in iis effectibus quæ ſunt pure & ſimpliciter naturales. Etenim in his vbique vim ſuam ad ordinem naturæ poſitaſque leges accommodat, quas nunquam niſi vbi miraculo vult oſtendere potentiam ſuam, vt in ſubita aquæ puræ in vinum converſione, & aliis eiuſmodi portentis, transgreditur; non tamen negandum videtur, quin & in eligendis prophetis, naturalis hominum conditionis & animorum habitus ſæpius habeat rationem. Quod igitur, Thomæ ipſius confeſſione, naturales quædam proprietates exiſtant, quibus homines magis idonei ad prophetiæ lumen ſuſcipiendum reddantur, nunquam Deum ad eas reſpicere, abſurdum videtur; ſi autem reſpicit aliquando, immo ſæpius, vt arbitror,

tror, falsum est eas non requiri ad prophetiam; solùm sequitur, non ita esse necessarias, vt non Deus, vbi vult, sine iis prophetas efficiat.

Quæcumque igitur siue intra siue extra hominem posita, animos certa naturæ ratione ad rerum altiorum contemplationem erigere possunt, per omnes mundi partes persequi atque indagare exinde conabor, vt quid horum Sibyllæ iure vindicari possit, appareat.

CAPVT X.

De naturalibus adiumentis atque opportunitatibus ad prophetiam requisitis; ac primum de mentis sublimitate.

PRima naturalium ad prophetiam opportunitatum censetur præstans mentis indoles & sublimitas; qua qui præditi sunt sic ad diuinorum contemplationem naturaliter rapiuntur, vt ferrum ad magnetem, & alia eiusmodi ad ea cum quibus quadam naturæ sympathia conspirant. Hæc autem propensio non inest nisi iis qui animum naturaliter magnum habent, vim scilicet mentis præstantem, excelsam, & luminosam nacti sunt. Quæ quibus singulari naturæ dono tributa est, natura ad prophetiam apti præ aliis omnibus censentur. Ita quidem philosophi sciscunt, qui varios distinguentes in homi-

hominibus intellectualis facultatis gradus, in supremo eos collocant, qui præcipuo mentis vigore & claritate cælo propiores agitant, & tali naturæ propinquitate lucem ad prædicendum facile suscipiunt. Tres autem sunt gradus: vnus omnium (vt ab eo quod imperfectissimum est incipiam) infimus, eorum scilicet hominum qui mentem penitus corpori immersam habent, quo fit vt nunquam supra sensum cogitatione assurgere valeant. Hi sunt qui nihil rerum sine continuo & tempore, hoc est, quod non sit dimensionibus expansum & tempore comprehensum, concipere possunt; qui animam extensam, spatia extra mundum infinita concipiunt, neque aliter hunc esse finitum videre possunt, nisi talia extra ipsum admittantur spatia; qui denique aliquid omnino esse posse negant quod non sit in loco: vt Auerrois notat in 2. Metaphysicorum cap. 3. text. 15. in posteriori expositione. Huic alter est gradus plane atque, vt dicitur, e diametro oppositus, eorum qui mentem minime materiæ immersam habent, quos sic Albertus Magnus describit lib. 1. de intellectu & intelligibili cap. 3. *Secundi autem, quasi per se aut ex parua doctrina nati sunt intelligere omnia: quia intellectum non habent tanquam potentiam animæ, vel quasi efficientem per abstractionem intelligibilia in anima: sed habent eum quasi pro forma per quam anima intellectualis cuncta operatur.* Quam in libro de

anima

anima felicitatem esse diximus, ad quam intendit peruenire omnis philosophus. Et hic vocatur intellectus sanctus siue mundus ab Auicenna; ab Aristotele autem dicitur intellectus diuinus: & hic intellectus de studio leui ad prophetias accipit illuminationem, & ad somniorum verissimam interpretationem. Medius autem inter duos illos gradus est, in quo maxima hominum pars versatur, qui disciplina ad cuiusuis scientiæ peritiam, maiorem vel minorem, nec tamen poenitendam, peruenire possunt. Quam mentis facultatem *humanam* appellare licet, cum pluribus communis existat.

Igitur Alberti sententia ii natura apti in primis ad prophetiam censentur, quos nascendi conditio in supremo intelligentiæ humanæ apice constituit. Sed & Algazel, magni inter Arabes philosophos nominis auctor, in libro Auenrois qui inscribitur *Destructio destructionum philosophiæ*, de iis quos natura vaticinio affines finxit, eodem plane modo atque Albertus disserit; vel potius huic Albertus consentanea dixit, quem ab Algazele quæ modo attuli accepisse, ex vtriusque loci comparatione intelligi potest: vbi etiam eadem ingeniorum proponitur distinctio. Quamobrem quæ ad hanc sententiam pertinent, ex eo libro Auenrois, latini vel potius latino-barbari interpretis verbis referre haud pigebit: *Sunt aliqui qui mouentur ex seipsis: & sunt aliqui qui mouentur pauca excitatio-*

tione, hoc est, disciplina: & sunt aliqui qui non comprehendunt cum excitatione, nisi diminutione magna. Et quemadmodum possibile est, vt eueniat vltima diminutio non habenti sensationem omnino, ita quod non mouetur ad intelligendum intelligibilia, vel cum excitatione; sic etiam potest euenire vltima fortitudo & additio, vt excitetur ad omnia intelligibilia, aut plurima eorum, & tempore breuiori. Et differt hoc quantitate in omnibus quæsitis, aut aliquibus, & etiam qualitate: ita quod differt celeritate & propinquitate. Et forte reperitur propinquitas animæ sanctæ & puræ, quæ transit in sensatione in omnibus intelligibilibus ad scientiam, & celerrimo tempore: & est propheta qui habet mirabilem virtutem speculatiuam, & non indiget in intelligibilibus docente; sed quasi ipse addiscit ex seipso. Accedit Auisenna Metaphysices tractatu 10. cap. 1. *Ex hominibus ille est nobilior, cuius anima fit intelligentia in effecta, & acquirit mores qui sunt honestatis practicæ: ex his autem ille excellentior est, qui est aptus ad ordinem prophetiæ: & hic est ille in cuius viribus animalibus sunt hæ tres proprietates; scilicet vt audiat verbum Dei: vt videat angelos transfiguratos coram se in forma, qua possint videri. Jam autem ostendimus, qualiter fiat hoc: & ostendimus quod ante eum, cui fit hæc reuelatio, transformantur angeli: & fit in eius auribus vox, quam ipse audit, quæ est ex parte Dei & angelorum: & audit eam, quamuis non sit verbum hominum nec animalis terreni: & hic est*

cui datur spiritus prophetiæ. Qui verborum contextus aliquam a nobis expositionis lucem desiderant propter semibarbari interpretis infantiam. *Ille homo est nobilior, cuius anima sit intelligentia in effectu*, hoc est, cuius anima rationalis, cum esset potentia intellectus, fit actu intellectus. Fuit enim opinio apud illos magistros, hominis perfectionem in eo esse sitam, vt agens intellectus, qui Alexandri sententia foris aduenit, estque intelligentia separata, omnium quæ intelligi possunt rationes in se complexa, in vnum cum nostro intellectu, qui est potentia, coalescat: adeo vt non amplius postea more agentis accedat ad illustranda phantasmata, vt in imperfectis, sed formæ instar animæ in eandem essentiam copulatus maneat: quod cum accidit, potentia illa prior intelligendi omninꝙ aufertur, vnusque existit intellectus perfectus; hoc est, anima humana ex anima (quod erat tantum) fit lumen ipsum intelligibile, & in ordinem intelligentiarum transfertur. *Ex his autem ille excellentior est, qui est aptus ad ordinem prophetiæ* (hoc est, qui natura est idoneus qui propheta efficiatur. *Et hic est ille in cuius viribus animalibus sunt hæ tres proprietates.*) Tres hic proprietates memorat, neque tamen plus duabus in contextu exprimit: nempe, vt verbum Dei audiat propheta, & angelos sibi in forma adspectabili apparentes videat. Deest igitur aliquid in textu. opinor illud, quod alibi apud eum & Algazelem legimus, de vigore &

præ-

præstantia animæ ad transmutandam materiam mundi; de qua hunc in modum Algazel apud Auenrois citato loco: *Tertia*, inquit, *est virtus animalis factiua, quæ peruenit ad terminum, quo disponuntur natura & obediunt ei.* Et paulo post: *Et non est inconueniens, vt perueniat virtus fortitudinis animæ ad terminum, quo inseruiat ei natura necessario, & absque corpore.* Igitur Auisenna in sexto Naturalium parte & capite quarto, postquam de hac animæ humanæ in nonnullis præstantibus viris potestate ex Algazelis sententia dixit, subiungit: *Et hæc est etiam vna de proprietatibus virtutum propheticalium. Ante hoc autem iam diximus, proprietatem quæ pendet ex virtutibus eius imaginabilibus, quæ est proprietas prophetalis pendens ex virtutibus sensibilibus apprehendentibus. Hæc autem est proprietas pendens ex virtute sensibili motiua desideratiua, quæ prouenit ex anima prophetæ dignioris prophetiæ.* Quibus verbis duas indolis propheticæ proprietates insinuat: vnam quidem quæ a sensu interiore proficiscitur, quatenus formas sensibiles apprehendit; alteram qua idem sensus interior præest appetitui animali & motrici potentiæ: quam priore illa præstantiorem censet, vtpote ex singulari & inusitata animæ propheticæ nobilitate pendentem; per quam primi ordinis prophetæ miracula pro arbitrio patrant, obediente Deo voci hominis, vt est in libro Judicum. Cum enim secta esset Mahumetanus, non dubitauit quin miracula essent ne-

cessaria prophetis ad religionem constabiliendam in populis. Vim ergo illam, qua prophetæ nonnulla, vbi opus est, supra ordinem naturæ operantur, in natura etiam prophetæ fundamentum habere censuit; animæ scilicet propheticæ gradum nobiliorem, & vim eximiam imaginationis. Veruntamen in aphorismis de anima, naturali animæ præstantiæ meritum addit, & dignitatem apud primam causam ex morum sanctitate & precibus quas Deus exaudit. Verba adscribam: *Et super animam quidem virtuosam* (semibarbari interpretis verba affero) *sanctam, quandoque in hora deprecationis infunditur a prima causa virtus, per quam anima prædicta imprimit in elementis generabilium. Quare obediunt ei elementa subdita voluntati ipsius, quare illa obediunt deprecationi? quoniam elementa sunt subiecta operationibus animæ quæ agit in eis. Et consideratio illius verificatur in corporibus nostris. Nos enim quandoque imaginamur res, & ex hoc alterantur corpora nostra, secundum quod exigunt dispositiones animarum nostrarum & imaginationes suæ. Et quandoque est possibile, quod homo per imaginationem animæ suæ imprimat in corpus aliud ab eo: sicut dicitur de opinionibus quæ sunt apud habitantes Indiam, si verum est id quod dicitur. Et quandoque principium primum est exaudiens illam animam quando deprecata fuerit.* Hæc Auisenna.

Tres igitur ex his Aboali locis prophetales proprietates habemus: vt propheta Dei vocem

siue

ſiue verbum audiat; vt angelos in forma viſibili ſibi apparentes videat; vt miranda coram multitudine, vbi res poſcit, patrare valeat. De hac poſtrema proprietate, quæ in miraculis oſtendandis ſpectatur, ſatis ex eius ſententia dictum eſt: hanc enim vult partim in natura ipſa prophetæ eſſe ſitam, hoc eſt, animæ præſtantia & dignitate; partim in primæ cauſæ virtute. Idem dicendum eſt de viſione angelorum: ſiue ſpecies, quibus inducti in hominum conſpectum veniunt, extrinſecus angeli ipſius arte obiiciuntur, ſiue intus formantur in animo videntis, certum eſt paucorum eſſe hominum talia videre, eorum ſcilicet quos ad magna genitos Deus hiſce eximiis amoris ſui ſymbolis dignatur: quemadmodum & quibus intus loquitur arcana voce, longe diſſimili ei quæ animalium auribus inſinuat. Hoc vocis genere admoneri ſolitum Socratem, ſi quando aut ipſe aut amicorum quiſpiam agere aliud vellet, quod male ceſſurum eſſet, minimeque fieri oporteret, teſtatur Plato in Theage, ſiue de Sapientia. Pſellus in dialogo περὶ ἐνεργείας δαιμόνων ſuſurrum quendam ab angelo editum interpretatur lumen diuinum, quod diuinis hominibus in ipſo temporis articulo datur, ad videndum quid agendum ſit, quid fugiendum, vel etiam ad quædam e futuris contingentibus proſpicienda; quo lumine qui illuſtrantur, diuini viri & prophetæ ſunt & dicuntur.

Atq; id lumen licet totum a Deo pendeat, magis tamen & congruentius tribui illustribus ingeniis consentaneum est. Si enim, vt Theologus Aquinas dicto loco notat, maxima in propheta requiritur mentis eleuatio ad diuinorum contemplationem, constat autem quosdam ita esse mente a natura comparatos, vt multo melius aliis diuina contemplari valeant: quod peculiarem ad id studium indolem nacti sint; qualem fuisse indolem Platonis, Pythagoræ, Heracliti, Parmenidis, Anaxagoræ, Aristotelis, & aliorum sapientum, nemo non fateatur; quis tales viros magis ad prophetiam natura aptos fuisse neget? Ita etiam visum fuisse Aristoteli ex his quæ in libro de diuinatione per insomnia dicit, intelligi potest. Inter alia enim quibus fit incredibilis eiusmodi ex insomniis diuinatio, hoc affert, quod si Deus mitteret insomnia, non quibuslibet & indignis hominibus mitteret, sed optimis & sapientibus: τό τε γὰρ θεὸν εἶναι τὸν πέμποντα, πρὸς τῇ ἄλλῃ ἀλογίᾳ, καὶ τὸ μὴ τοῖς βελτίστοις καὶ φρονιμωτάτοις, ἀλλὰ τοῖς τυχοῦσι πέμπειν ἄτοπον. Si tardis & indoctis hominibus somnia præsaga diuinitus offerri absurdum censet, sequitur eo iudice rationi congruens esse, peruenire hæc dona ad sapientes potius quam ad indoctos: quæ autem huius causa, nisi quia mentis ad diuina erectæ præstantiam ac sublimitatem quæ quibusdam contingit hominibus, artiumque magnarum peritiam, gradum esse &

appa-

apparatum optimum ad consequendum prophetiæ donum putauit?

Quod autem aliter se habet doni huius præclari dispensatio in hominibus, & sæpius ipsum in idiotas quam in scientiis excultos cadere experientia docet: huius quoque rationem dispensationis in numinis prouidentia esse fixam existimandum est. Neque absurdum putare, ipsorum præclarorum virorum, qui ingenio & sapientia excellunt, causa id ita componi, ne tali munere superbiant, vel etiam ingenii & scientiæ prærogatiuam & censum putent, quod solius est diuinæ liberalitatis. Nam & animarum has esse differentias credi posset, vt quarumdam ea nobilitas esset, quæ hanc diuinationis facultatem sibi altiori naturæ gradu & quasi suggestu vindicaret, si propria huius administratio & prouincia esset magnorum virorum; nunc cum sæpius illiterati & idiotæ eo munere fungi obseruantur, nulla errori & superbiæ occasio relinquitur, nihil gloriæ Dei detrahi potest. Sic neque disciplinis celebres viros & eloquentes elegit Deus ad prædicandum Euangelium, sed rudes & indoctos piscatores: cum tamen alioqui negari non possit, quin ingenii vis & eloquentia suapte natura optima essent instrumenta ad insinuanda populis humanæ salutis mysteria. Sed noluit talibus vti præsidiis Deus, ne, vt Apostolus dicit, euacuaretur crux Christi. Non valet ergo argumentum: Multi rudes & idiotæ vaticinantur,

ergo nulla est in natura hominis opportunitas, neque commendatio, qua nonnulli conuenientius quam alii donum illud recipiant: vel, vt Aristoteles eo in libro de diuinatione per insomnia arguere videtur: ergo nulla omnino datur diuinatio. Verum sequitur, Deum haud quaquam in omnibus sequi quod naturæ ordini & rationi inde ductæ magis consentaneum est: quam cur in prophetiæ dispensatione seruare aliquando nolit, dictum est.

Ex his supra adducta Auisennæ, Algazelis & Alberti dicta explicamus. Non enim eam vim penetrandi acie mentis occulta futurorum contingentium animæ virorum magnorum vernaculam esse voluerunt, quantum ad effectum vsumque attinet, sed quantum ad propiorem potentiam & naturalem affectionem & apparatum. In quo nihil video quod sit scripturæ aut veræ rationi aduersum, immo id rerum ordo poscit. Solum id audacius mihi videtur & maius quam natura hominis capiat, quod de ratione qua prophetæ miracula patrant, philosophantur; alicuius hominis animam adeo esse potentem, vt non modo corpus proprium, sed etiam quæ sunt foris corpora pro arbitrio immutare valeat: nempe excitare ventos & procellas, pluuiam aut ignem cælo elicere, formas rerum mutare. Id profecto incredibile est, neque vllo in philosophia fundamento nititur, quicquid dicat Algazel apud Auenrois in eo libro Destructionis, vbi hanc opi-

opinionem ceu philosophis probatam & celebratam proponit. Quod esse falsum Auenrois ibi ostendit, cum nullus alicuius nominis philosophus proferri possit, qui tale monstrum inuexerit, vno excepto Auisenna, qui dictis locis sententiam eam tuetur & Algazeli suffragatur: primus namque malæ eius frugis sator occatorque fuit Algazel iste in Metaphysica. Cuius nomine & ob alia non recte posita cum male apud suos audiret, & impietatis suspectus esset, hanc inuidiam declinare volens, librum contra philosophos composuit, in quo eorum fundamenta præcipua & dogmata subuertere tentauit, vt Auenrois testatur in præfatione earum disputationum quas aduersus eum instituit.

Petrus autem Aponensis eius operis, quod Conciliatoris nomine inscripsit, differentia 135. de causis quæ hunc hominem, atque etiam Auisennam, in eum errorem impulerunt, hunc in modum differit: *Quod autem ipsum mouit fortassis ita superstitiose in philosophia narrare; cuius est causam omnium propriam assignare; est, quia acquieuit incantationibus & fascinationibus, quæ ponuntur ab eorum defensoribus prouenire ex virtutibus animæ prætactæ, quas suscipit a cælestibus, prout eorum motuum & lucis facta est imago* &c. *vel etiam sermonibus gestorum prophetalibus Hebræorum talia scribentium.* Quasi vero magi & præstigiatores ea ludibria, quibus se vulgo admirabiles præbent, innata sibi animæ potestate per-

perficiant, aut quicquam in libris Hebræorum extet, quo opinio tam ſuperſtitioſa confirmari poſſit.

Non minus ſuperſtitioſa videri debet Procli expoſitio: quaſdam animas eſſe Apollinares, ad vaticinandum ipſo ordine, quo ſunt Apollini ſubiectæ & aptæ, propenſas, eumque ordinem ſtudiis atque omni vitæ ratione ſeruantes; vt videre eſt in quinto Commentariorum in Timæum Platonis, vbi qui *Deorum filii* a Platone dicantur explicat: αἱ γὰρ inquit ἀπολλωνιακαὶ ψυχαὶ μαντικὸν ἢ τελεστικὸν ἑλόμεναι βίον παῖδες καὶ ἔγγονοι καλοῦνται τοῦ Ἀπόλλωνος. *Etenim animæ Apollinares, quæ propheticum & ſacris addictum viuendi genus elegerunt, Apollinis filii & eius e proſapia profectæ dicuntur.* Vbi duobus eas inſigniuit nominibus: nam & παῖδας, hoc eſt, filios vocat; tum etiam ἐγγόνους, nepotes & poſteros. Quæ ſic diſtinguit: *filios* dici, quatenus Deo illi agnatæ, & catenæ ſiue ordinis ab eo ducti proprietatem conſeruant: *nepotes*, quatenus in hac vita mortali Dei illius ſimilitudinem moribus & ſtudiis præferunt. Cuius agnationis cum Apolline & proprietatis in exemplum mox affert Sibyllam: ὥσπερ ἡ Σίβυλλα παρ' αὐτὴν ἀποκύησιν χρησμῳδήσασα. *quemadmodum Sibylla, quæ in ipſo ortu & natiuitate vaticinata eſt.* Vbi ſimul obſerua interim, quemadmodum Sibyllam non modo vt vnam quandam feminam vatem proponit, ſed etiam vt ſingula-

gulare ſpecimen & exemplum diuinationis. Ex quo etiam intelligi poteſt, nullum illi eorum adiumentorum defuiſſe quibus inſtructi homines fiunt apti ad vaticinandum ; quorum præcipuum eſſe cenſemus mentis ad diuina erectæ generoſitatem & magnitudinem : quam Maro etiam in Sibylla notat

magnam cui mentem animumque
Delius inſpirat vates, aperitque futura.

vbi magnam mentem intellige non tantum de afflatu, ſed etiam de facultate, quam ex animæ proprietate & Apollinea cognatione in hunc mundum attulit. Sed de hac prima & principali vatum proprietate ſatis dictum arbitror: ad alias tranſire conuenit.

CAPVT XI.

De temperamento Sibyllæ & aliorum vatum.

CUm de ingenio & mentis præſtantia alicuius loquimur, neceſſe eſt, ſi philoſophari volumus, in eandem adduci contemplationem indolem & temperamentum corporis, cujus fulturis, vt ait Plinius in epiſtolis, animus ſuſtinetur. Ita enim vnum horum cum altero aptum eſt, vt mira horum ſympathia exiſtat, qua fit vt neque anima niſi in corpore probe conſtituto plenum ſuarum facultatum vſum habere poſſit, neque cor-

corpus nisi recto animæ moderamine bene valere aut conseruari vllo modo queat. In iis autem quæ in corpore posita plurimum ad mentis præstantiam, velut & ad aliarum facultatum lætum vigorem, momenti afferre possunt, præcipuam sibi partem temperamentum vindicat: cuius cum variæ sint differentiæ, partim notæ medicis, qui has maiore diligentia persequuntur, partim occultæ & ineffabiles, vt quæ singulis hominibus ex peculiari eorum quibus corpus constat conditione & materiæ proprietate innotescant; cæteris prætermissis, de hac tantum agam, quæ mentis functionibus, & propheticæ excellentiæ maxime accommodata censetur.

Quem autem temperamenti modum vatibus assignet Aristoteles, notum est ex 30 sectione Quæstionum naturalium: nempe eiusmodi, quo qui præditi sunt, melancholicos, ex humoris atri in corpore prouentu supra alios humores abundantis, appellare solemus. Non enim, vt Valesius lib. 1. Controuers. cap. 7. notat, temperamentum proprie melancholicum, aut sanguineum, aut pituitosum, aut biliosum dixeris: cum nomina hæc sint succorum in corpore ex temperamentorum differentiis prouenientium; sed homo recte aut melancholicus, aut pituitosus, aut qua alia humoris dominantis differentia dicitur, cui tale temperamentum a natura contigit, ex quo horum humorum major in corpore prouentus sequatur.

Ita

Ita igitur Aristotelem de Sibyllæ & aliorum vatum temperamento iudicare, vt sit maxime aptum generandæ bili atræ, & tali copia, vt melancholici inde dicantur, loco dicto apparet. Postquam enim de humoris illius natura disseruit: quem vino comparat in hoc, quod vt vinum potantibus, sic niger ille humor, quibus ex natiui temperamenti conditione copiosior prouenit, varios ingenerat mores, prout incalescit aut refrigeratur: eiusdem etiam inflammatione homines fieri ingeniosos & acutos supra modum & perspicaces, deinceps ostendit, διὰ τὸ ἐγγὺς εἶναι τοῦ νοεροῦ τόπου τὴν θερμότητα ταύτην, quibus scilicet calor ille bilis atræ, prope sedem mentis consistit. Tales, inquit, νοσήμασιν ἁλίσκονται μανικοῖς, ἢ ἐνθουσιαστικοῖς· ὅθεν Σίβυλλαι καὶ Βάκιδες, καὶ οἱ ἔνθεοι γίγνονται πάντες, ὅταν μὴ νοσήματι γίνωνται, ἀλλὰ φυσικῇ κράσει. *Hi morbis capiuntur furorem creantibus aut afflatum diuinum: unde Sibyllæ & Bacides aliique numine afflati omnes efficiuntur, cum id non morbo sed naturali intemperie accidit.*

Nec vero ex hoc tantum Aristotelis loco intelligitur, magis affines esse & aptos spiritui illi, qui prophetas facit, concipiendo eos qui natiui temperamenti lege plurimum in corpore atræ bilis congerunt; sed etiam aliunde, & quod maximi esse debet momenti ad fidem faciendam, ex sacris libris: in quibus duos Hebrææ genti maximos omnium prophetas extitisse legimus, Mo-

sem

ſem & Eliam: qui ambo ſic in iisdem literis depinguntur, vt temperamento & habitu corporis melancholicos fuiſſe appareat. De Moſe colligo ex ſolitudinis amore, quo veriſimile eſt impulſum fuiſſe, vt ſoceri ſui Jethro oues paſcere in campis vir tantus non dedignaretur: cum quibus cum ſe aliquando in deſerti interiora penetraſſet, oſtentum illud vidit rubi ardentis, neque quicquam detrimenti in ſua ſubſtantia accipientis. Inter mores autem melancholicorum eſt vitæ ſolitariæ amor & ἀπανθρωπία, teſte Hippocrate in epiſtolis, & Ariſtotele dicto problemate: amant autem loca ſola, quia cogitabundi ſunt. Ex quo etiam efficitur, vt minus apti ſint ad eloquentiam; quo nomine ſe Moſes excuſat apud Deum, cum ipſum mittere vellet ad Pharaonem Ægyptiorum tyrannum: *Obſecro Domine*, inquit, *non ſum eloquens ab heri & nudius tertius. Et ex quo locutus es ad ſeruum tuum, impeditioris & tardioris linguæ ſum.* Erat enim natura ἰσχνόφωνος & βραδύγλωσσος. Philo de vita Moſis: πιστεύων δ' ὅμως παρῃτεῖτο τὴν χειροτονίαν, ἰσχνόφωνον, καὶ βραδύγλωσσον, οὐκ εὔγλωττον αὐτὸν εἶναι φάσκων· καὶ μάλιστα ἀφ' οὗ λεγοντος ἤκουε Θεοῦ. *credens vero nihilominus deprecabatur hanc functionem, cauſatus linguæ hæſitantiam & tarditatem, negansque ſibi adeſſe facundiam, præſertim poſtquam Deum loquentem audierat.* Cuius additionis hanc mox affert rationem; quod humanam eloquentiam cum veri-

rita-

ritate collatam, meram infantiam & vocis priuationem duceret.

Erat igitur Moſes, vt dixi, minus expedito ſermone ob linguæ hæſitationem: quod vitium melancholicis familiare eſſe notat Philoſophus. Dicitur autem ἰσχνοφωνία cum loquens alteram alteri ſyllabam cito iungere non poteſt, auctore eodem in problemate 30. ſectionis 11. Cauſam cur obnoxii huic vitio ſint melancholici, aperit his verbis: ὅτι τὸ τῇ φαντασίᾳ ἀκολουθεῖν ταχέως τὸ μελαγχολικὸν εἶναί ἐστιν· οἱ δὲ ἰσχνόφωνοι τοιοῦτοι· προτερεῖ γὰρ ἡ ὁρμὴ τοῦ λέγειν τῆς δυνάμεως αὐτοῖς, ὡς θᾶττον ἀκολουθούσης τῆς ψυχῆς τῷ φανέντι. id eſt, *Quia propere ſequi imaginationem idem eſt quod eſſe melancholicum. Sunt autem tales procul dubio qui lingua hæſitant: quippe impetus dicendi præuertit facultatem, dum viſis anima obſequitur.* Id autem accidit melancholicis magis quam aliis, quia ex proprietate atri humoris minus eorum anima eſt propenſa & diſſipata in ſenſus exteriores, & præterea imaginatione valent. Quo fit vt vigilantes cogitabundi ſint, in ſomnis vero egregii ſomniatores, & multa per inſomnia rerum futurarum præſentiant, Ariſtotele teſte in lib. de diuinatione per ſomnum.

Nec immerito aliquis habitus melancholici in eodem Propheta argumentum putet, quod quadraginta dies abſque cibo permanſit incolumis in monte Sinai. Tametſi enim diuina virtute

ſuſten-

ſuſtentatum fuiſſe facile credo; non tamen omnino negandum, quin aliquid fuerit in corpore eius, quo ad tam longi ieiunii patientiam naturaliter iuuaretur. Non deſunt autem ex naturæ indagatoribus, qui hanc etiam nigri humoris proprietatem putent, vt homines diu ſine cibo conſeruet: propterea quod corporis materiam vi propria denſat; quo modo etiam non parum ad vitam diu protrahendam conferre creditur, quod humorem quo ſuſtentatur vita cito diſſipari non ſinat.

Et de Moſe hactenus. Veniamus ad Eliam. Hunc etiam inſigniter melancholicum cum mores eius & ὀρειβασίαι indicant, qui in locis ab humano commercio remotis, ignotis ſcilicet montibus & iuxta torrentes, libenter habitabat; tum ex corporis eius habitu colligi poteſt; quem auctor librorum qui Melachim, hoc eſt, *regnorum* inſcripti ſunt, in 4. cap. 1 ſic depingit: *vir piloſus, & zona pellicea accinctus renes.* Maxima autem pars melancholicorum tali eſt corporis habitu; quibus ſcilicet larga ſubeſt fuliginoſi excrementi copia ex ſanguinis aut bilis aduſtione. Galeno enim teſte in 2 de Temperamentis, proprie is melancholicus eſt, qui a natura calidius & ſiccius temperamentum nactus, poſtea ætatis progreſſu, mutato calido in frigidum, frigidus & ſiccus euaſit. Quale temperamentum pilis multis gignendis eſſe opportunum ſciunt periti rerum naturalium

Con-

Conſequens eſſet, vt quando non vna eſt humoris atri in corpore humano ratio, explicaretur quid μελάινης χολῆς *bilis atræ* nomine in eo problemate intelligi velit Ariſtoteles: quæ item facultas ſanguini ſpiſſo & ex aduſtione nigro inſit ad mentis præſtantiam; ſed hæc cum paucis verbis explanari non poſſint, rectius in aliud tempus differentur: nam proprie ad tractationem de ingenio humano pertinent, quam in ſcriniis habemus, edituri ſi Deus otium & vitam nobis producet. Modo nobis, quod eſt oſtenſum, ſufficiat, homines tali temperamento & humore idoneos reddi ad altiores mentis functiones obeundas, e quibus vna eſt vel diuiniſſima futurorum euentuum cognitio. Sed & habemus ex verbis Philoſophi allatis ex problemate illo ſect. 30. natura melancholicam fuiſſe Sibyllam, & Bacidem, & alios priſcos vates, quod is humor, qui in melancholicis temperamentis præualet, ſpiſſus & terreſtris exiſtat, ideoque maiorem in modum incaleſcere aut frigeſcere poſſit. Cum enim accenditur, magna vis halituum ex ipſo velut e foco tolluntur in cerebrum, qui ſpiritus animales calore & ſiccitate illuſtrant; ex quo ſplendor ille exiſtit ſiccus, tantopere Heraclito commendatus ad ſapientiam parandam.

CAPVT XII.

Non videri, Sibyllam felicioris ingenii ac mentis altioris prærogatiua; sed contrario potius habitu ad id munus vaticinandi adscitam.

SEd fortaſſe aliquis opponat, non hac ratione opportunam fuiſſe vaticinio Sibyllam, ſed contraria potius, nempe ingenii ſimplicitate & ſtupore, quo interdum contingit fatuos diuinare. Ita enim Apuleius diuinationi aptiores cenſet pueros in Apologia prima, propter eorum ſimplicitatem & imperitiam; qua fit vt minus eorum animus rerum exteriorum ſenſu abſtrahatur à contemplatione rerum futurarum. *Quin & illud* (inquit) *mecum reputo, poſſe animum humanum, & puerilem præſertim ſimplicemque, ſeu carminum auocamento, ſiue odorum delinimento ſoporari, & ad obliuionem præſentium externari: & paulisper remota corporis memoria redigi ac redire ad naturam ſuam, quæ eſt immortalis ſcilicet & diuina, atque ita quodam ſopore futura rerum præſagire.* Videtur autem hæc opinio profecta ab Ægyptiis, qui, vt Plutarchus auctor eſt in lib. de Iſide & Oſiride, pueros omnes diuinos eſſe arbitrabantur, poſſe reuelare occulta, atque etiam quæ poſt futura ſunt. Quin omnes eorum actiones

ac

ac verba, vt signa ac præsagia futurorum obseruabant. Idem testatur Porphyrius in epistola ad Anebonem Ægyptium sacerdotem: ὅτι πάθος ψυχῆς αἴτιον τῆς μαντείας, τεκμήριον, τὸ μὲν δὴ καταλαμβάνεσθαι τὰς αἰσθήσεις, καὶ οἱ προσενεχθέντες ἀτμοὶ αἵ τε ἐπικλήσεις· καὶ εἶναι μὴ πάντας, ἀλλὰ τοὺς ἁπλουστέρους καὶ νέους ἐπιτηδειοτέρους πρὸς αὐτήν. id est: *Quod animæ affectio sit causa diuinationis, multa argumento esse possunt: primum quidem sensuum occupatio & interceptio; deinde qui prius efferuntur vapores* (e suffitu certorum odoramentorum) *atque etiam inuocationes; tum quia non omnes huic opportuni sunt, sed qui simpliciore sunt ingenio & ætate rudes.* Tametsi de pueris mox dubitare videtur idem Apuleius sequentibus verbis: *Verum enimuero vt ista se habent, si qua fides hisce rebus impertienda est, debet ille nescio qui puer prouidus (quantum ego audio) & corpore decorus atque integer deligi, & animo solers, & ore facundus: vt in eo diuina potestas quasi bonis ædibus diuersetur, si digne tamen ea pueri corpore includitur.* Verum quod ingenii solertia non requiratur in homine ad vaticinandum, confirmat Plutarchus Pythiæ exemplo in libro cui titulus est περὶ τοῦ μὴ χρᾶν ἔμμετρα νῦν τὴν Πυθίαν, id est, *de hoc quod Pythia nunc oracula versibus non reddat.* Quo loco de eius puellæ conditione & ingenio quæ ad id munus eligeretur, tradit. Non enim in ampla domo ortam, & disciplinis educatam, & animo elatam,

 sed

ſed in pauperum agricolarum tuguriis educatam mulierculam ſine arte, ſine experientia, denique omnino rudem & intactam animo vt corpore, produci ad oraculum ſolitam dicit: qualem vult ſponſam Xenophon in mariti domum deduci, quæ minimum rerum viſu & auditu vſurpauerit. Ita enim loquitur: τραφεῖσα δὲ ἐν οἰκίᾳ γεωργῶν πενήτων, οὔτε ἀπὸ τέχνης οὐδὲν, οὔτ' ἀπ' ἄλλης τινὸς ἐμπειρίας καὶ δυνάμεως ἐπιφερομένη κάτεισιν εἰς τὸ χρηστήριον, ἀλλ' ὥσπερ ὁ Ξενοφῶν οἴεται δεῖν ἐλάχιστα τὴν νύμφην ἰδοῦσαν, ἐλάχιστα δὲ ἀκούσασαν εἰς ἀνδρὸς βαδίζειν, οὕτως ἄπειρος καὶ ἀδαὴς ὀλίγου δεῖν, ἀπάντων καὶ παρθένος ὡς ἀληθῶς τὴν ψυχὴν τῷ Θεῷ σύνεστιν.

Sed & Ariſtoteles in libro de Diuinatione per ſomnum, genus illud vaticinii τοῖς τυχοῦσι καὶ οὐ τοῖς φρονιμωτάτοις, hoc eſt, quibuslibet potius quam prudentiſſimis contingere, teſtatur; cujus diſcriminis mox cauſam his verbis ſubdit: ἡ γὰρ διάνοια τῶν τοιούτων (τῶν τυχόντων) οὐ φροντιστική, ἀλλ' ὥσπερ ἔρημος καὶ κενὴ πάντων, καὶ κινηθεῖσα κατὰ τὸ κινοῦν ἄγεται. id eſt, *Horum namque cogitatio minus curis interpellatur, ſed tanquam deſerta & vacua omnibus, ſi quid extrinſecus moueat, promptius ſequitur.* Neque porro alia cauſa fieri cenſet, vt mente externati & furentes vaticinentur, ſequentibus verbis: τοῦ δ' ἐνίους τῶν ἐκστατικῶν προορᾶν, αἴτιον, ὅτι αἱ οἰκεῖαι κινήσεις οὐκ ἐνοχλοῦσιν, ἀλλ' ἀπορραπίζονται· τῶν ξενικῶν οὖν μάλιστα αἰσθάνονται. *Quia ſcilicet minus*

nus propriæ motiones & curæ turbant, sed longe proiiciuntur. Quo fit vt magis quodcumque motus extrinsecus accidit sentiant. Atque hæc diserta quidem eo loco Aristotelis sententia est, magis aptos esse ad præuidendum futura resides animos & curis vacuos, quam agiles & propriis curis inquietos. Cui tamen (vt obiter dicam) parum quadrant, quæ mox sequuntur: καὶ τοὺς γνωρίμους περὶ τῶν γνωρίμων μάλιστα προορᾶν συμβαίνει, διὰ τὸ μάλιστα τοὺς γνωρίμους ὑπὲρ ἀλλήλων φροντίζειν. *Et familiares de familiaribus maxime præuidere accidit, quia maxime inuicem de his quæ ad alterutrum pertinent solliciti sunt.* Nam priori sententiæ consequens esset, quorum res vnicuique magis curæ sunt, & cogitationi sæpius obuersantur, minus posse eos futura de iisdem præsentire animo & præcipere: si quidem cura & cogitatio quorumdam animæ obstat, quo minus de aliis nondum existentibus præuideat quam in partem cadant. Neque enim quia hæc & illa ad eosdem familiares pertinet, minus propterea obstet præsentium cognitio, eorum quæ futura sunt præuisioni; si quidem hæc non minus ignota & aliena esse liquet, vtpote quorum nullum prorsus in nobis principium aut signum habeatur.

Sed hac difficultate in aliud tempus reiecta, hoc quod manifestum est in sententia Aristotelis contemplemur. Nempe homines simplici corde, neque humanis rebus intentos, item furen-

tes, quam mentis compotes aut propriis curis occupatos, aptiores esse ad diuinandum; quod in his interni motus externis non obstent. Hanc enim esse Aristotelis sententiam palam est. Quid igitur hinc sequatur considerare operæ pretium est, si genuinam Aristotelis sententiam de vera diuinationis siue prophetiæ causa assequi volumus. Cum enim fateatur, ξενικοὺς, hoc est, externos esse motus eos qui animam diuinantium impellunt & futuri compotem faciunt: quærendum est profecto, quinam sint ii motus peregrini, & quæ horum causa. Quid igitur rationi magis consentaneum magisue promptum dictu, quam Deum aut Dæmones horum motuum animæ externorum esse causam? profecto nihil. Verumtamen si physica tractans Aristoteles talem affectionis naturalis (quod genus somnia sunt) causam afferret, parum propositi memor videretur: nihil enim physicus in causis reddendis afferre debet, quod naturalis contemplationis metas excedat; quod faceret, si naturalis affectionis causam propriam Deum aut dæmonum quempiam faceret. Deum quidem totius naturæ ambitum transcendere palam est, tametsi via naturali cognosci potest. Dæmones autem an sint nec ne, nulla naturali inuestigatione inueniri potest: cum nulla ex iis, quæ in natura apparent, ratio nobis suppetat, qua tales in vniuerso naturas existere credamus. Hæc considerans Philosophus, satius putauit quiduis mo-

do

do naturale hic afferre, quam ad Deum natura vniuersa superiorem, aut naturæ ignotos Dæmones confugere: tametsi istud quod proponit pro causa diuinationis quæ in somnis contingit, minus perspectum & exploratum esse intelligeret. Censet igitur, eorum quæ aliquis non nimium distans proponit facere, notitiam posse imprimi animo alterius per somnum: dum ille cogitans aliquid negotii agere, tali cogitatione quosdam in corpore suo motus excitat, qui statim vicino aeri impressi, & deinde remotiori, vsque ad somniantem propagantur: quibus anima eius impulsa species proposito negotio congruentes & eius indices effingat: hos vero motus noctu magis quam interdiu, a dormientibus quam vigilantibus percipi. Atque id probabilius iudicat, certe naturalis philosophi instituto magis accommodatum, quam εἴδωλα, imagines siue spectra; quæ Democritus eorum quæ in somnis apparent causas statuebat. Hanc autem rationem somniorum diuinorum accuratius tractatam fuisse ab Alexandro Aphrodisæo ἐν τῷ περὶ δαιμόνων testatur Simplicius in commentario: in quo libro de Dæmonibus non dubium est quin magnus ille Peripateticus eorum, qui Dæmones esse dicunt, sententiam impugnaret, iis autem quæ ad probandum Dæmonum existentiam vulgo afferri solent, responderet. Verum is liber non mediocri philosophiæ iactura aut prorsus intercidit, aut alicubi abstrusus cum situ & blattis luctatur.

 Cæ-

Cæterum quod hæc ratio non sufficiat, hinc quiuis intelligat, quod non possit extendi ad omne genus somniorum diuinorum: quoniam eiusmodi sunt in eo genere præsensiones, quæ iis motibus, quos ibi causatur Aristoteles, adscribi nullo modo possint: vt si quis Lutetiæ cum sit, de iis quæ Constantinopoli aut Bactris euentura sunt, certas in somno videat imagines. Quale genus somniorum interdum existere, ipsemet fatetur Aristoteles, neque humanæ esse coniecturæ, talis diuinationis causam assequi. Non igitur negat harum rerum quasdam præuideri posse in somnis, sed causam cur præuideantur, non posse a nobis inueniri, cum humanæ mentis captum superet. Quod tamen huius aliqua sit causa, non negat: nihil enim fit sine causa: aut igitur Deus, aut aliqua alia causa earum quæ sunt in natura. Cæterum harum nullam εὔλογον, rationi consentaneam & probabilem afferri posse fatetur: ergo Deus eius causa existat diuinationis ipsiusmet Aristotelis confessione oportet. Hanc confessionem habemus expressam hisce verbis: *ἀφαιρεθείσης δὲ τῆς ἀπὸ τοῦ θεοῦ αἰτίας, οὐδεμία τῶν ἄλλων εὔλογος εἶναι φαίνεται αἰτία.* i. e. *sublata vero quæ penes Deum est causa, nulla aliarum conueniens esse videtur.*

Cur ergo postea dicit, causam qua aliquis præuidet quæ ad columnas Herculeas & Boristhenem fiunt, inuenire maius putandum quam capiat humanæ coniectura mentis? ὑπὲρ τὴν ἡμετέραν

τέρων εἶναι δόξειεν ἂν σύνεσιν, εὑρεῖν τούτων τὴν ἀρχήν. *supra nostram prudentiam esse videatur, horum inuenire principium.* Respondeo, duplex esse principium siue causam: vnum quod cadit sub ordinem naturæ, & est determinatum; alterum quod est supra omnem naturæ ordinem. Est autem Deus istud principium, quatenus agit præter naturæ ordinem, vt cum idiotæ animo imprimit notitiam rerum futurarum, & alia mutanda efficit: quæ Græci *ἄτοπα* vocant, non quia falsa aut absurda, sed quia horum satis idonea & euidens ratio reddi non potest. Quo pacto Plutarchus in Dione eorum opinionem, qui spectra dæmonum nonnullis apparere interdum censent, *ἀπόστατον λόγον* appellat: non, quod non credat esse dæmones, sed quia ad probandam eorum existentiam nulla satis idonea in natura ratio suppetit. Proinde & omnia hæc licet negari omnino non possunt, captum tamen humanæ mentis excedere dicuntur, quia qua lege naturæ, quo ordine contingant, nulla ratione ostendi potest. Idem de fortuitis dicendum, quæ nec ipsa quamobrem fiant ulla ratione constitui potest, cum tamen nemo multa eiusmodi accidere neget. Est enim fortuna causa omnino, verum vt idem Aristoteles affert in 2 Physic. *ἄδηλος ἀνθρωπίνῃ διανοίᾳ, ὡς θεῖόν τι οὖσα καὶ δαιμονιώτερον.* Quod licet ex quorumdam opinione affert, non tamen improbat: non enim refellit, vt alia quæ in hominum opinionibus falsa & absurda iudicat.

Sic neque a nonnullis quæ in locis remotissimis geruntur, præuideri in somno aliquando plane inficiatur, sed rationibus a natura depromptis explanari posse. Ita quod dictum est, si talia somnia a Deo mittantur, sequi, vt potius sapientibus, quam idiotis & insipientibus mitti oporteat, contra quam fieri obseruatum est, obiectio est quidem & difficultas, sed quæ animos potius suspendat, quam fidem rei compertæ detrahat: quam tamen ibi vt alienam a naturali contemplatione non soluit; nisi huius solutionem esse putamus, quod homines rudes magis pateant iis qui foris accidunt motibus, quam eruditos & sapientes, qui propriis cogitationibus occupantur, atque ita implentur, vt externis diuinisque impulsibus locum non relinquant, quemadmodum supra visum est. Nos autem supra aliam etiam rationem e diuinis scripturis accersiuimus, quod Deus quæ supra naturæ ordinem & mentis captum hominibus confert, nolit naturalibus causis & ingenio cuiusque assignari. Hinc enim est illud Christi in Euangelio: *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc a prudentibus & reuelasti paruulis.* Idem dicendum de afflatu diuino, quo indocti etiam & alioqui animo non valde perspicaces magis quam docti & sapientes mouentur.

Hæc autem paulo latius differere visum est, vt eorum errori occurram, qui locis quibusdam Aristotelis decepti putant non aliam hunc diuinatio-

nationis Sibyllæ & aliarum vatum causam agnouisse, præter animi inflammationem a bilis atræ motu prouenientem. Quod enim altiorem & diuiniorem in his causam prospexerit, cum ex his quæ modo exposui intelligi potest, tum maxime ea loca eiusdem indicant quæ in mea dissertatione de furore poetico proposui eruditis perpendenda, & ipse expendi & explanaui; quibus locis ostendi, Aristotelem de causis diuinationis non dissentire a Platone, vt vulgo creditur.

Quæ cum ita sint, nihil est quod nos cogat credere, aut Pythiam altioris ingenii prærogatiua meruisse cortinæ Apollinis admoueri & ascendere tripodem, aut Sibyllam naturæ præstantia electam quæ mundum oraculis impleret: tametsi præstantiore hanc natura fuisse negari plane non potest, & magnitudinem ingenii esse gradum quo ad diuina ascenditur supra ostendimus. Sed tamen vt quod sentio eloquar, probabilius mihi videtur, superbum Dæmonem, quod alias solet, hic quoque Dei opera voluisse imitari, immo cum illo, vt est eius ambitio & furor, contendere, vt quantum facultatis haberet ad deprehendenda futurorum contingentium arcana, in rudi & socordi potissimum muliercula ostendere vellet. Quem zelum æmulandæ maiestatis diuinæ cum olim in Ægypto, vt in Exodo legitur, memorabili exemplo ostendisset, tunc cum maleficos & ariolos coram Pharaone rege Mosi opposuit, qui eadem quæ ille prodigia ederent; tum etiam

etiam in cultorum suorum sacrificiis aliquando non minus aperte declarauit. Cum enim Deus apud Hebræos interdum cælitus demisso igne aris impositas victimas consumeret, vt variis scripturæ locis legimus: idem a superbo dæmone factum Plutarchus in Pauli Æmilii vita testatur: ἔτι δὲ καὶ τὸ περὶ τὴν θυσίαν σύμπτωμα δαιμόνιον ἦν ἐν Ἀμφιπόλει θύοντος τοῦ Αἰμιλίου, καὶ τῶν ἱερῶν ἐνηργμένων κεραυνὸς ἐνσκήψας εἰς τὸν βωμὸν, ἐπέφλεξε καὶ συγκαθήγισε τὴν ἱερουργίαν. id est: *Præterea mirandum prorsus & numini adscribendum circa immolationem prodigium accidit in vrbe Amphipoli, Æmilio rem diuinam faciente: nam fulmen in aram incidens sacrificium incendit & consecrauit.*

Hæc de Dæmonis nequitia, qua Dei affectat similitudinem & opera eius imitatur, quo pertineant, quoue consilio a me afferantur, magis patebit cum de Sibyllæ raptu & translatione in varia terrarum loca dicemus. Sint igitur hæc ita posita, vt fundamentum eorum quæ tunc dicentur. Nunc reliqua, quibus magis apti homines ad diuinandum creduntur, exequar.

CAPVT XIII.

Num & cælum nascentibus aliquid inspiret, quo fiant apti ad diuinandum.

HActenus de ingenii magnitudine & temperamen-

menti conditione, tum vulgata bilis atræ ad mentem incitandam opportunitate pro instituto dictum est: decet autem omnia in natura circumspicientes quæ ad diuinationem facere creduntur, in cælum etiam oculos tollere, ac siderum positus contemplari, num & ex his aliqua descendant ad hanc de qua agimus functionem opportuna. Quod si verum est, non alienum fuerit & hanc quoque naturæ opportunitatem ad alias supra memoratas in ortu Sibyllæ adiunctam putare. Tametsi igitur nullam censemus ingenii humani facultatem, ad eam quæ facit vates, virtutem pertingere posse: cum tamen probatum sit, Deum vt naturæ auctorem, & suauiter omnia disponentem in vniuerso, vim suam libenter accommodare hominum naturis atque aliarum rerum quibus vtitur; absurdum videri non debet, eundem & siderum viribus & dispositione, cuius & ipse auctor est, vti aliquando, immo sæpius, ad conciliandas sibi hominum mentes, & vaticinio illustrandas; si quidem huiusmodi vim cælo inesse aliqua probabili ratione ostendatur.

Ac de cæli potestate in hunc mundum inferiorem omnibus notum esse arbitror, vt sit ineptus qui verbis probare studeat quod rerum perspicuis documentis experientia vel tardissimis ingerit. An autem ex his quæ cælo in hæc caduca delabuntur aliquid in hominum animos redundat? quidni? cum & mores huic configurari,

rari, tum miras naturis hominum singularium innasci proprietates non infimi subsellii philosophi fateantur. De moribus quidem Scaliger in exercitatione 274 hunc in modum: *Odium, inuidia, auaritia, contemptus, fastidium, maledicentia, fraudulentia, furacitas, proditio in omni temperatura cum inueniatur, non potes accipere pro causa temperaturam. Nam cuius caloris aut humiditatis mancipium erit falsarius aut incestus?* Et mox: *Hæc atque talia potentiæ siderum attribuamus, quæ non cogit quidem voluntates nostras, at temperaturas pingit eiusmodi proprietatibus, quarum causæ nullis indagationibus ab humano ingenio possunt erui.* Sic autem ibi idem de animorum propensionibus: *Vestiga quibus vales viribus, (vales autem plurimum) non alia ratione horum inuenias affectuum causas, quam quo temperamento sit chymista, præstigiator, rabula, faber. Sunt enim non solum ad vitia virtutesque, sed etiam ad artes ipsas habitus atque propensiones. E mediis Alpibus descendet in oceanum futurus nauta. Venetus meditabitur equitationem.* Si hæc ab astris, cur non & diuinatio? Non quidem vt hanc principalem huius causam statuamus cum Cardano, sed vt præparationem cum Pomponatio. Hic in libro quem de incantationibus conscripsit, cap. 12. duas in Sibylla fuisse agnoscit præparationes: vnam ab astris in ortu illi impressam: alteram temporariam quæ priori illi certis temporum articulis accedat, motum scilicet atræ bilis, de quo

su-

ſupra; cauſam autem præcipuam Deum & intelligentias cæleſtium orbium motrices in corpore feminæ illius ſic probe apparato agentes, dæmonibus reiectis, quos a dogmate Ariſtotelis alienos cenſuit. Ita aliorum argumentis reſpondens diſputat: *Ad tertiam autem difficultatem, in qua quæritur de illa diſpoſitione per quam vates, Sibyllæ, & dæmoniaci tam admirabiles faciunt operationes, dicitur primo, tales homines vt in pluribus ex ſua genitura eſſe taliter diſpoſitos: quare eam contraxere ex principiis generationis, verum ſatis remote & in potentia: quare cum actu vaticinantur, præter illam remotam habent aliam propinquam diſpoſitionem, vt manifeſtum eſt ex Sibylla a Virgilio memorata in ſexto Æneidos: niſi enim Deo impleretur & fureret, reſponſa non dabat. Hoc autem erat ex illa diſpoſitione propinqua, per quam habilitantur ad ſuſcipiendos diuinos afflatus, cum actus actiuorum ſint in patiente diſpoſitio. Et inde prouenit, vt non ſemper tales vates vaticinentur, cum non ſemper ſint diſpoſiti; & aliquando magis, aliquando minus, ſecundum meliorem paſſi diſpoſitionem, vel corporum cœleſtium. Diuerſitas namque ſituum, vtpote coniunctionum vel appoſitionum, in eiusmodi effectibus multum diuerſificat effectus.*

Hæc magnus ille Peripateticus de cauſis diuinationis, ſatis vt apparet congruentia principiis Ariſtotelis; ſed quæ tamen ad legitimæ demonſtrationis dignitatem non adſpirant, quia minime

me ad omne vaticinii genus quod numinis afflatu constat, accommodari possunt. Patet enim accuratius contemplanti non habere hæc locum nisi in iis qui natura sunt propensi ad vaticinandum; quo in numero Sibyllam fuisse scimus: at non ad Pythiam hæc quisquam pertinere concedat, qui sacerdotis illius a Sibylla discrimen nouerit: neque porro ad alium quemcumque semel in vita aut admodum raro vaticinatum constet: vt de multis proditum est. Nam & quosdam per grauium ægritudinum accessiones in furorem conuersos, quæ nemo nisi vates scire posset, adstantibus renuntiasse proditum est: vt de quodam phrenetico Augustinus testatur lib. 12. de Genesi ad literam cap. 17. qui presbyterum ad se vocatum e duodecim millium interuallo præsentiebat, loca quæ transiret singula referebat, quantum appropinquaret, & quum villam ingrederetur, quum domum, quum cubiculum, donec in conspectu eius adstaret. Idemque alteri eodem morbo laboranti accidisse refert, vt quod futurum esset certo prædiceret. *Nouimus etiam*, inquit, *sine dubitatione, phreneticum futuram mortem cuiusdam feminæ prædixisse; non sane specie diuinandi, sed tanquam factum ac præteritum recolentem. Nam cum eius apud eum commemoratio fieret; mortua est, inquit, ego eam vidi efferri; hac cum eius corpore transierunt, cum illa incolumis viueret. Post paucos autem dies repente defuncta & per eum locum elata est, qua ille prædixerat.*

His

His tertium addit exemplum pueri ægrotantis non minus mirabile, cui per ecstasim hominum species oblatæ remedia aduersus morbi intolerabiles cruciatus indicarunt, quibus vsus perfecte conualuit. Atque his diuinationem eiusmodi, tanquam morbi symptoma fuisset, cum morbo euanuisse ex eodem Augustino discimus. Ex quo sane intelligitur, hos natura vates non fuisse: si quidem casu & temporario alienatæ morbo mentis impetu.

Quod autem nec Pythia in eorum vatum numero esset quos nascendi conditio facit, facile ostendi potest: cum enim non aliter nisi tripodi insistens, & erumpentis e specu spiritus vi externata vaticinaretur; rudes autem & ignotæ virgines ex agris, vt dictum est, euocarentur & tuguriis agricolarum, quæ eo munere fungerentur: non tamen apparet quo potissimum indicio cuiusque indolem distinguere possent, vt quæ propensa esset ad diuinationem, quæ minime, constaret. Quæ igitur simplex maxime & tranquilla videretur moribusque incorrupta, hanc citra aliam disquisitionem eligebant; quod iis persuasum esset, vnam præparationem sufficere ex halitus proprietate, quæ ex antro Delphico erumpebat. Non igitur in omnibus duplex, vt voluit Pomponatius, præparatio fuit necessaria: vna ab astris, altera quæ temporario quopiam motu constaret.

Nunc quæ astra potissimum dominari opor-

teat in eius qui futurus sit vates genesi, ex Ptolemæo, Firmico, & aliorum astrologorum libris petendum est: sed & a Cardano, qui eiusdem disciplinæ peritissimus fuit. Quæ igitur de cælesti ratione diuinationis Sibyllæ & Pythiæ Delphicæ sacerdotis affert lib. 14. cap. 68. de varietate rerum, adscribere haud grauabor. *Apollinem, cum nondum an Dæmones sint constitutum sit, causam dicere haud conuenit. In cæli vim igitur si referas, omnibus satisfaciet. Nam & antro & virgini, quia vates futura erat, Veneris cum Sole vis atque Saturno dominabatur. Vnde & veridicæ vates carmine oracula solebant edere: & nomen vatis a diuinis ad poetas translatum est: ita fit vt cum vis esset cælestis, vt mutata virgine veritas major vel minor in oraculis reperiretur: & mutatis etiam temporibus vt tandem vis illa consenuerit: eadem quoque virgo ex diuersa astrorum constitutione variam in oraculis edendis claritatem, veritatem, & elegantiam carminis ostenderet. Venerei igitur astri apte collocati vis hæc fuit. Et vt melius collocabatur in virginis genesi & in antri initio, ita omnia rectius succedebant. Componebatur igitur oraculum ex tribus: vi terræ quæ agitabat mentem: & vi cælesti in puella: & vi cælesti in antro. Cum enim in penitiora antri ingrediebatur, vapor ille in ecstasim deducebat vigilantem. At ecstasis vigilans, etiamsi casu contingat, diuersa in astro ostendit: quæ in Pythia ab astro in veritatem & ea quæ ventura erant dirigebantur.*

Cla-

Clara hæc Cardani verba, neque explicatione egent: nimirum ex tribus planetis, Venere, Joue, Saturno deducit indolem vt Sibyllæ sic & Pythiæ, aliorumque vatum qui natura sunt apti ad vaticinandum. Quod non posse in Pythias conuenire supra ostendimus, quæ nihil poterant nisi e tripode, alias mutæ: quibus proinde etiamsi aliqua vis ab astris in ortu contracta subesset, nulla tamen ratione cognosci posset. Nisi fortasse ex vniuscuiusque horoscopo in figura natali signato id innotuisse dicamus: quod nusquam legitur, & factum putare ridiculum est. Alia ratio Sibyllæ, quam in ipso ortu vaticinatam testatur Proclus loco supra allato: alia & eorum omnium, qui naturalem ad diuinandum propensionem suam frequentibus vaticiniis minime loco vlli alligatam facile probabant.

Sed quicquid sit de astris, quorum viribus qui varias materiis elementorum ex quibus animalia, stirpes, lapides, & alia eiusmodi mixta gignuntur, proprietates imprimi negant, pecudibus potius quam hominibus annumerandos censeo: magnæ mihi esse importunitatis videtur, ne dicam amentiæ, causam eius diuinationis, qua Sibylla & Pythiæ olim vniuersum terrarum orbem in se conuerterunt, a Dæmonibus transferre ad intelligentias; hoc prætextu, quia nondum satis in philosophia constitutum sit, an sint Dæmones. Quasi vero ad eorum existentiæ fidem faciendam non sufficiat omnium consensus gen-

tium & ſapientum ab vltima antiquitate vſque ad hanc ætatem. Quid, inquam, importunum magis & impudens, quam putare mera eſſe figmenta & fabulas, quæ Orpheus, Muſæus, Homerus, Heſiodus de Diis ſcripſerunt? Quæro enim, vnde iis rerum, quæ non ſunt, nomina & tanta tradendi ambitio in mentem venire potuit? Hoc licet incredibile ſit de Poetis illis, quos magnos viros & ſapientes fuiſſe conſtat, multo adhuc incredibilius videatur de Pherecyde, Pythagora, Democrito, Heraclito, Empedocle, Socrate, Platone: qui omnes cum ſuis ſectatoribus Dæmones eſſe confeſſi ſunt, & doctis omnibus vt certas mundi naturas propoſuerunt. Adhuc magis incredibile de hominibus fidem Chriſtianam profeſſis, Cardano & Pomponatio; cum tam expreſſa in vtroque teſtamento loca, quibus Dæmonum fit mentio, habeantur. Quid refert, non ſatis validas philoſophis rationes ſuppetere quibus Dæmones eſſe probentur, vbi tot & tanta de iis ſapientum & prophetarum teſtimonia & auctoritates premunt?

Sed hac omiſſa diſputatione quæ non eſt huius temporis, oſtendendum eſt, non poſſe eos intellectus, quo aſtra in Peripateticorum dogmate reguntur, auctores eſſe oraculorum. Cum enim mentes illæ tanquam formæ Solis, Lunæ, & aliorum ſiderum globos contineant, conſequens eſt vt nullum in his inferioribus effectum dare poſſint, quod cæleſtium corporum virtutem tran-

ſcen-

ſcendat. Solum igitur materiam, qua conſtamus, mutare poterunt; promouere ortus rerum naturalium, & alia id genus gubernare, mentem humanam directe his moueri poſſe nemo dicet. Neque igitur proinde quisquam ſanus concedet, ab iis cuiuslibet rerum naturalium ſcientiam in animam hominis manare, nedum futurorum contingentium notitiam: ſolum ab iis vires poſſe tribui corpori, quibus homines magis apti reddantur ad diuinandum, quod vltro fatemur.

At vero illa mirabilia quæ Plutarchus tradit, ſigna quibus cognoſcebatur tempus eſſe opportunum quo Pythia conſcendere tripodem & oracula edere poſſet, quis vlli cæleſtium corporum diſpoſitioni aut virtuti adſcribat? In his duo occurrunt ſtupenda: primum quidem ſubita laurus Deo ſacræ in ſumma aeris tranquillitate commotio; cuius Callimachus facit mentionem ſtatim initio hymni in Apollinem: (ὅρπηξ

Οἷον ὁ τὠπόλλωνος ἐσείσατο δάφνινος

& nos in poemate quod inſcribitur Codrus expreſſimus:

Veſtibulum ante ipſum ramos pandebat olentes
Laurus docta comas, ſenſuraque vertice moto
Numinis aduentum.

Alterum ſignum non minus prodigioſum Dæmonis præſentiæ refert Plutarchus in libro de defectu oraculorum, his verbis: αἱ δὲ τῶν ἱερείων κατασπάσεις τί βούλονται, καὶ τὸ μὴ θεμιστεύειν εἰ μὴ τὸ ἱερεῖον ὅλον ἐξ ἄκρων σφυρῶν ὑπότρομον γένηται,

νῆται, καὶ κραδανθῇ καταςπενδόμενον; οὐ γὰρ ἀρκεῖ τὸ διασεῖσαι τὴν κεφαλὴν, ὥσπερ ἐν ταῖς ἄλλαις θυσίαις, ἀλλὰ πᾶσι δεῖ τοῖς μέρεσι τὸ σάλον ὁμοῦ, καὶ τὸν παλμὸν ἐγγενέσθαι μετὰ ψόφου τρομώδους. ἐὰν γὰρ μὴ τοῦτο γένηται, τὸ μαντεῖον οὔ φασι χρηματίζειν, οὐδ' εἰσάγουσι τὴν Πυθίαν. *Quid porro sibi vult institutio illa sacrarum virginum, illudque obseruatum, ne prius responsum detur, quam animal immolandum totum vsque ad extremas vngulas tremat & concutiatur, cum libamina illi infunduntur? Non enim satis est caput quassare, vt in aliis sacris, sed cunctis corporis partibus fluctuare & palpitare oportet, cum trepido sonitu. Nisi enim id obseruatum fuerit, oraculum non existimant edendo responso esse paratum, neque Pythiam introducunt.* Quis igitur tales motus tam subitos & inusitatos aut stirpis in aere immoto, aut pecudis nullo metu aut dolore impulsæ ad solum liquoris contactum toto corpore trementis, causæ tam remotæ, qualis intelligentia & cælum mouens, adscribere audeat? Quis spiritus exquisitæ fragrantiæ, & supra omnem odoramentorum suauitatem iucundos, quibus idem Plutarchus, ex adyto Apollinis manantibus, locum in quo interrogantes sedebant responsum expectantes perfundi Solinus refert: cum præsertim is odor neque sæpius neque stato tempore fieret, sed incertis temporum & fortuitis interuallis?

His Plutarchi consona plane quæ Lucanus habet

bet Pharſaliæ lib. 5. de illa loquens Phoebade quæ ab Appio coacta eloqui futura cum ſimularet furorem, his deprehenſa eſt notis:

non rapta trementi
Verba ſono, nec vox antri complere capacis
Sufficiens ſpatium, nulloque horrore comarum
Excuſſæ laurus, immotaque culmina templi.

Quibus patet, non ſolum ſacram laurum ſolitam concuti aduentante Deo, ſed etiam templum ipſum; vt & Callimachus dicto loco, & poſt eum Claudianus initio libri primi de Raptu Proſerpinæ, σεισμὸν exprimens canit:

Jam mihi cernuntur trepidis delubra moueri
Sedibus.

Nec minus horrenda quæ Sibylla Apolline correpta patiebatur: vt videre eſt apud Maronem in ſexto Æneidos notis verſibus. Quibus adde quæ de ſpectris, quibus Dæmon ſuam præſentiam initiatis ſignificabat, (ἐπιφανείας vocabant) dixi in mea diſſertatione de furore poetico. Quis igitur hæc tam monſtrifica præſidenti aſtris intelligentiæ & curſum naturæ regenti adſcribere audeat? Non igitur in his naturæ ordinem & vim, ſed Dæmonis poteſtatem valuiſſe putandum eſt: hoc tamen diſcrimine, quod Sibyllam nihil vetat putare ingenium habuiſſe ab aſtris, hoc eſt, proprietatem, qua Numini ſiue bono ſiue malo magis pateret; quam a teneris ferunt vaticinatam; in Pythia nihil videmus præter temporarium Dæmonis afflatum.

CAPVT XIV.

An aliqua vis & proprietas terræ Sibyllam moueret.

ATque hæc Sibyllinæ indolis a temperamento & astris formatæ consideratio nos ad alteram adfinem non inuitos trahit; data inde occasione quærendi, num & aliis opportunitatibus, quibus Sibyllam ad vaticinandum comparatam fuisse diximus, quædam accesserit terreni halitus proprietas, vt in Pythia existimatum est. In hac namque non minimum valuisse exspirationem Delphici antri, præter auctorem libri de Mundo, qui vulgo Aristoteli tribuitur, Plinius lib. 2. cap. 93. & Plutarchus in libro de defectu oraculorum censuerunt. *Alibi* (inquit ille) *fatidici specus, quorum exhalatione temulenti futura præcinunt, vt Delphis nobilissimo oraculo.* Sed & Lucanus citato loco:

Vt vidit Pæan vastos telluris hiatus
Diuinam spirare fidem, ventosque loquaces
Exhalare solum, sacris se condidit antris,
Incubuitque adyto, vates ibi factus Apollo.

Nota & fabula de oraculi illius inuentione ex Diodoro & Plutarcho. nempe quendam pastorem, cui nomen Coretas, in terræ hiatum, eo loco vbi post oraculum fuit apertum, fortuito delapsum, subito furore insolitas emisisse voces, vicinis accurrentibus, primum pro nihilo, non multo

multo post in admiratione habitas, cum fatidicas fuisse rerum euentu compertum fuisset. Ibi igitur templum Apollini placuisse construi, atque etiam vrbem, cum eo multorum oraculi causa concursus fieret.

Num igitur & halitum eiusmodi subterraneum valuisse in Sibylla putandum est, & propterea sedem elegisse in antris, quo melius tali spiritu frueretur? Sane mirandas terræ variis in locis inesse vires, quas non modo eorum quæ ex se generando profert, proprietatibus, sed & hominum naturis & temporariis commotionibus ostendat, insigni exemplo confirmat Leonicus Thomæus in dialogo qui Trophonius siue de Diuinatione inscriptus est. *An non meministis*, inquit, *miraculi illius, quod superioribus annis in agro Veronensi, non longe a Benaci lacu Alpes versus, vulgo proditum est contigisse? Templum scilicet quoddam diuæ Mariæ eo in tractu dicatum esse, in quo statis diebus quidam terræ excitabatur halitus, qui ædem sacram ingressos homines excitabat adeo & commouebat, vt singulis primum artubus contremiscerent, mox etiam (si diutius permansissent) non sine incondita quadam manuum & ceruicis iactatione incessanter saltarent, neque vllo consistere possent modo. Quod tamen non omnibus accidere dictum est, sed plerisque, quos (vt opinor) exhalans ille spiritus pro habitu quodam corporisque temperamento, solummodo afficere & concitare poterat. Qui postmodum terræ halitus deficienti-*

 bus,

bus, vt par est, causis, illo quo exire cœperat anno euanuisse dicitur; licet idipsum, vt moris est, vulgus imperitorum superstitiosius etiam nunc interpretari non desinat, & supernaturalibus assignare id causis contendat.

Quæ eo libentius adscripsi, vt desinant osores literarum multa eiusmodi quæ in veterum libris leguntur, illumque specus Delphici halitum, fabulis annumerare. Quod ad Sibyllam autem attinet, hanc in antris fere habitasse constat. Cur autem in antris potius ferarum ritu, quam sub tectis humano more degere mallet, aliquam profecto causam fuisse putandum est. An igitur vt terræ halitum mouendæ phantasiæ aptum hauriret? Si Cardanum audimus, nihil potentius: quemadmodum declarat in tertio eorum librorum quos de Somniis composuit cap. 15. Post multarum enim rerum enumerationem, quibus animam censet redigi posse in eum splendorem, quo fiat capax imaginum quibus futura ipsi imprimantur, cæteris vt parum efficacibus reiectis, sic speluncarum ad id opportunitatem commendans subiungit: *Sed nihil certius specubus, in quibus ex halitu terræ longe magis diuersæ species vigilantibus obuersantur, quam somniantibus sine illis. Atque id Aristoteles retulit in libro de oraculis, Plutarchusque.* Quod Aristotelem pro hac opinione & Plutarchum testes citat, de Plutarcho fateor: huic enim sententiæ propalam in libro supra memorato de defectu oraculorum suffra-

ſuffragatur. De Ariſtotele autem & libro eiũs de Oraculis fugit eum ratio: cuius libri eius nomine neque apud Laertium in catalogo operum Ariſtótelis, neque apud alium auctorem fieri mentionem memini.

Sed miſſa hac critice, quæ nihil ad rem pertinet, quod de hac terræ in antris facultate dicitur, an ſit verum, perpendere ſatius eſt. Eſt autem difficile hic aliquid conſtituere quod ſit liquidum; propterea quod non vno modo cauernæ & ſpecus ſubterranei animam ad profundas meditationes adiuuare poſſunt. Nam & ſolitudine & ſilentio tenebriſque ipſis animas non parum attolli atque ali videtur. Quo pacto & ſiluæ meditantibus aptæ cenſentur: Plinio etiam iuniore atteſtante in epiſtolis lib. 1. *Jam vndique ſilvæ & ſolitudo, ipſumque illud ſilentium magna cogitationis incitamenta ſunt.* Idemque alibi *mire animum ali tenebris* dicit. Neque immerito; quando his maxima cogitationis impedimenta remouentur, ſpectacula externorum viſibilium, & quicquid ſonis & vocibus importunis obſtrepit. Addit Marſilius Ficinus admirationem, quam locorum ſubterraneorum ſeceſſu excitari cenſet lib. 13. Theologiæ Platonis; quo loco ſeptem vacationis genera diſtinguit, & *vacationis* nomine intelligit animi a ſenſibus & corporeis rebus abſtractionem. In his igitur & admirationem antrorum horrore excitatam ponit, hacque ratione adductam Sibyllam in antra diuer-

tiſſe

tisse ad captandum numinis afflatum: *Sibyllæ* (inquit) *& Pythiæ sacerdotes, cum secederent in Iouis aut Apollinis antrum, vbi numen ipsum adesse credebant, tanto admirationis venerationisque stupore de majestate numinis cogitabant, vt sensus, phantasia, ratioque actus suos illico prætermitterent. Tunc mens soli exposita numini, siue Deus ille fuerit, siue Dæmon, supernos præsentiebat motus: eos præsertim qui ad ea negotia pertinebant, de quibus nuper deliberauerant.* In id album tali ex causa ariolantium Corybantes adscribit, & Cornelium sacerdotem, de quo Gellius lib. 15. Noct. Attic. cap. 18. Horatius autem lib. 3. ode 25. & Thraciæ mulieres in Bacchi orgiis nimio stupore & admiratione solitudinis in furorem conuerti & bacchari dicit; quo eodem affectu se quoque ad laudes Cæsaris cantandas incitari autumat,

non secus in iugis
Exsomnis stupet Euhyas
Hebrum prospiciens, & niue candidam
Thracen, ac pede barbaro
Lustratam Rhodopen: vt mihi deuio
Ripas & vacuum nemus
Mirari libet.

Quod autem vehemens admiratio ecstasim, hoc est, mentis excessum, vel motionem, vel vt Politianus Miscellaneorum cap. 90. vertit, pauorem inducat, testatur Fracastorius lib. de sympathia & antipathia rerum cap. 20: *Si vero* (inquit) *quod offertur vti ignotum sub ratione offeratur cu-*

ius-

iusdam magnitudinis consueta longe excedentis, sed rei tamen quam per opinionem veneramur & amamus, tunc ecstasis vocata sit, hoc est, mentis phantasiæque excessus quidam ab admiratione, per quam ab omni alia re distracti immotique reddimur & insensitiui: quod maxime iis accidit, qui aut vere sancti sunt, aut sibi ex melancholiis videntur; his enim & angelorum choros & Deos videre apparet. Cum ergo admirationem ad mentis abstractionem vatibus necessariam facere ex his liqueat, morosi animi sit, & supra modum contentiosi, in re tam probabili litigare cum viris doctis, qui eo etiam affectu Sibyllam paratiorem ad diuinandum accessisse dicunt. Non tamen eius admirationis causam per se antrum aut vim terræ crediderim, sed ex accidenti, propter solitudinem, silentium, obscuritatem, quibus animum ad meditandum non mediocriter iuuari in confesso est.

Quod autem ad terræ exspirationem attinet, neque hæc omnino opinio repudianda videtur, quæ nonnullam speluncis vim inesse vaticinio opportunam statuit; ea ratione qua succus melancholicus, qui omnium corporis humorum maxime est terreus, siccus, densus, calore concepto homines reddit amentes & ἐκστατικοὺς, quam proximam esse ad diuinandum præparationem ex Aristotele ostendimus. Quod si illi humori inest ex terræ, quæ in ipso dominatur, proprietate; quanto magis terræ ipsi inesse exi-

sti-

ſtimandum eſt. Hâc conſideratione inductus Iouianus Pontanus in præfatione libri 9. de rebus cæleſtibus, bilem atram, quam egregium ingenii fomitem cenſet, nôn vino, vt Ariſtoteles, ſed terræ comparat. Quem locum, quia egregie ſuperiora confirmat, ipſius verbis adſcribere placet: *Recte igitur putauerunt* (antiqui) *rerum ſemina propter elementorum commixtiones in terra eſſe abſtruſa, venisque illius inſinuata, eaque ab humore deſtillatim irrorata, atque a calore ſenſim ac quam tenerrime fota, animam poſtmodum calefactione ab ipſa ſibi arceſſerent, indeque hæc omnia quæ videntur, quæ ſentiuntur, quæ poſt mente animoque agitantur, proficiſci. Rerum igitur generationi, illorum etiam ſententia, aptiſſima eſt terra; quippe quæ cæterorum etiam elementorum receptaculum ſit, quoddamque quaſi penu. Ex humoribus autem qui in noſtro continentur corpore, immo qui corpus noſtrum conſtituunt, nigrum fel, quæque rectius atra bilis dicitur, terræ eſt quam ſimillima. Atque vt e terra omnia per calorem prodeunt, ipſaque ſeminarii cuiuſdam vicem gerit, ſic nigra e bile, vbi concaluit, tanquam ſeminario e quodam, pullulant tum ſimulacrorum tum cogitationum germina, quæ deinde in hominum ingeniis in agro quaſi quodam fruges ac fructus quam vberrimos proferunt: atque vt terra ipſa varietate quidem vtitur, diuerſas tum herbas, tum arbuſculas, resque alias non vno gignens modo, ſeminum diuerſitatem ac ſucci, qui ſolo ineſt,*

ſecu-

secuta, sic varia etiam hominum proueniunt ingenia, aliis atque aliis artibus exercendis pro bilis ipsius temperamento ac mixtura. Et mox de multiformi atræ bilis natura: "*Quid quod vt quandam esse infinitatem volunt seminum, quæ terræ insunt, sic infinita quoque sunt semina atræ bili naturaliter indita; quæ tametsi ipsa finita sint, commixtione tamen ac temperatura efficiuntur infinita.*

Hæc eo loco Pontanus de atræ bilis facultate, ad omnem cogitationum varietatem, & ingenii præstantiam accommodata; quam facultatem illi inesse censet ex cognatione terræ, cuius plurimum aliorum proportione elementorum in constitutione sua habet. Ex quo aliquis non improbabiliter inferat, halitus illos terrestres, qui e speluncis copiosius quam ex aliis locis erumpunt, nonnihil latentis energiæ animo insinuare ad expediendas altiorum contemplationum ambages, ac noctem etiam discutiendam rerum futurarum. Certe animum huiusmodi exspirationibus, naturam terræ redolentibus, supra modum corroborari, constantiamque ac neruos nancisci ad longam & profundam meditationem, verisimile est. Qua fortasse consideratione impulsus Democritus, vt ferunt, mortuorum monumentis & hypogæis frequenter se abscondebat lucubrandi causa. Et Thucydides, nisi me fallit memoria, item in Thracia exulans ad Σκαπτὴν ὕλην, *Scaptensulam*, historiam suam

bel-

belli Peloponnesiaci composuit. Testatur & de Euripide Gellius lib. 15. cap. 20. his verbis: *Philochorus refert, in insula Salamine speluncam esse tetram & horridam, quam nos vidimus, in qua Euripides tragœdias scriptitauit.* Quibus exemplis complura alia adiungi possunt magnorum virorum, atque etiam nostrorum anachoretarum, qui rerum diuinarum contemplatione excelluerunt. Sed de secessu in antris ad diuinationem hactenus; reliqua Sibyllæ exequamur.

CAPVT XV.

Sibyllæ castitas; an & quomodo virginitas ad diuinandum conferat.

INter alias Sibyllæ dotes hac quoque commendatam inuenimus, quod cum diutissime vixerit, illibato corpore virgo permanserit; quod cum alii tum Aristoteles in eo commentario quem περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων *de admirandis auditionibus* inscripsit, confirmat: ἣν πολυχρονιωτάτην γενομένην παρθένον διαμεῖναι φασιν. Neque omisit Hieronymus in encomio virginitatis, quam aduersus Iouinianum defendit, lib. 1. *Quid referam* (inquit) *Sibyllas*, (ita in plurali numero memorat, quia vulgi opinionem sequitur) *Erythræam atque Cumanam, & octo reliquas: nam Varro decem fuisse autumat, quarum insigne virgi-*

virginitas est, & virginitatis præmium diuinatio. Quin & propriam virginitatis diuinationem sequentibus verbis sciscit: *Quod si Æolici genere sermonis Sibylla θεᾶ βουλή appellatur, recte consilium Dei sola scribitur nosse virginitas.* Sane propius ad Deos accedentibus & sacra tractantibus bene conuenire castitatem animi & corporis, ipsorum etiam moribus Ethnicorum patet, quorum in legibus primum hæc locum obtinet: *Ad Diuos caste adeunto;* vt videre est apud Ciceronem libro de Legibus secundo. Vnde Tibullus lib. 2. elegia 1.

Vos quoque abesse procul iubeo, discedite ab aris
Queis tulit hesterna gaudia nocte Venus.
Casta placent superis: pura cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.

Hinc *casti* sacerdotes apud Maronem in sexto Æneidos,

Quique sacerdotes casti, dum vita manebat.

Vsque adeo vt Hierophantæ, ne vnquam peccarent, sibi libidinem cicutæ extinguerent. Tametsi in voto continentiæ gradus Tertullianus notat in libro de Monogamia: *Fortunæ muliebri* (inquit) *coronam non imponit nisi vniuira, sicut nec matri Matutæ. Pontifex Maximus & Flaminica nubunt semel. Cereris sacerdotes, viuentibus etiam viris & consentientibus, amica separatione viduantur. Sunt & quæ de tota continentia iudicent nos virgines Vestæ, & Iunonis Achaicæ, & Dianæ Scythicæ, & Apollinis Pythii. Etiam bouis illius Ægy-*

ptii antistites de continentia infirmitatem Christianorum iudicabunt. Cassandram & Chryseidem vates Apollinis, addit Hieronymus dicto loco.

De Pythiis vatibus, quod virgines esse oporteret, quæ admouerentur oraculo, ex iis quæ supra ex Plutarcho attulimus, colligi potest: ad hoc scilicet munus expetitas in primis agricolarum filias, illibatæ virginitatis prærogatiua, quam rusticis puellis magis constare quam vrbanis & diuitibus arbitrabantur. Cumque initio esset mos puellas eligi; post tutius visum est & populorum interdicto sancitum, ne iuniores amplius eo officio fungerentur, postquam ex iis vnam ab Echecrate corruptam fuisse compertum est. Cur autem castas & virgines esse oporteret quæ tripodi admouerentur, ratio in promptu est. Quam enim potius societate & alloquio dignetur Deus, quam castam, cuius anima minus corpori immersa, minus sensui conglutinata? Qualis profecto earum est, quæ sancte virgines sunt, non modo corpore, sed & animo, neque coguntur seruire voluptati; quæ, vt Plato ait, mentem corpori velut clauo affigit. Quamobrem Apostolus iis quæ Deo religiosius vacare cupiunt, virginitatem consulit in priori ad Corinthios: *Et mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt: vt sit sancta & corpore & spiritu; quæ autem nupta est cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Hinc & Christi spadones, vt Tertullianus vocat, qui se diuinorum amore castrant. Pulchre igitur Seruius ad

hos

hos Maronis verſus lib. 2. Æneidos:

Dixerat: (Venus) *& ſpiſſis noctis ſe condidit vmbris.*
Apparent diræ facies, inimicaque Troiæ
Numina magna Deum.

Eſt etiam (inquit) *theologica ratio: quia ignorantes vſum Venereorum videre dicuntur & numina; vnde nunc merito poſt Veneris abſceſſum numina vidiſſe dicitur Æneas.* Elegans, ita me Deus, ſententia & vera; tametſi de expoſitione (vt obiter dicam) ambigi poteſt, an huic Maronis loco congruat, qui paulo ante Venerem inducit Æneæ oculos purgantem ac caligine liberantem:

Aſpice, (namq; omnem, quæ nunc obducta tuenti
Mortales hebetat viſus tibi, & humida circum
Caligat, nubem eripiam &c.
Hic vbi disiectas moles, &c.

tum Deos Troianis infeſtos ſingulatim nominibus demonſtrat;

Neptunus muros, magnoque emota tridenti
Fundamenta quatit &c.

Si enim Venus nubem demere poteſt oculis mortalium, quæ iis obſtat quo minus numina videre poſſint; quomodo non niſi eius diſceſſu eadem numina diſcerni poſſunt, hoc eſt, venerearum rerum abſtinentia? Hæc profecto inter ſe non quadrant: ſequeretur enim, eandem Venerem viſum purgare quo numina cernuntur, ſimulque hebetare & confundere, ſi niſi ea abſente cerni non poſſint. Multo igitur cautior Homerus, a

quo hanc fictionem sumpsit Maro: non enim Veneri sed Mineruæ hanc vim assignat remouendi caliginem prætentam visibus mortalium, prohibentemque ne Deos perspiciant: (ἐπῆεν
ἀχλὺν δ' αὖ τοι ἀπ' ὀφθαλμῶν ἕλον ἣ πρὶν
ὄφρ' εὖ γινώσκῃς ἠμὲν θεὸν, ἠδὲ καὶ ἄνδρα.
Locus est Iliad. ε. vbi Minerua hæc Diomedi dicens inducitur. Patet igitur ex his id quod dixi, Seruii hanc sententiam esse rectam, si in se spectetur; si ad locum Maronis conferatur, neque illi, neque rationi esse congruentem. Sed ad rem.

Hoc etiam vitæ genere, quo nullum sanctius existimatur, posse aliquem sic conciliari Deo, vt vates efficiatur, & futura in diuino lumine prospiciat, præter Hieronymum testatur Marsilius Ficinus dicto loco. Vbi ordine percurrens modos vacationis, siue alienationis, furorisque diuini, quo animus ad vaticinandum excitatur, in his castitatem mentis Deo deuotæ ponit: *Talis quippe mens* (inquit) *non ad tempus, vt aliæ, sed ferme semper pacatum est Dei templum: cuius ostium, vt Joannes inquit Theologus, Deus pulsat primum; quod statim apertum ingreditur; quod inhabitat sedulo; in quo pascit hominem ambrosia.* Verum hæc, ne quid dissimulem, licet vulgo admodum plausibilia sint; non tamen ita perspicua videntur, vt non scrupulos eosque non exiles atque dubitationes moueant accuratius contemplantibus. Primum enim occurrit hæc difficul-

ficultas, quod ex his ſequatur, Sibyllam, quam Apollinis ſacerdotem fuiſſe conſtat, adeoque dæmonum cultui mancipatam, merito caſtitatis illi fuiſſe conciliatam: quod abſurdum videtur. Quid enim impuris illis geniis cum caſtitate & continentia? Si quis autem Dei ipſius afflatu vaticinatam dicat, in grauiores adhuc difficultates incurret; de quibus ſuo loco agemus.

Præterea quod Hieronymus virginitatis præmium diuinationem, hacque ratione Sibyllis diuinitus fuiſſe tributam cenſet, immo hanc virginitatis propriam facit, manifeſtis rebus redargui poteſt: nempe exemplis coniugatorum vtriusque ſexus, quos ſine virginitate munus illud conſecutos legimus. Omnes quidem Patriarchas in eo numero fuiſſe, ex Scripturis conſtat. Inter quos & Jacobus, tam numeroſæ familiæ pater, illuſtre illud vaticinium, de tempore quo Chriſtus venturus eſſet, moriens protuliſſe legitur. Sed & Dauid complurium ſimul coniux feminarum, quam multa quamque præclara de Domino in pſalmis vaticinatur? Sed neque Salomoni eius filio inter tot vxores & concubinas prophetia defuit; vt qui eius ſuperſunt libri, diuinumque in primis illud Canticum canticorum, declarant: quorum ſenſus reconditos quotus quisque animo conſequi poteſt? Et Jobum, cuius extat liber, maritum ſimul & vatem fuiſſe conſtat; de quo Hieronymus ipſe ſic in epiſtola ad Paulinum ſcribit: *Job exemplar patientiæ quæ non myſteria*

suo sermone complectitur? & paulo post: *Singula in eo verbo plena sunt sensibus; & (vt de cæteris sileam) resurrectionem corporum sic prophetat, vt nullus de ea vel manifestius vel cautius scripserit.* Nec vero desunt exempla in altero sexu ex iisdem libris sacris. In his clarissimæ, Debora vxor Lapidothi *Judic. 4.* Holda, & vxor Sellum *4. Regnorum* memorantur; quas idem Hieronymus lib. 1. epist. 31. tacentibus viris responsa edidisse testatur. Et quid plura attinet referre? cum primis Euangelii temporibus non temere quisquam fieret Christianus, qui non illico post baptismum Spiritus charismata acciperet; in quibus fuit prophetia. Ita multi simul Christiani & vates efficiebantur. Quomodo igitur diuinatio *virginitatis præmium*, aut *propria dos* dici potest, quæ tot viris & feminis matrimonio coniunctis contigerit?

Respondeo, non ita dici Hieronymo virginitatis præmium diuinationem, quod hanc solis dari virginibus putaret; sed quia cæteris paribus magis conuenit virgines vaticinio illustrari quam alios in coniugio viuentes. Quo pacto diximus supra, & ostendimus, rationi magis & ordini rerum esse consentaneum, magno ingenio præditos vaticinari, quam idiotas & nullum eius laudis sensum habentes. Quod non impedit, quin Deus, qui naturæ ordinem, vt principii maiestate, sic operandi modo transcendit, cui hominum vult eam perfectionem largiatur. Quam cum minus dignis, vt iis videtur qui solum naturæ

turæ ordinem ſpectant, tribuit; altiorem huius ſubeſſe in eius prouidentia rationem putandum eſt. verbi gratia; cur Dauidem ab agreſti & paſtorali vita ad ſolium euectum in vatum numero eſſe vellet: neque enim fieri poterat, vt qui in prophetarum patria natus eſſet, primus ex Judæ poſteris regiam dignitatem adeptus eſſet, armis vniuerſam Judæam pacaſſet, cujus e ſtirpe Chriſtus rex originem ducturus eſſet, non de ipſo vaticinaretur.

Ita igitur dictum Hieronymi intelligendum eſt, hocque ſenſu diuinatio *inſigne* dicitur & *virginitatis præmium*; ob eam conuenientiam, qua continentiam profeſſi Deo coniunctiores cenſentur. Sit ſane virginitatis præmium diuinatio; modo non ita proprium, vt non aliis ob alias rationes tribui poſſit. Sic Philippo quatuor fuiſſe filiæ virgines prophetantes traduntur in Actis Apoſtolorum. De quibus & Euſebius prodit in libris Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, qui has Hierapoli Aſiæ vixiſſe, ac cum parente ſepultas fuiſſe dicit. His ſi præmium virginitatis contigiſſe prophetia dicatur, hoc quidem ſenſu, non pugnabo: cum id Epiphanius teſtetur lib. 2. contra Hæreſes cap. 78. Tomo II. in diſputatione aduerſus Antidico-Marianitas: vbi & Deiparam eadem ratione ſupra omnes prophetas vaticinio excelluiſſe cenſet; & prophetidem nominatam ab Iſaia hoc oraculo: *acceſſi ad prophetiſſam* &c.

CAPVT XVI.

Accuratior virginitatis Sibyllæ & aliarum apud Ethnicos ſacrarum feminarum conſideratio. Dæmonum fraudes aperiuntur.

HIs hunc in modum explanatis de vatum antiquorum vtriusque ſexus continentia, tempus eſſet ad alias Sibyllæ dotes resque transire, niſi maneret ſcrupulus ille ſupra motus de Diis quibus miſeri illi mortales ſeruiebant, hoc eſt, impuris geniis: quod abſurdum videtur, omnium libidinum, omnium dedecorum hominibus auctores vel adiutores poſtulare a quoquam vt continentiam colat. Verum hunc ſcrupulum facile remouemus eo quod ſupra poſitum eſt fundamento, eorum quæ improbus dæmon magna ambitione oſtentat mortalibus, ad eorum mentes prauæ ſuperſtitionis caſſibus irretiendas. Dictum eſt enim, inter alias eius fraudes hanc eſſe præcipuam, vt præpoſtera eorum quæ Deus agit imitatione incautis obrepat. Quam eandem in commendanda nonnullis ſuorum cultorum corporis caſtitate atque ab iis exigenda, inanem virtutis ſpeciem obiicit. Nam quia ſcit, Deum amare in primis ſanctitatem in hominibus, eosque fami-

familiarius amplecti, qui ſeueriore vitæ norma animos a ſenſibus abſtrahunt, minimumque vt habeant cum corpore commercium ſtudio omni contendunt; id etiam dæmon æmulari volens, palam præcipiebat, ne quis propius ad ſacra accederet & miniſterium religionis, niſi caſtus: cum aliud interim in occulto ſuaderet, vt paulo poſt oſtendam.

Id perquam euidenter patet ex iure pontificio veterum Quiritium, cuius inuentor fuit Numa Pompilius, regum religioſiſſimus, hoc eſt, ſuperſtitioſiſſimus, & dæmonum cultui addictisſimus, vtpote quem Pythagoreorum diſciplinis imbutum fuiſſe proditum eſt. Cum enim eo iure ſancitum eſſet, oportere Veſtæ ſacerdotes quo tempore eo officio fungerentur eſſe intactas; ſi qua earum poſtea legi horrendæ fraudem feciſſet, capitale erat, & impudicitiæ comperta viua terræ infodiebatur. Quod cum dæmonum inſtinctu ius poſitum fuiſſet, ingens hic admiratio ſubeat animos neceſſe eſt, contemplantium teterrimi lemuris nequitiam & crudelitatem, qui quem palam ſub mortis pœna a ſuis antiſtitibus exigeret pudorem, iis in occulto extorquere tentaret. Quod tamen illis ipſis, quibus vitium offerre voluiſſet, prodentibus innotuit: huiusque extat exemplum apud Apollodorum lib. 3. Bibliothecæ, ſiue περὶ θεῶν in Caſſandra Priami filia; Verba adſcribam: *μετὰ τοῦτον ἐγέννησε Ἑκάβη θυγατέρας μὲν Κρέουσαν, Λαοδίκην, Πολυξένην,*

 Κασ-

Κασσάνδραν. ἣ συνελθεῖν βουλόμενος Ἀπόλλων τὴν μαντικὴν ὑπέσχετο διδάξειν. ἡ δὲ μαθοῦσα οὐ συνῆλθεν. ὅθεν Ἀπόλλων ἀφείλετο τῆς μαντικῆς αὐτοῦ τὸ πείθειν. *Post hunc* (Paridem) *filias peperit Hecuba Creusam, Laodicen, Polyxenam, Cassandram. Cui cum Apollo misceri vellet, diuinandi artem se illi traditurum promisit. Hæc autem postquam didicit, noluit corporis sui copiam Apollini facere. Quamobrem hic Cassandræ vaticinia vt fide carerent effecit.* Idem Seruius testatur ad hos Poetæ versus 2. Æneidos:

Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris
Ora Dei iussu, non vnquam credita Teucris.

Præcepto Apollinis, inquit, *qui spe promissi coitus concessa diuinatione frustratus sustulit fidem vera dicenti.* Eodem modo a lemure perfido attentatam Ouidius narrat Sibyllam: quam sic in 14. Metamorph. Æneæ diuinos illi honores pollicenti loquentem inducit:

Nec Dea sum, dixit, nec sacri turis honore
Humanum dignare caput: ne nescius erres,
Lux æterna mihi carituraque fine dabatur,
Si mea virginitas Phœbo patuisset amanti.
Dum tamen hanc sperat, dum præcorrumpere donis
Me cupit; elige, ait, virgo Cumæa, quid optes,
Optatis potiere tuis: ego pulueris haustu
Ostendens cumulum, quot haberet corpora puluis,
Tot mihi natales contingere vana rogaui.
Excidit vt peterem iuuenes quoque protinus annos.

Hos

Hos tamen ille mihi dabat, æternamque iuuentam,
Si Venerem paterer. Contempto munere Phœbi
Innuba permaneo.

Ita impoſtor dæmon commendanda, vt dixi, palam & præcipienda vatibus & antiſtitibus corporis caſtitate diuinitatis opinionem gentibus facere ſtudebat; interim ne ea laus ſuis illis miniſtris conſtaret, variis artibus & pollicitationibus perficiebat. Aliis vaticinium offerebat ſi ſibi morem gerere vellent, vt Caſſandræ & Sibyllæ aliisque vatibus: aliis medendi artem, vt Oenone Nymphæ: aliis iaculandi aut ſagittandi peritiam, vt Cypariſſo: aliis rei ruſticæ diligentiam, vt Ariſtæo: aliis alia munera: verum, vt Græcis dicitur, δῶρα ἄδωρα, quæ accipientibus in exitium verterent. Neque enim dirus hoſtis quicquam dat hominibus niſi ſæua mercede. Maleficii genus magis illi vſitatum iſtis temporibus, quopiam corpore aſſumpto, ſubque eo latentem mulieres & pueros violare. Ita Juſtinus Martyr in Apologia 2. ἐπεὶ τὸ παλαιὸν (inquit) δαίμονες φαῦλοι ἐπιφανείας ποιησάμενοι, καὶ γυναῖκας ἐμοίχευσαν, καὶ παῖδας διέφθειραν, καὶ φόβητρα ἀνθρώποις ἔδειξαν, ὡς καταπλαγῆναι τοὺς οἳ λόγῳ τὰς γινομένας πράξεις οὐκ ἔκρινον.

Sæpius vero mortuorum recentia cadauera induebat, fraude antiqua admodum, & nunc etiam vſitata illi apud Græcos, habitantes in maris mediterranei inſulis: quo pacto excitatos mor-

mortuos trito apud eas gentes nomine βρυκολάκας vocant, vt memini me legere in Actis missionum Societatis Jesu. Quippe ita norunt sanguinem & spiritus mouere atque diffundere per omnes corporis extincti partes, vt nihil a viuente, quod ad speciem exteriorē attinet, differat. Hoc igitur fuco nequissimos genios multis olim cum feminis tum adolescentibus illusisse certum est, modo Apollinis specie, modo Neptuni, modo Bacchi, aut Sileni, & aliorum Deorum. Quam fortasse in partem accipiendum illud Maronis in sexta ecloga de Sileno & pueris vincula dormienti iniicientibus:

Aggressi: nam sæpe senex spe carminis ambos
Luserat.

Ibi enim *ludere* non est fallere; sed quod corruptores pueris solent. Hinc θεῶν παῖδες, *Deorum pueri.* Ita enim vocabant qui certis numinibus ἐν παιδικοῖς, hoc est, in deliciis esse dicebantur, vt Ioui Ganymes, de Apollini Phorbas, Hyacinthus, Cyparissus, Admetus, Hippolytus Sicyonius; qui quoties Sicyone Cirrham petens mare traiiceret, non sibi Apollo, vt ferunt, temperare poterat, quin conceptam de proximo amasii aduentu voluptatem Pythiæ ore exprimeret, versum proferens eum, quem Plutarchus affert in Numa: (βαίνει.

καὶ δ' αὖθ' Ἱππολύτοιο φίλον κάρα εἰς ἅλα

Talis & apud Phryges Atys, apud Bithynos Herodotus, apud Arcades Endymion memoratur.

Qui-

Quibus in altero ſexu perinde videre eſt feminas ab iisdem lemuribus partim inſidiis tentatas, vt modo de Sibylla & Caſſandra dictum eſt, partim corruptas, vt de aliis innumeris proditum. Hinc a ſanguine Deorum ducta nobilitas, & heroes mixtum genus e diuino & humano. Quæ cum gentium ſapientes in ſacris libris ſuis perſcripta legerent, aut fama ab vltima hominum memoria ad ſe transmiſſa audirent, vt par erat obſtupeſcebant. Neque enim talia audebant negare, quæ & religionum antiquitate & tanto hominum conſenſu firmata eſſent & conſecrata: neque tamen in animum inducere poterant, vt talia in Deum competere opera crederent. Quod igitur ſcilicet reſtabat, id ſequebantur, vt dicerent, non eſſe hæc ad literam accipienda. Ita Deorum cum pueris & mulieribus formoſis concubitus commodis, quoad eius fieri poterat, interpretamentis molliebant; vt Plutarchus citato loco fabulam Hyacinthi ab Apolline adamati ad animum transfert, quem Apollo in eo puero amaret, eo quod egregia animi indole & pietate esſet. Qua de re inſignis hic apud eum in vita Numæ locus extat, dignus quem adſcribam ob doctrinam quam continet: καίτοι λόγος ἔχει τὸν θεὸν οὐ φίλιππον, οὐδὲ φιλόρνιν, ἀλλὰ φιλάνθρωπον ὄντα, τοῖς διαφερόντως ἀγαθοῖς ἐθέλειν συνεῖναι, καὶ μὴ δυσχεραίνειν, μηδὲ ἀτιμάζειν ἀνδρὸς θείου καὶ σώφρονος ὁμιλίαν. ὡς δὲ καὶ σώματος ἀνθρωπίνου, καὶ ὥρας, ἔστι τις θεῷ καὶ δαί-

μονι

μονι κοινωνία καὶ χάρις, ἔργον ἤδη καὶ τοῦτο πειθῆναι. Ac rationi quidem consentaneum est, Deum non studio equorum aut auium, sed hominum teneri, proinde cum iis qui valde boni sunt, & virtute excellunt, libenter versari, neque diuini & temperantis viri consuetudinem aspernari: quod autem aliqua illi cum corpore humano & flore ætatis communio omnino aut gratia existat, difficile est verbis persuadere. Sane hæc vera & philosopho digna. Ita & Seruius Grammaticus de Apollinis amore in Sibyllam iudicat ad hæc verba libri 5. Æneidos *longæua Sacerdos: Sibyllam Apollo pio amore dilexit.* Exinde Ægyptios sacerdotes castigat Plutarchus, qui existimabant, nihil esse absurdi, quiddam a Deo imprimi in corpore muliebri, quod esset principium conceptus & procreationis; tametsi negarent vice versa Deam pati quicquam eiusmodi posse a viro. Et hoc bene, si ordo naturæ spectetur: non autem, si quod diuina vis supra naturam in Christi ortu effecit consideremus; cuius mysterium non prorsus latuisse priscos gentis illius sapientes ex his colligi potest, sed ad eos peruenisse oraculum istud ex commercio Hebræorum: *Ecce virgo concipiet* &c. Sed Plutarcho & aliis philosophis licuit hæc recondita ignorare: quod ratio ostendebat id amplexi sunt, simulque ignari artium dæmonis, nihil iis amoribus putarunt significari nisi Deorum propensionem in bonos viros, quos singulari prouidentia ob pietatem complectebantur.

Ita viri illi docti impuris geniis patrocinabantur, & eorum extremas in naturam humanam contumelias plausibili rationum commento velabant. Sed tamen nihilominus sic vulgo persuasum erat, accedere interdum ad mulieres Deos, iisque reuera complexu venereo misceri, vt mariti hac causa vxores suas majori in honore haberent, nedum ægre ferrent: vt de Philippo Macedone idem tradit Plutarchus in Alexandro. Quapropter neque mulieres ipsæ aut deuotæ sacris puellæ & religiosæ, si quid sibi eiusmodi accidisset, admodum dissimulabant, aut ignominiam metuebant, quibus potius veneratio ex tali consuetudine apud populos accederet. Testis Olympias Alexandri mater, & illa mulier Pontica, cuius mentionem facit Plutarchus in Lysandro; quæ se Apollinis compressu grauidam iactabat. Quæ adeo fidem inuenit, vt editum in lucem puerum principes viri publico sumptu & exacta cura educandum censerent; & Lysander Lacedæmonius callidi incepti, quo regiam in se potestatem transferre cogitabat, aliud fundamentum non poneret. De quo vide Plutarchum in eius vita. Quin in laudibus magnorum virorum ponebant, si quis hoc modo genitus fuisset, vt de Homero decantatum, de Romulo, de Platone item philosophorum principe. Quemadmodum notat beatus Hieronymus in eodem lib. I. contra Jouinianum: *Speusippus quoque* (inquit) *sororis Platonis filius, & Clearchus in laude*

Plato-

Platonis, & Anaxilides in ſecundo libro Philoſophiæ, Perictionem matrem Platonis phantaſmate Apollinis oppreſſam ferunt; & ſapientiæ principem non aliter arbitrantur niſi de partu virginis editum. Tum paucis interiectis addit de Chriſto, non ſatis (pace viri tam ſancti dixerim) caute neque reuerenter, dum originem eius plane venerabilem & auguſtam cum propudioſo Vrbis fundatoris ortu componit. *Ac ne nobis* (inquit) *Dominum Saluatorem de Virgine procreatum Romana exprobraret potentia, auctores vrbis & gentis ſuæ Ilia virgine & Marte genitos arbitrantur.*

Hæc occaſione oblata, viſum eſt paulo liberius perſequi de Sibyllæ, & aliarum vatum, ſacrarumque Diis ethnicis feminarum caſtimonia; vt intelligatur, quas Chriſto Seruatori gratias debeamus, qui nos ab his prauorum dæmonum ludibriis & ſæua tyrannide, meliori luce animis noſtris infuſa, liberauit.

CAPVT XVII.

De virginum furore obiter Hippocratis & Ariſtotelis loca explicantur.

ATque hæc quanquam ſatis accurate, niſi fallor, pertractata atque explanata de virginum vaticinantium apud antiquos religione videri poſ-

poſſunt, præuideo tamen fore multos qui his contenti non ſint; qui ſcilicet nihil ſatis tractatum putant, niſi rationes e naturæ penetralibus proferri videant: ceu de omnibus quæ obſeruantur hominum proprietatibus naturales cauſæ afferri poſſint. Sed tamen ne quid quiſquam in noſtra hacce contemplatione deſideret, age iſtud expediamus, num quæ naturalis etiam cauſa huius propoſiti in Sibylla & aliis fatidicis conſeruandæ virginitatis probabiliter in hanc conſiderationem adduci poſſit.

Mihi igitur attentius contemplanti quid virgines patiantur, occurrit furor ſiue inſania nonnullis familiaris ex veneris abſtinentia; quæ quemadmodum virginibus mentem perturbet medicinæ parens docet in libello περὶ παρθενίων, hoc eſt, *de virginum morbis*, his verbis: τηνικαῦτα οὐκ ἔχον τὸ αἷμα ἔκρουν, ἀναΐσσει ὑπὸ πλήθεος ἐς τὴν καρδίαν καὶ ἐς τὴν διάφραξιν. ὁκόταν οὖν ταῦτα πληρωθέωσιν, ἐμωρώθη ἡ καρδίη· εἶτα ἐκ τῆς μωρώσιος, νάρκη· εἶτ' ἐκ τῆς νάρκης παράνοια ἔλαβεν. *Tunc ſanguis non habens effluxum, præmultitudine reſilit ad cor & ad ſeptum transuerſum. Quum igitur hæc repleta fuerint, cor fatuum fit, deinde ex fatuitate torpedo, poſtea ex torpore delirium.* Quibus verbis oſtendit, furorem accidere virginibus ex menſium ſuppresſione, quum ſcilicet his per veneris abſtinentiam venæ in vterum tendentes obſtruuntur: quod ſane locorum ſitus efficit, cum non exercentur,

velut inarata arua squalore contracto densantur. Quo fit vt sanguis prohibito exitu per inferiora sursum refluat ad septum transuersum & cor, quod sanguinis confluxu & redundantia μωρὸν fieri dicit; hoc est, fatuum; vtpote quod tanquam sui oblitum munus suum amplius tueri non possit. Huius autem munus præcipuum, spiritus vitales per vniuersum corpus mittere ad sensum & mentis functiones ciendas. Hinc νάρκη, *torpor:* ex torpore alienatio mentis & furor.

Hæc paucis ego & summatim, quæ pluribus Hippocrates. Ratio autem insaniæ huius iis paucis, quæ dixi, perspicua & sufficiens proposito nostro. Apparet enim ex his, quemadmodum virgines mensium suppressione & inde orto mentis torpore, ecstastim patiantur: quam proximam esse ad vaticinandum præparationem, dictum est; adempto enim sensuum exteriorum vsu, magis interiores vigent & dominantur: hinc species inusitatæ, & dæmonum spectra obuersantia, ex libero & infreni phantasiæ motu, totam pene animæ intensionem ad se conuertentis. Quibus visis nonnullas etiam timore nimio & desperatione ad suspendium adactas ibidem Hippocrates testatur. Neque aliunde ortum putem, quod Milesiis virginibus accidisse refert Gellius in Noctibus Atticis ex Plutarcho, qui id memoriæ prodiderat in primo librorum περὶ ψυχῆς, omnibus ferme quot tunc in ea ciuitate erant, sine vlla euidenti causa, voluntarie laqueo vi-

vitam finientibus. Veriſimile eſt enim, eius inſaniæ cauſam fuiſſe tetros & malignos vapores, ex ſuppreſſione menſium ad mentis arcem ſubeuntes, ac viſis horrendis animum perturbantes.

Huius mali ſymptomata hæc traduntur ab Hippocrate: furor, quem *μανίαν* vocat; vociferatio; metus; mortis ſuſpendio conſciſcendæ cupido; tum animi tædium & anxietas malum cogitantis. Quorum vnumquodque propriæ cauſæ accommodat hunc in modum: *ἐχόντων δὲ τουτέων ὧδε, ὑπὸ μὲν τῆς ὀξυφλεγμασίης μαίνεται· ὑπὸ δὲ τῆς σηπεδόνος φονέει· ὑπὸ δὲ τοῦ ζοφεροῦ φοβέεται καὶ δέδοικεν· ὑπὸ δὲ τῆς περὶ τὴν καρδίην πιέξιος, ἀγχόνας κρίνουσιν· ὑπὸ δὲ τῆς κακίης τοῦ αἵματος, ἀλύων καὶ ἀδημονέων ὁ θυμὸς κακὸν ἐφέλκεται.* Vbi amplum aperit campum philoſophantibus circa vnamquamque eorum ſymptomatum cauſam; quomodo ſcilicet caloris vis acrior furorem propriè excitet, putredo clamorem efficiat, vaporum obſcuritas & caligo metum afferat, oppreſſio autem & anguſtia cordis ſuſpendii & ſtrangulationis viſa animo objiciat, ſanguinis denique labes & malignitas anxietatem & corporis iactationem inducat. Sed hæc pluribus verbis diſſerenda aliud tempus opportunius poſtulant.

Nunc autem nobis ex his, quæ ibi recenſet, ſymptomatis, quæ menſium in virginibus ſuppreſſionem ſequantur, illud primo loco poſitum

I 2 ſuffi-

ſufficit, furor ſcilicet a calore intenſiori & inflammatione circa ſedem mentis, vt Ariſtoteles in problemate illo 1. ſect. 30. dicit; vt virginitas hac ratione credatur conferre non parum diuinationi, dum ex menſium ſuppreſſione innuptis familiari mentem dicto modo perturbari contingit. Quod alio etiam argumento intelligi poteſt; barbæ ſcilicet, quam præter ſexus legem puellis intactis atque etiam fatidicis erupiſſe aliquando obſeruatum eſt: vt olim religioſis feminis in Caria, teſte Ariſtotele libro tertio Hiſtoriarum: *γυνὴ δὲ τὰς ἐπὶ τοῦ γενείου οὐ φύει τρίχας, πλὴν ὀλίγαι ἐνίαις γίγνονται, ὅταν καταμήνια στῇ, καὶ οἷον ἐν Καρίᾳ ταῖς ἱερείαις· ὃ δοκεῖ συμβαίνειν σημεῖον τῶν μελλόντων.* id eſt, ***Pili in mento mulieris non naſcuntur, niſi interdum pauci, cum menſtrui curſus ſubſtiterunt: ac vt in Caria antiſtitis euenire aiunt, quod diuinationis indicium interpretantur.*** Scaliger in commentario ad hunc locum: ***Et in Caria antiſtitas pilos in mento habere*** (dixit,) ***quod ſignum fuerit religionis & diuinatricis mentis: ſed noſtræ ſacerdotes barbatæ ſunt ob caſtitatem.*** Sed fortaſſe rectior ſit interpretatio, ſi dicamus, iis antiſtis, quoties aliquid impenderet aduerſi, quod prædicere deberent, & menſes ſupprimi ſolitos, & pilos affatim naſci in mento; appetentis diuinationis præludia. Quo ſane & prouerbium illud Rhodiginis frequentatum ſpectare videtur: ***feminam barbitio obſeptam eminus eſſe ſalutandam***; de quo

ada-

adagio vide Cælium eius ciuitatis lumen lib. 14. Antiquarum Lectionum cap. 21. Atque ex his omnibus non absurde aliquis suspicetur, barbatam fuisse Sibyllam; tametsi nusquam ab aliquo obseruatum memini. Sed hæc animi gratia.

CAPVT XIIX.

Sibyllæ viuacitas perperam a Luciano omissa in libro de longæuis. *Cur tam diu vixerit Sibylla.*

VUlgatum id quoque de Sibylla & multorum monumentis proditum; inter alia naturæ eius insignia, de quibus supra, hoc quoque affuisse, vt quam diutissime & pene vltra limites humani æui vitam prorogaret: nam & Aristoteles, vt iam animaduersum, in eo libro quem scripsit de iis, quæ auditu mirabilia sunt, hanc πολυχρονιώτατην vocat. Quod miror fugisse diligentiam Luciani, in libro qui inscriptus est Μακρόβιοι, cum tam multos in eo catalogo longæuos referat, minus claros quam fuit Sibylla, quæ primum in omni vaticinantium multitudine apud ethnicos locum dignitatis tenuit, cuiusque viuacitas adeo prætergressa est vsitatos æui humani fines, vt in prouerbium abierit Sibyllæ senectus; Brodæo teste lib. 1. Variar. Lection. cap. 34. & Sibyllæ anni apud Papinium in Siluis

Euboici transcendere pulueris annos.—

Puluerem enim Euboicum appellat, quem illa manibus hauſtum optauit eſſe menſuram numeri annorum quos victura eſſet, cum ei Apollo poſcendi quod vellet arbitrium obtuliſſet. Qua de re ita Seruius memorat in 6. Æneid. ad hunc verſum:

Olli ſic breuiter fata eſt longæua Sacerdos.

Sibyllam Apollo pio amore dilexit,& ei obtulit poſcendi quod vellet arbitrium. Illa hauſit arenam manibus, & longam vitam popoſcit; cui Apollo reſpondit, id poſſe fieri, ſi Erythram inſulam in qua habitabat relinqueret, & eam nunquam videret. Profecta igitur Cumas tenuit: & illic defecta corporis viribus vitam in ſola voce retinuit. Quod cum ciues eius agnouiſſent, ſiue inuidia ſiue miſeratione commoti ei epiſtolam miſerunt, creta antiquo more obſignatam. Qua viſa terra, (nam erat de eius inſula) in mortem reſoluta eſt. Sane egregia fabella, ad quam & Ouidius reſpexit his verſibus: *contempto munere Phoebi*

Innuba permaneo: ſed iam felicior ætas
Terga dedit, tremuloque gradu venit ægra ſenectus,
Quæ patienda diu eſt: nam iam mihi ſecula ſeptem
Acta vides: ſupereſt, numeros vt pulueris æquem.

Fabula, inquam, ſed cui verum ſubeſſe, velut pleriſque antiquorum, ſolers ſpeculator inueniet. Si nihil aliud arena illa, quam manibus plenis Sibylla hauſiſſe dicitur, ſignificatum quam ma-

magnum tempus dicamus, in cuius fluxu varia sibi ſuccedunt inſtantia, vt Ariſtoteles docet lib. 4. φυσικῆς ἀκροάσεως. Inſtantia dico, quæ partes temporis fluentes copulant, Græce νῦν, *nunc:* aliter punctum temporis & momentum, a motu quem tempus metitur, vocamus: ſunt enim indiuidua, & punctis, quibus vniri & finiri partes magnitudinis intelliguntur, proportione reſpondent. Aio igitur, arenæ granulis, cum ſint minutiſſima, ſignificari in ea fabula inſtantia temporis, ſi particulæ illæ paulatim per aliquam anguſtiam transmitti & perpetuo fluere cogitentur; vt in ea machina quæ pulueris lapſu horas metitur. Quod enim in clepſydra eſt aqua, id in eo horologio eſt arena ſiue puluis; quod propterea non inſcite quidem Græco vocabulo e re inuento κλέψαμμον vocant. Elegans ſimulacrum temporis, ſed cuius inuentor ignoratur, quod ingenue Polydorus Virgilius in librorum de rerum inuentoribus calce teſtatur. Quiſquis autem huius inuentor fuit, ab hac fabula de arena & annis Sibyllæ originem duxiſſe arbitror, hincque occaſionem datam horas arenæ fluxu & machinulæ conuerſione metiendi. Huic autem amorem cauſam præbuiſſe oſtendit Amalthæus in diuino epigrammate, quod quin hic adſcribam temperare non poſſum:

Perſpicuo puluis vitro qui diuidit horas,
 Et leuis anguſtum ſæpe recurrit iter,

Quondam erat Alcippus; qui Gallæ vt vidit ocellos.
Arsit, & est rapido factus ab igne cinis.
Irrequiete cinis miseros testabere amantes
More tuo nulla posse quiete frui.

Quod igitur arenæ granulis tempus in ea fabula designatum est, aptius quicquam cogitari non potuit; quod numerum annorum numero arenæ particularum exæquandum poposcisse atque illi concessum ferunt, supra omnem fidem & fabulositatem videri debet; quemadmodum quod Phlegon Trallianus in Longæuis hanc mille annos tradit vixisse, credat qui volet: tametsi vitæ tempus illi longe vltra consuetos humanæ ætatis limites productum, tam consentienti auctorum testimonio credendum est. Ac quot annos vixerit, definire neque homini vlli promptum, neque ad rem pertinet: modo probabiles tam longæ eius & stupendæ viuacitatis causas indagare atque explicare non alienum a præsenti instituto arbitror.

Primum igitur nobis in hac consideratione occurrit vitæ genus & propositum. Procul enim ab hominum commercio in antris vni contemplationi deditam vixisse proditum est. Quibus rebus vitam in amplius æui spatium prorogari, non futiles rerum naturæ interpretes docent. De contemplatione quidem, quod corpus eius beneficio confirmetur atque etiam iuuenescat, sententia est Cardani in decimo quarto librorum de

de Subtilitate, tametsi vulgo aliter videtur: *Mens*, inquit, *in his quæ intelliguntur non laborat: æterna enim est, velut & species.* Et rursus: *Non laborat igitur mens, quia in tempore non est; imo contemplatio ipsam animam exhilarat, & iuuentutem producit: viuimus enim tantummodo dum contemplamur.* Suffragatur Cardano Franciscus Baco Verulamius exercitati auctor ingenii in physicis, vtpote ab ipsa curiositate per vniuersum prope terrarum orbem ad capiendas de rebus experientias quasi manu deductus. Quid igitur hic de iis qui secessu & contemplatione vitam transigunt, quales prisci anachoretæ fuerunt, & Sibyllam fuisse ponimus, senserit & scriptum reliquerit in eo commentario cui titulus est *Historia vitæ & mortis*, ipsius verbis subiungere placet: *Vita religiosa & in sacris occupata videtur ad longæuitatem facere. Sunt in hoc genere vitæ otium, admiratio & contemplatio rerum diuinarum, gaudia non sensualia, spes nobiles, metus salubres, mœrores dulces, denique renouationes continuæ per pœnitentias & expiationes: quæ omnia ad diuturnitatem vitæ potenter faciunt. Quibus si accedat diæta illa austera, quæ massam corporis induret, spiritus humiliet, nihil mirum si sequatur longæuitas insignis: qualis fuit Pauli eremitæ, Simeonis Stilitæ, anachoretæ columnaris, & complurium aliorum monachorum ex eremo & anachoretarum.*

Sed neque nobis ratio ex rei ipsius natura

prompta deest, quamobrem veram hanc opinionem credamus. Nempe vt ait Cardanus, magna est contemplationis voluptas: quod & Philosophus testatur lib. 10. cap. 7. Moralium ad Nicomachum: δοκεῖ γοῦν (inquit) ἡ σοφία θαυμαστὰς ἡδονὰς ἔχειν καθαρειότητι καὶ τῷ βεβαίῳ, *mirabiles sapientia habere, puritate & fruendi constantia, voluptates videtur.* Sciunt autem omnes qui experiuntur. Puritate quidem excellunt, quia mentis operationem qua nihil sanctius sequuntur; stabilitate autem & constantia, ob naturam earum rerum quæ in contemplatione versantur: huiusmodi enim natura est rerum diuinarum quæ non mutantur. Cum igitur mens in his defixa hæret, simul & spiritus animæ ad omnem functionem ministri consistunt: minus igitur tunc dissipantur. Ita ea parte animi, quæ cæteris præest, erecta ac, vt Cicero in primo de Diuinatione ait, saturata bonarum cogitationum epulis, anima maxime vigescit & roboratur: quo fit, vt corpori magis dominetur, fluidam eius compagem potenter contineat, sibique constringat. Cum enim anima sit actus & perfectio corporis, fieri non potest, vt ipsa, cum in optimo quem habere possit statu & perfectione constituitur, non in eandem boni societatem corpus naturali sympathia pertrahat. Hoc modo igitur fit, quod Apostolus dicit, corpus spiritale ex animali, quantum scilicet vitæ huius conditio fert; ac sic ab anima comprehenditur, vt minimam

propriæ ſubſtantiæ diſſipationem patiatur. Hæc quam apte veterum ſapientum dictis congruant, ex hocce Zoroaſtris oraculo patet,

ἐκτείνας πύρινον νοῦν
Ἔργον ἐπ᾽ εὐσεβίης, ῥευστὸν καὶ σῶμα σαώσῃς.

Si mentem ardentem ad opus pietatis intenderis, fluxum corpus ſeruabis. Neque enim puto aliquem eſſe tam veſanum, vt rerum diuinarum contemplationem pietatis operibus annumerandam negare audeat.

Quæ autem in contrarium Scaliger in 309 exercitationum earum quas ad Cardanum ſcripſit, contra eam opinionem affert, ea perfacile ex ea ipſa quam ibi habet diſputatione ſoluuntur. qua nihil aliud probat, niſi nimia & ſuperflua contemplatione & vigiliis immoderatis diſſipari ſpiritus tenuiores, animæ inſtrumenta, vitæ fomenta abſumi atque fundamenta labefactari. Sed de huiuſmodi ſpeculatione quæ modum excedat, Cardanus eam ſe protuliſſe ſententiam plane inficiatur, atque ita mentem ſuam declarat in prima actione in calumniatorem librorum de ſubtilitate: *Multum* (inquit) *intereſt inter contemplationem quæ eſt meditatio eorum quæ ſciuntur, tum inuentionem rerum nouarum quæ delectant & vitam producunt: & moleſtiam animi quæ acquiritur diſcendo atque interpretando cum difficultate.* Sed & Scaliger ipſe eo loco oſtendit, non ſe de omni contemplatione eam cenſuram profiteri, ſed de ea tantum, quæ modum excedit & nimio labore

fati-

fatigat. Ita diſputatio illa ad nihilum redit, vel certe explanationis potius quam impugnationis loco haberi debet.

Alterum quod in Sibyllæ inſtituto & viuendi genere conſiderandum venit, eſt loci in quo frequentius agitabat conditio. Spelunca enim hanc pro domo vſam omnes dicunt. Satis incommodum quidem, & ſi mores noſtros ſpectemus, ingratum domicilium, præſertim feminæ; ſed tamen non fugiendum ei qui vitam quoquo modo in longius tempus producere velit, & diu quam bene viuere malit. Quod enim & talis habitatio locorum ſubterraneorum iis qui illam ferre poſſunt ad longæuitatem non parum adiumenti afferat, cum rationibus e naturali contemplatione ductis, tum longæuorum compluriumexemplis, qui ſic vixerunt, docet Verulamius ſupra laudatus in Hiſtoria vitæ & mortis: ex quo non dubitat inter cauſas longæ vitæ hanc quoque referre, ſi quis in terræ cauernis habitet. *Vita* (inquit) *in antris & ſpeluncis, vbi aer non recipit radios ſolis, poſſit facere ad longæuitatem: aer enim per ſe ad prædationem corporis non multum poteſt, niſi calore excitatus. Certe ſi quis memoriam rerum recolat, ex pluribus reliquiis & monumentis conſtare videtur, fuiſſe hominum magnitudines & ſtaturas longe iis quæ poſtea fuerunt grandiores, vt in Sicilia & aliis nonnullis locis. Iſtiusmodi autem homines in ſpeluncis plerumque ætatem degebant: atqui diuturnitas ætatis & ampli-*

amplitudo membrorum habent nonnihil commune. Etiam antrum Epimenidis inter fabulas ambulat. Suſpicor etiam vitam anachoretarum columnarium ſimile quippiam fuiſſe vitæ in antris: quippe vbi radii ſolis parum penetrabant, neque aer magnas mutationes aut inæqualitates recipere poterat. Illud certum, vtrumque Simeonem Stylitam, & Danielem, & Sabam, atque alios anachoretas columnares admodum longæuos fuiſſe. Etiam anachoretæ moderni intra muros aut columnas ſepti & clauſi longæui ſæpius reperiuntur. Clara hæc Verulamii diſputatio, quæ eo tendit vt longæuos qui in antris habitant propterea eſſe demonſtret, quia aer ibi minus radiis ſolis attenuatur & incaleſcit: qui cum ſit immobilis & craſſiuſculus, minus adeo corpus penetret, non ita ſubſtantiam eius depaſcitur. Fortaſſe & qui e terra aſſidue manant halitus, vt ſupra dicebamus, valent ad corporis conſtipationem & quandam membris ſoliditatem afferunt, quæ res non parum conferre ad vitam diuturnam creditur.

Sed cum omnium philoſophorum & medicorum ſententia nihil adeo ad longam vitam faciat, quam alimentorum conditio & vtendi ratio, hanc præcipuam Sibyllæ longæuitatis cauſam haud dubitem ponere. Conditio optima cibi ad diu viuendum eſt, vt ſit ſimplex, nullis condimentis adulteratus: quicquid contra argutentur Marcio apud Plutarchum lib. 4. Sympos. cap. 1. & Euſtathius apud Macrobium lib. 7. Satur-

turnaliorum cap. 5. Magis enim me mouet Aristotelis iudicium, qui in prima sectione Quæstionum naturalium insalubrem esse omnem in cibis varietatem pronuntiat: ἡ ποικίλη τροφὴ νοσῶδες· ταραχώδης γὰρ, καὶ οὐ μία πέψις. Hæc namque negotium naturæ & perturbationem affert, propterea quod cibi multum diuersi eodem tempore non possunt a calore ventriculi confici; sed vnus citius, alius longiori tempore; quo fit vt vna & æqualis horum coctio non succedat, & simul cocta & cruda in venas rapiantur. Hanc autem confusionem vt valetudini, sic longæ vitæ multum obesse consentaneum est. Quod igitur Sibylla simplici admodum parabilique victu vsa sit, non multis verbis opus esse arbitror ad probandum de muliere solitaria & in antris viuente: sed nec vaticinii professioni & vitæ sanctitati cum ferculis lautarum mensarum & gulæ illecebris conuenit; potius cum simplici & puriore alimento. Ita enim Græcis mos cum cibum qui sit simplex & illaboratus *purum* vocare; quo genus propheticum & sapientes omnium nationum, qui longæui fuisse memorantur, vsos fuisse testatur Lucianus in Macrobiis. Locum adscribere placet, vt hominum in iis, quæ non modo ad vitæ longitudinem sed etiam sanctitatem faciunt, consensus pateat. Πιθανὸν δ' ἂν εἴη, ἄνδρα θεοῖς ἀνακείμενον, καὶ καθαρωτέρα διαίτῃ χρώμενον τὸν Τειρεσίαν ἐπιμήκιστον βιῶναι. καὶ γένη δὲ ὅλα μακρόβια ἱστορεῖται διὰ τὴν δίαι-

ταν,

ταν, ὥσπερ Αἰγυπτίων οἱ καλούμενοι ἱερογραμματεῖς, Ἀσσυρίων δὲ καὶ Ἀράβων οἱ ἐξηγηταὶ τῶν μύθων. Ἰνδῶν δὲ οἱ καλούμενοι Βραχμᾶνες, ἄνδρες ἀκριβῶς φιλοσοφίᾳ σχολάζοντες, καὶ οἱ καλούμενοι δὲ Μάγοι, γένος τοῦτο μαντικὸν καὶ θεοῖς ἀνακείμενον, παρά τε Πέρσαις, καὶ Πάρθοις, καὶ Βάκτροις, καὶ Χωρασμίοις, καὶ Ἀρείοις, καὶ Σάκαις, καὶ Μήδοις, καὶ παρὰ πολλοῖς ἄλλοις βαρβάροις. Ἐῤῥωμένοι τέ εἰσι καὶ πολυχρόνιοι, διὰ τὸ μαγεύειν διαιτώμενοι καὶ αὐτοὶ ἀκριβέστερον. id est, *Credibile est autem, Tiresiam hominem Diis deuotum & puriore victus ratione vtentem ad longissimum tempus vitam prorogasse. Quin totas nationes talis victus beneficio longæuas fuisse legimus. In his qui sacri scribæ apud Ægyptios dicebantur; qui item apud Assyrios & Arabes fabularum interpretes; Brachmanes quoque Indorum accurate philosophiæ studiis vacantes; præterea quos magos vocant. Genus illud fatidicum & Diis dicatum apud Persas, & Parthos, & Bactros, & Chorasmios, & Arios, & Saccas, & Medos, & alias multas gentes barbaras; qui & firma corporis valetudine vtuntur, & longæui existunt, cum magiæ beneficio quam exercent, tum quod & ipsi accuratiorem victus formam sequantur.*

Atque hinc Lucianum propriis verbis conuincimus, non recte omisisse Sibyllam in ea historia, quam dat, longæuorum; quæ neque minus Diis consecrata, neque minus vaticinio incly-

clyta fuerit, quam Tiresias: immo longe eo nobilior & in ore omnium fuit. Ex quo etiam verisimile est, non fuisse hanc magiæ imperitam, sed earum artium arcana edoctam quæ tantum cum Diis commercium haberet. Est autem Magia nihil aliud nisi θεῶν θεραπεία; ita enim hanc Plato in Alcibiade I. definit, & ex illo Apuleius in Apologia: ratio scilicet colendi Deos. Quo pacto accepta ad religionem omnino pertinet; magusque plane idem quod sacerdos qui leges scit & docet ceremoniarum, fas sacrorum, ius religionum. Quem magiæ modum excellenter tenuisse Sibyllam, responsa ab ea edita & oracula indicant, de quibus infra. Cæterum obtinuit etiam vsus vt Magia dicatur ea scientiæ naturalis pars, quæ in virium naturæ occultarum experientiis versatur, & solerti agentium cum patientibus compositione inusitatos edit effectus, quos vulgus imperitum dæmonibus adscribit. Ita enim solent ignari de iis iudicare quæ captum eorum superant. Quidni igitur & huius magiæ gnaram fuisse Sibyllam dicamus, vitamque his artibus ad longissimum temporis spatium sibi conseruasse, quod quæ maxime in natura occultis ad longæuitatem faciunt, siue proprio studio & inuestigatione, siue dæmonis cui ministrabat monstratu, comperta & explorata haberet? Certe Rogerius Baccho, celebris magiæ istius naturalis auctor, hoc artis illius præcipuum censet votum, vt aliquis sibi vitam vltra vsitatos natu-

naturæ fines conſeruet ; quemadmodum teſtatum reliquit in libello de mirabili poteſtate artis & naturæ his verbis : *Vltimus gradus in quem poteſt artis complementum cum omni naturæ poteſtate, eſt prolongatio vitæ vsque in magnum tempus. Quod autem hoc ſit posſibile multa experimenta docuerunt.* Exinde exempla affert quorumdam, qui vitam ſibi arte & ſecretis medicamentis ad miraculum produxerunt. Quæ falſa neceſſe eſt videantur iis, qui naturæ potentiam & opes parum animo præ imperitia æſtimare valent: quemadmodum etiam Plinius in ſeptimo hiſtoriæ naturalis libro cap. 1. admonet: *Naturæ vero rerum vis atque maieſtas, in omnibus momentis fide caret: ſi quis modo partes eius ac non totam complectatur animo.* Sed de Sibyllæ vita longa & eius cauſis hactenus.

CAPVT XIX.

De ſolitudine Sibyllæ, & eorum qui ſoli viuere poſſunt differentiis.

NUnc & de Sibyllæ ſolitudine aliquid dicamus : quam quidem multum illi placuiſſe, ex aliis eius proprietatibus ſupra explicatis intelligi poteſt. Sed quia variis cauſis homines ad ſolitudinem impelli poſſunt, non videtur alienum a propoſito eas cauſas conſiderare, ita enim fiet

vt magis fatidicæ illius ingenium & præſtantia ab omnibus cognoſcatur.

Primum illud conſtare debet, quod & cuiuis perſpicuum eſſe arbitror, neminem poſſe in ſolitudine viuere niſi qui ad id vitæ genus natura aptus ſit: aliter non diu in eo ſtatu permanere poterit, ſed aut eum mutabit, aut ipſe mutabitur; hoc eſt, ſuccumbet tædio & deſperatione extinguetur. Aptus autem homo omnino & animo & corpore vt intelligatur, vtriusque partis habitus ad id inſtitutum conſpiret neceſſe eſt. Habitum voco quam liceat nobis cum Philoſophis vocare aptitudinem, dictione haud Ciceroniana quidem, ſed tamen clara & neceſſaria. Eſt autem aptitudo quædam accommodatio, qua quis natura vel habitu ad aliquid agendum vel patiendum accommodatur. Quæ definitio eſt Auguſtini Niphi, inter recentiores Italiæ philoſophos facile principis, in libro quem de iis qui apte in ſolitudine viuere poſſunt compoſuit. Qui liber inter alia eius opuſcula, Gabrielis Naudæi conciuis mei viri clariſſimi ſtudio edita, extat.

Cum autem multa in corpore exiſtant per quæ ad aliquid aptus quis cenſeatur; quæ ſcilicet corporis bona dicuntur; ſunt autem hæc: ſanitas, robur, viuacitas, pulchritudo, velocitas pedum, viſus & aliorum ſenſuum acumen; ex his ſanam & ſatis firmam corporis conſtitutionem ſolitario maxime eſſe neceſſariam cenſet Niphus, & ex dicendis patebit. Sed & ea corporis conſtitutio

quæ

quæ ſit ad diu viuendum accommodata, licet non ſimpliciter eſt neceſſaria, ſolitario tamen vt diu vitæ ſolitariæ bono fruatur, & felix dici poſſit, apprime eſſe conuenientem ex ſequentibus etiam intelligetur. Neque enim felix quiſquam, niſi in ſatis longo temporis ſpatio, in quo ætatis curriculum ad metam naturæ legitimam perduci poſſit, dicendus auctore Philoſopho in primo Moral. ad Nicomachum. Quæ omnia magis poſtea patebunt.

Porro ſi iis quæ dixi corporis dotibus homines ad vitam in ſolitudine degendam idonei efficiuntur, non minus profecto eidem inſtituto fiunt apti iis quæ in anima ſita ſunt commodis, moribus ſcilicet ad omnem virtutem probe temperatis & apta animi ad contemplandum indole, cuius præcipue operatione ceu neceſſario alimento vita in ſeceſſu ſuſtentari poteſt. An autem & externa fortuitaque commoda ei qui in ſolitudine victurus ſit neceſſaria ſint, quæritur. Amplas quidem opes impedimento eſſe potius quam adiumento ſeceſſum & pacem amanti manifeſtis vita ipſa documentis monſtrat; diuites ſentiunt quibus fortuna mentem non ademit, neque illud euenit, *ſtultitiam patiuntur opes*. Præterea vbi res ampla eſt, ibi negotia & multitudo miniſtrantium adſit neceſſe eſt, aut breui omnis illa opulentia dilabatur & pereat. Neque enim dominus per ſe domeſtica omnia agere poſſit: quo fit vt nemini valde locupleti ſolitario & otio-

ſo eſſe ſiceat. An autem mediocris res familiaris parata ſolitario eſſe debet, ad eorum ſuppeditationem quæ ſunt vitæ neceſſaria? Victum vtique & veſtitum habeat neceſſe eſt, ſine quibus viui nullo modo poteſt. Verum neque iſtud de omni ſolitario liceat pronunciare: ſunt enim plures eorum modi, vt videre eſt apud eundem Niphum dicto libro *de iis, qui apte in ſolitudine viuere poſſunt*. Quatuor autem diſtinguit genera ſolitariorum: vnum diuinum & heroicum; alterum ferinum; tertium quod humanum appellat; quartum ciuile. Primum & alterum genus habemus apud Ariſtotelem in primo πολιτικῶν cap. 2. duobus locis: καὶ ὁ ἄπολις διὰ φύσιν καὶ ȣ̓ διὰ τύχην, ἤτοι φαῦλος ἐστὶν, ἢ κρείττων ἢ ἄνθρωπος. *Qui absque ciuitate eſt per naturam non autem fortuna coactus, is aut nequam eſt, aut homine melior.* Rurſus paulo infra in eodem capite; ὁ δὲ μὴ δυνάμενος κοινωνεῖν, ἢ μηθὲν δεόμενος δι' αὐτάρκειαν, ȣ̓δὲν μέρος πόλεως. ὥστε ἢ θηρίον ἢ θεός. *Qui autem in communi ſocietate eſſe non poteſt, aut nulla re indiget, quod ſibi ipſe ſufficiat, non eſt pars vlla ciuitatis: quare aut beſtia eſt aut Deus.* Reliqua duo genera ſolitariorum licet non tam expreſſe notata apud Ariſtotelem oſtendere poſſumus, tamen ex variis eius dictis accipiuntur. Interim quem *humanum* vocet ſolitarium Niphus, ipſe ibidem explicat: hunc ſcilicet, qui in agris quidem & locis remotis degit, verum non ita totus in contemplatione eſt, vt non aliquam

quam rei familiaris curam habeat, ac famulis, qui ſibi more hominum neceſſaria ſubminiſtrent, vtatur. Hunc autem vitæ ſolitariæ modum exprimit Niphus ex iis quæ habentur in lib. 10. Moral. ad Nicomachum, quo loco Philoſophus quem proponit contemplatione beatum, licet hunc *αὐταρκέστατον* cenſet, rebus tamen externis non poſſe carere ſtatuit, quia homo eſt: *δεήσει δὲ καὶ τῆς ἐκτὸς εὐημερίας ἀνθρώπῳ ὄντι.* Huius vitæ exempla habemus in Democrito, qui vt Hippocrates in epiſtolis teſtatur, rure agebat libris & contemplationi vacans, non tamen ſine famulis qui rem familiarem curarent: in Heraclito, qui in montibus viuebat, tametſi hic propior ſolitariis diuinis: in Anaxagora, qui patrimonium amplum propinquis conceſſit, vt ea cura liberatus vni contemplationi vacaret: in Platone, qui in Academiæ ſeceſſu nemoroſo ætatem philoſophiæ ſtudiis transegit: in Marone & Horatio, qui vrbis contemptores amica Muſis otia latis in fundis ſuis carpebant, ſeruorum interim & vernarum turba ſuccincti.

Ciuilem demum appellat ſolitarium, quisquis in vrbe agitans ortu & habitatione ciuis dici poteſt, non autem viuendi inſtituto, quia nullam reipublicæ attingit partem, & prorſus a negotio omni publico abſtinet. Talem vitam Athenis agebat Socrates, vrbi ita affixus vt quæ extra mœnia eſſent ignoraret, & præ ignorantia miraretur, cum aliquando in vicinum agrum a Phædro de-

tantum ; & Ariſtotelis temporibus Polydorum Prienenm, quem ſola contemplatione vixiſſe, neque vnquam alimentis aliis aut veſtimentis externisue vllis vſum tradunt. Quod ſi verum eſt, ſupra naturæ humanæ conditionem factum videri debet ; ſiue quapiam diuina ſorte accidit ; ſiue, quod potius reor de ethnico, dæmonis poteſtate talibus prodigiis hominibus aliquando illudentis, ad faciendam iis diuinitatis opinionem : vel innata illi ambitione imitandi opera Dei in ſanctis ; de quo ſupra eſt dictum. Eſt enim dæmon ſimia Dei.

Quod cum conſidero, non mihi videtur abſurdum, aliquid eiuſmodi dæmonem paraſſe ad ſuſtentandum Sibyllæ corpuſculum, quale Deum feciſſe legimus ad neceſſaria Eliæ & Joanni præcurſori ſuppeditanda in deſerto : & poſtea Paulo anachoretarum principi, auctore Hieronymo in eius vita. Legimus in tertio Regnorum, Eliam cum eſſet in ſolitudine torrentis Carith paſtum fuiſſe a coruis, ſingulari Dei prouidentia illi neceſſaria hoc modo exhibente. *Et factum eſt verbum Domini ad eum dicens : recede hinc & vade contra orientem, & abſcondere in torrente Carith, qui eſt contra Jordanem ; & ibi de torrente bibes : coruisque præcepi, vt paſcant te ibi.* Non me latet ambiguum eſſe nomen in textu Hebræo, quo non modo corui ſed etiam Arabes intelligi poſſint, vt notat Hieronymus ad hæc verba Eſaiæ 15. *Et viſitatio eorum ad torrentem ſalicum ducent eos ;*

ſed

ſed rectius eo loco Regnorum coruos exponi, res quæ ibi agitur declarat: iubet enim Deus abſcondi prophetam in torrente &c. Quomodo igitur abſconditus potuit alimenta accipere ab hominibus & latere regem Achab? Confirmat & quod de Paulo primo anachoreta idem Hieronymus tradit, quem itidem ſexaginta annos in ſolitudine corui miniſterio panem quotidie afferentis ſuſtentatum refert. Diuinus autem Joannes præcurſor a puero in deſertis verſatus melle agreſti & locuſtis vitam toleraſſe narratur Matth. 3. 4. Quidni igitur, ſi dæmonia diuinis opera comparare licet, eodem modo credamus dæmonis induſtria paſtam in antris & deſertis Sibyllam?

Non deſunt tamen qui nonnullam corporis humani proprietatem in diuinis ſolitariis ſubeſſe ſuſpicentur. Qua de re Philoſophus Sueſſanus dicto loco hunc in modum refert: *Alii vero boni Peripatetici eum ſolitarium poſſe conditionem, qua ſuperat humanam naturam, lucrari autumant ex principiis generationis. Homo enim ex principiis ortus non modo elementariam naturam ſibi comparare poteſt, qua eſt calidus, frigidus, humidus, vel ſiccus, aut inter hos medius; quaue eſt cholericus, ſanguineus, phlegmaticus, melancholicus, vel inter hos temperatus; verum etiam eam quæ a medicis hodie materialis complexio dicitur, quæue inſequens materiam appellatur: ſic enim nunc vocatur.* Vbi complexionem materialem vocat, quæ propriam cuiusque hominis particularis materiam ſequitur;

prompta deest, quamobrem veram hanc opinionem credamus. Nempe vt ait Cardanus, magna est contemplationis voluptas: quod & Philosophus testatur lib. 10. cap. 7. Moralium ad Nicomachum: δοκεῖ γοῦν (inquit) ἡ σοφία θαυμαστὰς ἡδονὰς ἔχειν καθαρειότητι καὶ τῷ βεβαίῳ, *mirabiles sapientia habere, puritate & fruendi constantia, voluptates videtur.* Sciunt autem omnes qui experiuntur. Puritate quidem excellunt, quia mentis operationem qua nihil sanctius sequuntur; stabilitate autem & constantia, ob naturam earum rerum quæ in contemplatione versantur: huiusmodi enim natura est rerum diuinarum quæ non mutantur. Cum igitur mens in his defixa hæret, simul & spiritus animæ ad omnem functionem ministri consistunt: minus igitur tunc dissipantur. Ita ea parte animi, quæ cæteris præest, erecta ac, vt Cicero in primo de Diuinatione ait, saturata bonarum cogitationum epulis, anima maxime vigescit & roboratur: quo fit, vt corpori magis dominetur, fluidam eius compagem potenter contineat, sibique constringat. Cum enim anima sit actus & perfectio corporis, fieri non potest, vt ipsa, cum in optimo quem habere possit statu & perfectione constituitur, non in eandem boni societatem corpus naturali sympathia pertrahat. Hoc modo igitur fit, quod Apostolus dicit, corpus spiritale ex animali, quantum scilicet vitæ huius conditio fert; ac sic ab anima comprehenditur, vt minimam

pro-

propriæ ſubſtantiæ diſſipationem patiatur. Hæc quam apte veterum ſapientum dictis congruant, ex hocce Zoroaſtris oraculo patet,

ἐκτείνας πύρινον νοῦν

Ἔργον ἐπ' εὐσεβίης, ῥευστὸν καὶ σῶμα σαώσης.

Si mentem ardentem ad opus pietatis intenderis, fluxum corpus ſeruabis. Neque enim puto aliquem eſſe tam veſanum, vt rerum diuinarum contemplationem pietatis operibus annumerandam negare audeat.

Quæ autem in contrarium Scaliger in 309 exercitationum earum quas ad Cardanum ſcripſit, contra eam opinionem affert, ea perfacile ex ea ipſa quam ibi habet diſputatione ſoluuntur. qua nihil aliud probat, niſi nimia & ſuperflua contemplatione & vigiliis immoderatis diſſipari ſpiritus tenuiores, animæ inſtrumenta, vitæ fomenta abſumi atque fundamenta labefactari. Sed de huiuſmodi ſpeculatione quæ modum excedat, Cardanus eam ſe protuliſſe ſententiam plane inficiatur, atque ita mentem ſuam declarat in prima actione in calumniatorem librorum de ſubtilitate: *Multum* (inquit) *intereſt inter contemplationem quæ eſt meditatio eorum quæ ſciuntur, tum inuentionem rerum nouarum quæ delectant & vitam producunt: & moleſtiam animi quæ acquiritur diſcendo atque interpretando cum difficultate.* Sed & Scaliger ipſe eo loco oſtendit, non ſe de omni contemplatione eam cenſuram profiteri, ſed de ea tantum, quæ modum excedit & nimio labore fati-

fatigat. Ita disputatio illa ad nihilum redit, vel certe explanationis potius quam impugnationis loco haberi debet.

Alterum quod in Sibyllæ instituto & viuendi genere considerandum venit, est loci in quo frequentius agitabat conditio. Spelunca enim hanc pro domo vsam omnes dicunt. Satis incommodum quidem, & si mores nostros spectemus, ingratum domicilium, præsertim feminæ; sed tamen non fugiendum ei qui vitam quoquo modo in longius tempus producere velit, & diu quam bene viuere malit. Quod enim & talis habitatio locorum subterraneorum iis qui illam ferre possunt ad longæuitatem non parum adiumenti afferat, cum rationibus e naturali contemplatione ductis, tum longæuorum complurium exemplis, qui sic vixerunt, docet Verulamius supra laudatus in Historia vitæ & mortis: ex quo non dubitat inter causas longæ vitæ hanc quoque referre, si quis in terræ cauernis habitet. *Vita* (inquit) *in antris & speluncis, vbi aer non recipit radios solis, possit facere ad longæuitatem: aer enim per se ad prædationem corporis non multum potest, nisi calore excitatus. Certe si quis memoriam rerum recolat, ex pluribus reliquiis & monumentis constare videtur, fuisse hominum magnitudines & staturas longe iis quæ postea fuerunt grandiores, vt in Sicilia & aliis nonnullis locis. Istiusmodi autem homines in speluncis plerumque ætatem degebant: atqui diuturnitas ætatis &*

ampli-

amplitudo membrorum habent nonnihil commune. Etiam antrum Epimenidis inter fabulas ambulat. Suspicor etiam vitam anachoretarum columnarium simile quippiam fuisse vitæ in antris: quippe vbi radii solis parum penetrabant, neque aer magnas mutationes aut inæqualitates recipere poterat. Illud certum, vtrumque Simeonem Stylitam, & Danielem, & Sabam, atque alios anachoretas columnares admodum longæuos fuisse. Etiam anachoretæ moderni intra muros aut columnas septi & clausi longæui sæpius reperiuntur. Clara hæc Verulamii disputatio, quæ eo tendit vt longæuos qui in antris habitant propterea esse demonstret, quia aer ibi minus radiis solis attenuatur & incalescit: qui cum sit immobilis & crassiusculus, minus adeo corpus penetret, non ita substantiam eius depascitur. Fortasse & qui e terra assidue manant halitus, vt supra dicebamus, valent ad corporis constipationem & quandam membris soliditatem afferunt, quæ res non parum conferre ad vitam diuturnam creditur.

Sed cum omnium philosophorum & medicorum sententia nihil adeo ad longam vitam faciat, quam alimentorum conditio & vtendi ratio, hanc præcipuam Sibyllæ longæuitatis caussam haud dubitem ponere. Conditio optima cibi ad diu viuendum est, vt sit simplex, nullis condimentis adulteratus: quicquid contra argutentur Marcio apud Plutarchum lib. 4. Sympos. cap. 1. & Eustathius apud Macrobium lib. 7. Satur-

turnaliorum cap. 5. Magis enim me mouet Aristotelis iudicium, qui in prima sectione Quæstionum naturalium insalubrem esse omnem in cibis varietatem pronuntiat: ἡ ποικίλη τροφὴ νοσῶδες· ταραχώδης γὰρ, καὶ οὐ μία πέψις. Hæc namque negotium naturæ & perturbationem affert, propterea quod cibi multum diuersi eodem tempore non possunt a calore ventriculi confici, sed vnus citius, alius longiori tempore; quo fit vt vna & æqualis horum coctio non succedat, & simul cocta & cruda in venas rapiantur. Hanc autem confusionem vt valetudini, sic longæ vitæ multum obesse consentaneum est. Quod igitur Sibylla simplici admodum parabilique victu vsa sit, non multis verbis opus esse arbitror ad probandum de muliere solitaria & in antris viuente: sed nec vaticinii professioni & vitæ sanctitati cum ferculis lautarum mensarum & gulæ illecebris conuenit; potius cum simplici & puriore alimento. Ita enim Græcis mos eum cibum qui sit simplex & illaboratus *purum* vocare; quo genus propheticum & sapientes omnium nationum, qui longæui fuisse memorantur, vsos fuisse testatur Lucianus in Macrobiis. Locum adscribere placet, vt hominum in iis, quæ non modo ad vitæ longitudinem sed etiam sanctitatem faciunt, consensus pateat. Πιθανὸν δ' ἂν εἴη, ἄνδρα θεοῖς ἀνακείμενον, καὶ καθαρωτέρᾳ διαίτῃ χρώμενον τὸν Τειρεσίαν ἐπιμήκιστον βιῶναι. καὶ γένη δὲ ὅλα μακρόβια ἱστορεῖται διὰ τὴν δίαιταν,

των, ὥσπερ Αἰγυπτίων οἱ καλέμϑροι ἱερογραμματεῖς, Ἀσυρίων δὲ καὶ Ἀράβων οἱ ἐξηγηταὶ τῶν μύϑων. Ινδῶν δὲ οἱ καλέμϑροι Βραχμᾶνες, ἄνδρες ἀκριβῶς φιλοσοφίᾳ χολάζοντες, καὶ οἱ καλέμϑροι δὲ Μάγοι, γένος τῦτο μαντικὸν καὶ Θεοῖς ἀνακείμϑρον, παρά τε Πέρσαις, καὶ Πάρθοις, καὶ Βάκτροις, καὶ Χωρασμίοις, καὶ Ἀρείοις, καὶ Σάκαις, καὶ Μήδοις, καὶ παρὰ πολλοῖς ἄλλοις βαρβάροις. Ἐῤῥωμένοι τέ εἰσι καὶ πολυχρόνιοι, διὰ τὸ μαγεύειν διαιτώμϑροι καὶ αὐτοὶ ἀκριβέστερον. id est, *Credibile est autem, Tiresiam hominem Diis deuotum & puriore victus ratione vtentem ad longissimum tempus vitam prorogasse. Quin totas nationes talis victus beneficio longæuas fuisse legimus. In his qui sacri scribæ apud Ægyptios dicebantur; qui item apud Assyrios & Arabes fabularum interpretes; Brachmanes quoque Indorum accurate philosophiæ studiis vacantes; præterea quos magos vocant. Genus illud fatidicum & Diis dicatum apud Persas, & Parthos, & Bactros, & Chorasmios, & Arios, & Saccas, & Medos, & alias multas gentes barbaras; qui & firma corporis valetudine vtuntur, & longæui existunt, cum magiæ beneficio quam exercent, tum quod & ipsi accuratiorem victus formam sequantur.*

Atque hinc Lucianum propriis verbis conuincimus, non recte omisisse Sibyllam in ea historia, quam dat, longæuorum; quæ neque minus Diis consecrata, neque minus vaticinio incly-

clyta fuerit, quam Tiresias: immo longe eo nobilior & in ore omnium fuit. Ex quo etiam verisimile est, non fuisse hanc magiæ imperitam, sed earum artium arcana edoctam quæ tantum cum Diis commercium haberet. Est autem Magia nihil aliud nisi θεῶν θεραπεία; ita enim hanc Plato in Alcibiade 1. definit, & ex illo Apuleius in Apologia: ratio scilicet colendi Deos. Quo pacto accepta ad religionem omnino pertinet; magusque plane idem quod sacerdos qui leges scit & docet ceremoniarum, fas sacrorum, ius religionum. Quem magiæ modum excellenter tenuisse Sibyllam, responsa ab ea edita & oracula indicant, de quibus infra. Cæterum obtinuit etiam vsus vt Magia dicatur ea scientiæ naturalis pars, quæ in virium naturæ occultarum experientiis versatur, & solerti agentium cum patientibus compositione inusitatos edit effectus, quos vulgus imperitum dæmonibus adscribit. Ita enim solent ignari de iis iudicare quæ captum eorum superant. Quidni igitur & huius magiæ gnaram fuisse Sibyllam dicamus, vitamque his artibus ad longissimum temporis spatium sibi conseruasse, quod quæ maxime in natura occultis ad longæuitatem faciunt, siue proprio studio & inuestigatione, siue dæmonis cui ministrabat monstratu, comperta & explorata haberet? Certe Rogerius Baccho, celebris magiæ istius naturalis auctor, hoc artis illius præcipuum censet votum, vt aliquis sibi vitam vltra vsitatos natu-

naturæ fines conſeruet; quemadmodum teſtatum reliquit in libello de mirabili poteſtate artis & naturæ his verbis: *Vltimus gradus in quem poteſt artis complementum cum omni naturæ poteſtate, eſt prolongatio vitæ vsque in magnum tempus. Quod autem hoc ſit posſibile multa experimenta docuerunt.* Exinde exempla affert quorumdam, qui vitam ſibi arte & ſecretis medicamentis ad miraculum produxerunt. Quæ falſa neceſſe eſt videantur iis, qui naturæ potentiam & opes parum animo præ imperitia æſtimare valent: quemadmodum etiam Plinius in ſeptimo hiſtoriæ naturalis libro cap. 1. admonet: *Naturæ vero rerum vis atque maieſtas, in omnibus momentis fide caret: ſi quis modo partes eius ac non totam complectatur animo.* Sed de Sibyllæ vita longa & eius cauſis hactenus.

CAPVT XIX.

De ſolitudine Sibyllæ, & eorum qui ſoli viuere poſſunt differentiis.

NUnc & de Sibyllæ ſolitudine aliquid dicamus: quam quidem multum illi placuiſſe, ex aliis eius proprietatibus ſupra explicatis intelligi poteſt. Sed quia variis cauſis homines ad ſolitudinem impelli poſſunt, non videtur alienum a propoſito eas cauſas conſiderare, ita enim fiet

vt magis fatidicæ illius ingenium & præstantia ab omnibus cognoscatur.

Primum illud constare debet, quod & cuiuis perspicuum esse arbitror, neminem posse in solitudine viuere nisi qui ad id vitæ genus natura aptus sit: aliter non diu in eo statu permanere poterit, sed aut eum mutabit, aut ipse mutabitur; hoc est, succumbet tædio & desperatione extinguetur. Aptus autem homo omnino & animo & corpore vt intelligatur, vtriusque partis habitus ad id institutum conspiret necesse est. Habitum voco quam liceat nobis cum Philosophis vocare aptitudinem, dictione haud Ciceroniana quidem, sed tamen clara & necessaria. Est autem aptitudo quædam accommodatio, qua quis natura vel habitu ad aliquid agendum vel patiendum accommodatur. Quæ definitio est Augustini Niphi, inter recentiores Italiæ philosophos facile principis, in libro quem de iis qui apte in solitudine viuere possunt composuit. Qui liber inter alia eius opuscula, Gabrielis Naudæi conciuis mei viri clarissimi studio edita, extat.

Cum autem multa in corpore existant per quæ ad aliquid aptus quis censeatur; quæ scilicet corporis bona dicuntur; sunt autem hæc: sanitas, robur, viuacitas, pulchritudo, velocitas pedum, visus & aliorum sensuum acumen; ex his sanam & satis firmam corporis constitutionem solitario maxime esse necessariam censet Niphus, & ex dicendis patebit. Sed & ea corporis constitutio

quæ

quæ ſit ad diu viuendum accommodata, licet non ſimpliciter eſt neceſſaria, ſolitario tamen vt diu vitæ ſolitariæ bono fruatur, & felix dici posſit, apprime eſſe conuenientem ex ſequentibus etiam intelligetur. Neque enim felix quisquam, niſi in ſatis longo temporis ſpatio, in quo ætatis curriculum ad metam naturæ legitimam perduci poſſit, dicendus auctore Philoſopho in primo Moral. ad Nicomachum. Quæ omnia magis poſtea patebunt.

Porro ſi iis quæ dixi corporis dotibus homines ad vitam in ſolitudine degendam idonei efficiuntur, non minus profecto eidem inſtituto fiunt apti iis quæ in anima ſita ſunt commodis, moribus ſcilicet ad omnem virtutem probe temperatis & apta animi ad contemplandum indole, cuius præcipue operatione ceu neceſſario alimento vita in ſeceſſu ſuſtentari poteſt. An autem & externa fortuitaque commoda ei qui in ſolitudine victurus ſit neceſſaria ſint, quæritur. Amplas quidem opes impedimento eſſe potius quam adiumento ſeceſſum & pacem amanti manifeſtis vita ipſa documentis monſtrat; diuites ſentiunt quibus fortuna mentem non ademit, neque illud euenit, *ſtultitiam patiuntur opes*. Præterea vbi res ampla eſt, ibi negotia & multitudo miniſtrantium adſit neceſſe eſt, aut breui omnis illa opulentia dilabatur & pereat. Neque enim dominus per ſe domeſtica omnia agere poſſit: quo fit vt nemini valde locupleti ſolitario & otio-

ſo eſſe liceat. An autem mediocris res familiaris parata ſolitario eſſe debet, ad eorum ſuppeditationem quæ ſunt vitæ neceſſaria? Victum vtique & veſtitum habeat neceſſe eſt, ſine quibus viui nullo modo poteſt. Verum neque iſtud de omni ſolitario liceat pronunciare: ſunt enim plures eorum modi, vt videre eſt apud eundem Niphum dicto libro *de iis, qui apte in ſolitudine viuere poſſunt.* Quatuor autem diſtinguit genera ſolitariorum: vnum diuinum & heroicum; alterum ferinum; tertium quod humanum appellat; quartum ciuile. Primum & alterum genus habemus apud Ariſtotelem in primo πολιτικῶν cap. 2. duobus locis: καὶ ὁ ἄπολις διὰ φύσιν καὶ οὐ διὰ τύχην, ἤτοι φαῦλός ἐστιν, ἢ κρείττων ἢ ἄνθρωπος. *Qui abſque ciuitate eſt per naturam non autem fortuna coactus, is aut nequam eſt, aut homine melior.* Rurſus paulo infra in eodem capite; ὁ δὲ μὴ δυνάμενος κοινωνεῖν, ἢ μηδὲν δεόμενος δι' αὐτάρκειαν, οὐδὲν μέρος πόλεως. ὥστε ἢ θηρίον ἢ θεός. *Qui autem in communi ſocietate eſſe non poteſt, aut nulla re indiget, quod ſibi ipſe ſufficiat, non eſt pars vlla ciuitatis: quare aut beſtia eſt aut Deus.* Reliqua duo genera ſolitariorum licet non tam expreſſe notata apud Ariſtotelem oſtendere poſſumus, tamen ex variis eius dictis accipiuntur. Interim quem *humanum* vocet ſolitarium Niphus, ipſe ibidem explicat: hunc ſcilicet, qui in agris quidem & locis remotis degit, verum non ita totus in contemplatione eſt, vt non ali-

quam

quam rei familiaris curam habeat, ac famulis, qui sibi more hominum necessaria subministrent, vtatur. Hunc autem vitæ solitariæ modum exprimit Niphus ex iis quæ habentur in lib. 10. Moral. ad Nicomachum, quo loco Philosophus quem proponit contemplatione beatum, licet hunc αὐταρκέστατον censet, rebus tamen externis non posse carere statuit, quia homo est: δεήσει δὲ καὶ τῆς ἐκτὸς εὐημερίας ἀνθρώπῳ ὄντι. Huius vitæ exempla habemus in Democrito, qui vt Hippocrates in epistolis testatur, rure agebat libris & contemplationi vacans, non tamen sine famulis qui rem familiarem curarent: in Heraclito, qui in montibus viuebat, tametsi hic propior solitariis diuinis: in Anaxagora, qui patrimonium amplum propinquis concessit, vt ea cura liberatus vni contemplationi vacaret: in Platone, qui in Academiæ secessu nemoroso ætatem philosophiæ studiis transegit: in Marone & Horatio, qui vrbis contemptores amica Musis otia latis in fundis suis carpebant, seruorum interim & vernarum turba succincti.

Ciuilem demum appellat solitarium, quisquis in vrbe agitans ortu & habitatione ciuis dici potest, non autem viuendi instituto, quia nullam reipublicæ attingit partem, & prorsus a negotio omni publico abstinet. Talem vitam Athenis agebat Socrates, vrbi ita affixus vt quæ extra mœnia essent ignoraret, & præ ignorantia miraretur, cum aliquando in vicinum agrum a Phædro

deductus fuisset; quo nomine eum Phædrus amice increpat. Cui ille hunc in modum respondet: Ignosce mihi, optime Phædre: nam discendi cupidus sum, agri vero & arbores nihil me docere possunt, sed homines qui in vrbe versantur. Homines ii vtplurimum adolescentes ingenui, aut sophistæ, aut vates, aut rhapsodi erant, cum quibus in gymnasiis & palæstris aut amicorum conuiuiis disputabat. Ita ciuis erat Socrates & non erat; loco vt dixi ciuis, viuendi ratione solitarius, quia veri vbique inuestigator & contemplationi addictus, cui inter vrbis strepitus vacabat: vel, vt Niphus dicit, mente solitarius, corpore ciuilis. Nec dubitem in eodem ciuilium solitariorum albo ponere Ciceronem, post amissam rempublicam, ex iis quæ habet in præfatione libri secundi Officiorum: *Cum autem respublica, in qua omnis mea cura, cogitatio, opera poni solebat, nulla esset omnino; illæ scilicet literæ conticuerunt, forenses & senatoriæ. Nihil autem agere cum animus non posset, in iis studiis ab initio versatus ætatis, existimaui honestissime molestias deponi posse, si me ad philosophiam retulissem.* Omnes denique qui in vrbibus versantes philosophiæ & aliarum ingenuarum artium studiis ætatem transigunt, in eandem solitariorum classem esse redigendos palam est. Ac de quadruplici solitudinem colentium genere hactenus.

Ex his ad quam potissimum horum solitariorum classem Sibylla pertineat, non difficile est con-

conſtituere. Iis enim quos Ariſtoteles deos, Niphus diuinos appellat, eſſe aggregandam, non immerito aliquis exiſtimauerit, quæ in antris habitaret, & re familiari & famulatu omni careret, ſola (vt veriſimile eſt) benignitate eorum quibus reſponſa dabat de futuro vitam toleraret. Neque huic coniecturæ obſtat, quod Erythræa dicta ſit, aut ab aliis vrbibus nomen traxerit. Non enim ſic nominata, quod in vrbibus habitaret, ſed quia prope & in regione, quod ad denominationem ſufficit. Sed de his nominibus infra accuratiu[illegible]emus; quæ hominibus impoſuerunt, vt qu[illegible]ſſet vates, plures eſſe crederentur. Sic vix[illegible]byllam arbitror (abſit comparationi inuidia) vt olim lumina eremi Paulus, Antonius, Hilarion vixerunt: vel vt Elias Thesbites, & Joannes Baptiſta, ambo diuiniſſimi & digni qui angelis potius quam hominibus annumerentur. De quorum vita in hoc mundo ſic Paulus Apoſtolus loquitur ad Hebræos cap. 11. verſu 37. περιῆλθον ἐν μηλωταῖς, ἐν αἰγείοις δέρμασιν· ὑστερούμενοι, θλιβόμενοι, κακουχούμενοι (ὧν οὐκ ἦν ἄξιος ὁ κόσμος) ἐν ἐρημίαις πλανώμενοι, καὶ ὄρεσι καὶ σπηλαίοις, καὶ ταῖς ὀπαῖς τῆς γῆς. *Circumuagati ſunt in ouium & caprarum pellibus, egentes, preſſi & afflicti, quibus dignus non erat mundus; in ſolitudinibus errantes, in montibus, in ſpeluncis & cauernis terræ.* Quibus addit Niphus Elpidium Cappadocem, qui bis tantum veſcebatur in hebdomada; Medericum Edunenſem, qui ſemel

 tan-

tantum ; & Ariſtotelis temporibus Polydorum Priencum, quem ſola contemplatione vixiſſe, neque vnquam alimentis aliis aut veſtimentis externisue vllis vſum tradunt. Quod ſi verum eſt, ſupra naturæ humanæ conditionem factum videri debet ; ſiue quapiam diuina ſorte accidit ; ſiue, quod potius reor de ethnico, dæmonis poteſtate talibus prodigiis hominibus aliquando illudentis, ad faciendam iis diuinitatis opinionem : vel innata illi ambitione imitandi opera Dei in ſanctis ; de quo ſupra eſt dictum. Eſt enim dæmon ſimia Dei.

Quod cum conſidero, non mihi videtur abſurdum, aliquid eiuſmodi dæmonem paviſſe ad ſuſtentandum Sibyllæ corpusculum, quale Deum feciſſe legimus ad neceſſaria Eliæ & Joanni præcurſori ſuppeditanda in deſerto : & poſtea Paulo anachoretarum principi, auctore Hieronymo in eius vita. Legimus in tertio Regnorum, Eliam cum eſſet in ſolitudine torrentis Carith paſtum fuiſſe a coruis, ſingulari Dei prouidentia illi neceſſaria hoc modo exhibente. *Et factum eſt verbum Domini ad eum dicens : recede hinc & vade contra orientem, & abſcondere in torrente Carith, qui eſt contra Jordanem ; & ibi de torrente bibes : coruisque præcepi, vt paſcant te ibi.* Non me latet ambiguum eſſe nomen in textu Hebræo, quo non modo corui ſed etiam Arabes intelligi poſſint, vt notat Hieronymus ad hæc verba Eſaiæ 15. *Et viſitatio eorum ad torrentem ſalicum ducent eos ;*

ſed

ſed rectius eo loco Regnorum coruos exponi, res quæ ibi agitur declarat: iubet enim Deus abſcondi prophetam in torrente &c. Quomodo igitur abſconditus potuit alimenta accipere ab hominibus & latere regem Achab? Confirmat & quod de Paulo primo anachoreta idem Hieronymus tradit, quem itidem ſexaginta annos in ſolitudine corui miniſterio panem quotidie afferentis ſuſtentatum refert. Diuinus autem Ioannes præcurſor a puero in deſertis verſatus melle agreſti & locuſtis vitam toleraſſe narratur Matth. 3. 4. Quidni igitur, ſi dæmonia diuinis opera comparare licet, eodem modo credamus dæmonis induſtria paſtam in antris & deſertis Sibyllam?

Non deſunt tamen qui nonnullam corporis humani proprietatem in diuinis ſolitariis ſubeſſe ſuſpicentur. Qua de re Philoſophus Sueſſanus dicto loco hunc in modum refert: *Alii vero boni Peripatetici eum ſolitarium poſſe conditionem, qua ſuperat humanam naturam, lucrari autumant ex principiis generationis. Homo enim ex principiis ortus non modo elementariam naturam ſibi comparare poteſt, qua eſt calidus, frigidus, humidus, vel ſiccus, aut inter hos medius; quaue eſt cholericus, ſanguineus, phlegmaticus, melancholicus, vel inter hos temperatus; verum etiam eam qua a medicis hodie materialis complexio dicitur, quaue inſequens materiam appellatur: ſic enim nunc vocatur.* Vbi complexionem materialem vocat, quæ propriam cuiusque hominis particularis materiam ſequitur;

tur; quam scilicet alias proprietatem indiuidualem dicimus: cuiusmodi innumerabiles existunt in hominibus, cum nemo sit cui non sua a primordiis naturæ atque ortu contigerit. Huiusmodi etiam proprietatem agnoscit Auenrois in sexto eorum librorum, quos vulgus Colliget nomine barbaro appellat. *Qualibet materia*, inquit, *habet accidentia propria & fixa in ipsa, sine accidentibus quæ manant a forma. Et hæc accidentia, quæ sunt in materia sunt causæ varietatum, quæ in naturis indiuiduorum inueniuntur.* Non immerito autem has proprietates *materiales* vocant: cum enim ad formam, quæ speciem humanam constituit, referri non possint, supereſt vt materiæ adscribantur; non illi communi omnibus, sed vt dixi, propriæ cuiusque hominis, quæ vt apertius exponam, nihil aliud est nisi modus quidam & qualitas temperamenti, quam Galenus in 1. ad Glauconem initio, ἰδιοσυγκρασίαν vocat: ex qua eæ proprietates manant quas Alexander in præfatione problematum ἰδιότητας ἀῤῥήτους ab iisdem medicis dici testatur.

Censet igitur Niphus, Aristotelis sententia talem interdum fieri concursum elementorum in corporis constitutione, ex quo aliquis ingenio ad virtutem inusitato & continentia heroica nascatur: præterea quam paucissimis aut nullis egeat alimentis & tegumentis, vitam denique vltra humanæ viuacitatis metam proroget. Quin Gentilis Fulginas, qui Auisennam commentariis illu-

illuſtrauit, Eliam prophetam ex perfecta tempe-ramenti æqualitate, & æquilibri ad vnguem in eius corpore proportione elementorum, potuiſ-ſe quauis in mundi regione & elemento conſiſtere putat; quod eius corpus æquatis perfectę elemen-torum qualitatibus ad vnam potius quam aliam loci differentiam non inclinaret. Ex quo factum credit, vt propheta ille in turbine igneo & curru equorum flammantium recipi poſſet. Hoc ſci-licet nixus dicto Auenrois, quod eſt in primo de cælo text. comm. 7. *ſi componeretur* (inquit) *æqua-liter aliquod corpus, poſſet non moueri omnino ſed ſtaret, quocumque in loco poneretur.* Vbi ingenii humani imbecillitatem contemplari licet, & do-ctorum infelicitatem conqueri, quibus ipſa illu-dat philoſophia, ipſa ratio ſuperflua cauſarum in-dagatione in inſaniam erumpat. Nam ſi quod Gentilis opinatur verum ſit, ſequitur & Chri-ſtum Dominum eadem ad amuſſim æquali ele-mentorum proportione ambulaſſe pedibus ſuper mare, & quadraginta dies totos in eremo abſque cibo & potu toleraſſe. Omnia quæ de miracu-lis eius & aliorum ſanctorum leguntur, ad ali-quam occultam naturæ proprietatem, puta animæ præſtantem vigorem vt cenſuit Algazel, aut ad materialem complexionem & indiuidui proprie-tatem referetur. Ita multorum, quæ religio cre-denda proponit, fides periclitabitur, imo pror-ſus labefactabitur. Quanto ſatius eſt atque etiam veræ philoſophiæ congruentius, in arduis eiuſ-

modi

modi & inusitatis aliquam vim agnoscere natura præstantiorem, quæ talia moderetur, neque naturalibus causis assignare, quæ earum potentiam superant? Quo sane tandem Suessanus philosophus redit, qui hic Peripateticorum suorum partes mauult deserere, quam veritatem. Ita enim sermonem de solitario diuino terminat: *Verum inter nos & Peripateticos hanc differentiam arbitramur. Nam Peripatetici illud fieri posse putant naturæ tam vniuersalis quam particularis beneficio: quod Auisenna dilucide exponere enisus est. Nos vero in Joanne Baptista & aliis id genus ex diuina ordinatione factum esse censemus: quam diuinam ordinationem licet Aristoteles ignorauerit, qui cuncta lumine naturali tradit, tamen id factum esse aliquando, nec ignorauit, nec negauit, cum huiusmodi hominem libro Politicorum primo appellet Deum.*

CAPVT XX.

De ferina ad vitam solitariam indole, & de belluinis temperamentis.

SEd de viris illis sanctissimis, quantum iis natura, quantum naturæ auctor Deus facultatis ad virtutem contulerit, Theologis accuratius discutiendum relinquamus. Vt autem susceptum de Sibyllæ solitudine sermonem absoluamus, consequens videtur vt de ea quoque solitarii differen-

ferentia, quæ minus nobilis & beſtiam ſapit, aliquid pro inſtituti modo dicamus. Quoſdam igitur naſci ingenio tam inhumano, vt ſocietatem ferre non poſſint, quos Græci *ἀπανθρώπους* & *μισανθρώπους*, hoc eſt, *ab hominibus alienos & abhorrentes, hominum oſores*, vocant, multis rerum & literarum documentis oſtendi poteſt. Primum enim Cyclopes occurrunt apud Homerum, ferarum ritu in montium ſpeluncis viuentes, nulla inter ſe ſocietate aut commercio coniuncti: ita enim de iis tradit,

θεμιστεύει δὲ ἕκαστος
Παίδων ἠδ᾽ ἀλόχων· οὐδ᾽ ἀλλήλων ἀλέγουσι.
Ius autem dat vnusquisque
Liberis atque vxoribus: neque ſe inuicem curant.

Hos igitur agreſtes natura & ferinos fuiſſe, vitæ inſtitutum & conſuetudo indicat; quam vt plurimum ex natura proficiſci Galenus in libro quem de ea ſcripſit, notat. Sed & Timon ille Athenienſis in eo albo, vniuerſi generis humani odio inſignis & nomen adeptus: nam *μισάνθρωπος* vulgo dictus fuit. Fortaſſis & Metabus Priuernatium regulus, Camillæ pater, talis fuit; de quo Maro in vndecimo Æneidos ſic:

Non illum tectis vllæ, non mœnibus vrbes
Accepere: neque ipſe manus feritate dediſſet.

Ita enim Seruius exponit: *ſi qui etiam eum ſuſcipere voluiſſent, ille tamen eorum conſortia morum feritate fugiſſet.* Heroicis autem temporibus Hippolytus Theſei filius intractabili quadam morum

rum duritia & toruitate inflexibili fuisse memoratur, ideoque in montibus & locis solis venatibus se exercens hominum congressus fugiebat: qui vsque adeo ferus & inhumanus fuisse dicitur, vt nullis se mulierum illecebris inflecti pateretur. Quæ res illi magnam perniciem attulit insidiis nouercæ, vt tragœdiis vulgatum. Quin ne morte quidem mores pristinos & solitudinis amorem narrant deponere potuisse, sed ad vitam postliminio reuocatum arte Æsculapii vixisse exinde semper abstrusum in siluis.

At Triuia Hippolytum secretis alma recondit
Sedibus, & Nymphæ Ægeriæ, nemorique relegat;
Solus vbi in siluis Italis ignobilis æuum
Exigeret.

Atque hæc istius generis hominum, qui ingenii feritate solitariam vitam sequuntur, exempla attulisse sufficiat. Sed viros huius monstri reperiri, qui hominum societatem fugiant & auersentur, non adeo equidem admirer; quam nonnullas in eodem albo feminas extitisse, quæ scilicet solæ in antris ferarum more viuere vellent. Multo enim mitiore sunt ingenio quam mares, in belluarum etiam genere, Aristotele auctore lib. 9. Histor. animal. cap. 1. tum quanto iis corpus infirmius quam viris contingit, tanto minus viuere possunt in solis locis & priuatione omnis auxilii humani. Quod tamen aliquæ eiusmodi extiterint, exemplo esse potest Atalanta Jasonis filia apud Ælianum lib. 13. Var. Hist. cap. 1. Enimuero

uero ſi quæ de eius virginis moribus & habitatione narrat, vera ſunt; vrſis potius quam puellis annumerandam putem. Quid enim aliud dicam de ea, quæ ab infantia lupæ vberibus educata, in Arcadiæ montibus antro & ſiluis horrendis incluſa vixerit? Nec dubitem, inter alia agreſtis & ferinæ indolis argumenta ponere inuſitatam velocitatem pedum, qua feras quoque ipſas curſu aſſequebatur fugientes, aut irruentes poſt ſe relinquebat & fruſtrabatur. Habebat & in vultu ferinum quid, certe aſperius rigidiusque quam ferri poſſet in femina, nedum virgine; tametſi pulchram fuiſſe & viris expetitam Ælianus dicit: in quo aliqua eſt pugnantia. Sic autem de oris eius filo & ſpecie prodit: ἀῤῥενωπὸν ἦν καὶ γοργὸν ἔβλεπε. τοῦτο μὲν καὶ ἐκ τῆς θηρείου τροφῆς. ἐπεὶ καὶ θυμοειδὴς ἦν. & paulo poſt: κορικόν τε καὶ ῥαδινὸν οὐδὲν εἶχεν. οὐ γὰρ ἐκ θαλάμου προῄει, οὐδὲ ἦν τῶν ὑπὸ μητράσι, καὶ τίτθαις τρεφομένων. id eſt, *fuit virili & toruo aſpectu: quod illi ex victu ferino; ſiquidem & iracunda erat. Puellare quidem nihil neque molle habuit: neque enim de thalamo prodierat, aut more aliarum ſub matre & in nutricis gremio educata fuerat.* Merito igitur diſſimilis aliis, cui tam diuerſa educatio & viuendi genus contigiſſet. At Vates incomparabilis hæc omnia in Camilla, fera quoque virgine & similiter educata, vno epitheto expreſſit, vel certe cogitandum obiecit:

Turnus ad hæc oculos horrenda *in virgine fixus.*

Timanthis velamen eſt hoc epithetum, quo audito

dito plura se animo offerunt, quam Poeta vllis verbis exprimere potuisset.

Simile quid in corporis habitu & oris effigie cultuque Sibyllæ fuisse putandum est, quo & ipsa visu horrenda dici posset; tametsi verbis exprimere promptum non est, sed animo æstimare licet, quæ ad venerationem visentes impelleret, humanam fugeret societatem, in antris habitaret, victu non minus diuerso vteretur. Ex quo etiam verisimile fit, & prope adducor vt credam, hanc in ordinem potius & classem referendam eorum solitariorum, quos Aristoteles feris comparat, quam eorum qui studio contemplationis secedunt, atque vt deorum vitam agentes diuinitatis appellatione ornantur. Quæ coniectura si cui magis arridet, non continuo improbare debet quæ supra de ingenii felicitate & mentis præstantia in Sibylla exposuimus; sed cogitare debet, in tam vetustis & ideo incertis neque a quoquam hactenus tentatis, ita nobis esse versandum vt possumus, ac sufficere, si multa hinc inde conferamus verisimilia, atque in medio ponamus doctis & cordatis viris diiudicanda; ex quibus quisque quod magis placeat eligat. Sicubi enim alias, hic profecto suo cuique abundare iudicio licet.

Solum quid *feritatis* vocabulo intelligam, nolim quemquam ignorare. Non enim quam virtuti heroicæ opponit Aristoteles, quouis vitio deteriorem, hominum humanitatis omnis expertium & sola figura differentium a belluis: qualis feri-

feritas est anthropophagorum, & si quæ aliæ nationes sine lege, sine religione, solis sensibus brutorum more viuunt; de quibus Aristoteles in septimo Moralium cap. 6. Sed eorum, qui naturali animi rigore & toruitate a societate abhorrentes vitam segregem eligunt; cúmque montium speluncis abditi, vel in campis desertis vagantes, victu infelici vtantur, variis cæli iniuriis pateant, minus tamen morbis vexantur, sed causis externis fortius quam pro natura humana resistunt: quibus si aliquando lædantur, ac morbos contrahant, ab iis sponte nulla medicorum opera euadunt. Quod esse belluinum testatur Auenrois lib. 7. Colliget. cap. 31. Verba adscribam: *Multos inuenies complexiones habentes densas, qui ex fortibus ægritudinibus euadunt sine medico & medicina: sicut barbari & Arabes, qui in deserto habitant. Et hoc fit, quia aliquam cum brutis assimilationem habent; & pro majori parte hoc accidit illis qui complexionem habent effrenem.*



PETRI PETITI Philosophi, & Doctoris medici, DE SIBYLLA LIBER SECVNDVS.



CAPVT I.

De patria & nomine proprio Sibyllæ. Vnde Erythræa *dicta sit. Seruii error notatus.*



HActenus quæ ad naturam Sibyllæ & magis insignes proprietates attingere visa sunt, satis pro instituto accurate exposuisse videor; restant externa quædam & historica, in hoc libro explananda: in quibus constituendis multum negotii habent eruditi, neque conuenire inter se possunt. In hoc genere prima occurrit patria. Nam qui plures Sibyllas distinguunt, varia iis oppida & regiones, vbi natæ sint, assignent necesse est. Vnde variæ illis appellationes tribuuntur: Babylonia siue Chaldæa, Phrygia, Erythræa, Colophonia, Libyssa, atque alia ejusmodi a locis sum-

pta

pta epitheta. Nos autem qui vnicam fuisse Sibyllam censemus, & probauimus, hanc patria fuisse Erythræam, atque ita appellandam ostendemus. Primum auctoritate Aristotelis loco sæpius iam indicato e Variæ historiæ libello, qui inscriptus est *θαυμασίων ἀκουσμάτων admirandarum auditionum*. Quem locum denuo hic legentibus ob oculos ponere nihil vetat: ἣν (Σίβυλλαν) πολυχρονιωτάτην γενομένην παρθένον διαμεῖναί φασιν, οὖσαν μὲν Ἐρυθραίαν, ὑπό τινων δὲ τὴν Ἰταλίαν κατοικούντων Κυμαίαν &c. *Quam, cum diu admodum vixerit, mansisse virginem ferunt, patria quidem Erythræam, a quibusdam autem Italiæ incolis Cumæam fuisse nuncupatam.* Clarum hoc Aristotelis testimonium est, & quod vna fuerit Sibylla, & quod ortu Erythræa. Cui alterum accedit Hermiæ philosophi in secundo commentariorum ad Phædrum Platonis: quo significatur, & Sibyllam Platoni memoratam in eo dialogo natione Erythræam fuisse, & Eriphylen seu Herophilen vocatam. ἐπεὶ αὐτή γε ἡ Σίβυλλα ἡ Ἐρυθραία περὶ ἧς νῦν λέγει, Ἐριφύλη ἐκαλεῖτο ἐξ ἀρχῆς. Idem & Senatus Romani auctoritate ostendi potest, quem Fenestella, non malus Romanarum rerum auctor, post Capitolii exustionem, in quo reconditi erant Sibyllæ libri, his cum æde incendio absumptis, ac instaurato ædificio, cum de Sibyllinis item reparandis deliberaretur, in eam sententiam venisse tradit, vt legati Erythras mitterentur, homines periti &

diligentes, qui carmina Sibyllæ conquiſita Romam deportarent. Mandata eſt autem hæc prouincia P. Gabinio, M. Otacilio, & L. Valerio, qui in eam ciuitatem profecti deſcriptos ibi a priuatis verſus circiter mille Romam reportaſſe dicuntur. Quo patrum conſulto & legatione vehementer id quod de Sibyllæ patria dixi, confirmatur. Neque enim Romani Erythras potiſſimum ea cauſa triumuiros illos miſiſſent, niſi iudicaſſent petenda inde eſſe Sibyllæ carmina, vbi natam fuiſſe perpetuo gentium conſenſu fama obtineret.

Neque vero obſtat quod Cornelius Tacitus paulo diuerſus abit, dum lib. 6. Annalium cap. 12. ita refert : *Simul commonefecit*, (Tiberius) *quia multa vana ſub nomine celebri vulgabantur, ſanxiſſe Auguſtum, quem intra diem ad prætorem vrbanum deferrentur, neque habere priuatim liceret. Quod a maioribus quoque decretum erat, poſt exuſtum ſociali* (vel potius, vt recte Lipſius emendat, *ciuili*) *bello Capitolium, quæſitis Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiam ac Siciliam & Italicas colonias carminibus Sibyllæ; vna ſeu plures fuere; datoque ſacerdotibus negotio, quantum humana ope potuiſſent, vera diſcernere.* Et ante illum Dionyſius Halicarnasſenſis, in eandem ferme ſententiam ſcriptum reliquerat, de hac Capitolii conflagratione & verſuum Sibyllæ inſtauratione tradens : *οἱ νῦν ὄντες ἐκ πολλῶν εἰσὶ συμφορηθέντες τόπων· οἱ μὲν ἐκ τῶν ἐν τῇ Ἰταλίᾳ, οἱ δὲ ἐξ Ἐρυθρῶν*

ἐκ

ἐν τῇ Ἀσίᾳ, οἱ δ᾽ ἐξ ἄλλων πόλεων. id eſt: *Quæ hodie extant carmina ſunt e pluribus locis illa collatitia. Nonnulla ab Italiæ vrbibus: quædam Erythris ex Aſia deportata: nonnulla autem aliunde.* Hæc, inquam, minime obſtant: quia non eſt abſurdum, vnius eiuſdemque vatis, quæ Erythris nata ſit, carmina non in eo oppido tantum, ſed etiam in aliis reperiri locis. Quod quomodo factum ſit, inferius ſuo loco dicemus.

Sed neque audiendi, qui hanc Mermiſſo, vel Marpeſſo, Troadis oppido volunt ortum habuiſſe; dictam autem *Erythræam* a rubicundo eius vrbis colore, vel etiam ſoli; vt eſt apud Stephanum: Μερμησσὸς πόλις Τρωική, ἀφ᾽ ἧς ἡ Ἐρυθραία Σίβυλλα· ἦν γὰρ ἡ πόλις αὐτὴ ἐρυθρὰ τῷ χρώματι. id eſt, *Mermeſſus oppidum eſt in regione vbi Troia fuit, ex quo Erythræa Sibylla. Erat autem ea vrbs colore rufa.* Pauſanias in Phocicis patria Marpeſſiam cenſet, Erythræam autem nominatam a colore ſoli: ὑπερέρυθρος δὲ πᾶσα ἡ περὶ τὸν Μάρπησσον γῆ, καὶ δεινῶς ἐστὶν αὐχμώδης. id eſt, *ſupra modum rubra eſt humus tota circa Marpeſſum & vehementer ſicca.* Sed hæc friuola ſunt & fide indigna. Cui enim vnquam homini, vel rei, nomen a loci colore inditum fuit, cum eius coloris particeps non eſſet? Nam ne ipſe quidem ſinus Arabicus, qui vulgo mare rubrum dicitur, id nomen hac ſola ratione adeptus, quod vadum ſubtus rubrum ſit, ſed quia falſo creditum fuit ab ignaris aquam inde colorari:

vel, quia ibi Erythras regnauit, vt refert Pomponius Mela lib. 3. de situ orbis cap. 8. a quo Græci ἐρυθρὰν θάλασσαν dixerunt. Quod propius ad verum accedit. Cum enim Isaaci patriarchæ filius primogenitus Esau, qui Arabiam ei mari confinem tenuit, Edom vocaretur, (quod nomen Ebræis *rubrum* sonat) quod is toto corpore rufus ab ortu esset, ab eoque is sinus mare Edom diceretur, Græci vertentes, ἐρυθρὰν θάλασσαν, hoc est, mare rubrum vocarunt. In quo quidem nihil, quod absonum videri debeat. Sibyllam autem solo aut vrbe, quantumuis rubra, ortam degentemue, cum ipsa eo colore infecta non esset, rubram & Græce Erythræam propterea dici, dictu absonum & perridiculum est.

Hac igitur tam inficeta nominis huius Sibyllæ expositione explosa, superest vt *Erythræa* dicta sit ab vrbe Erythris. Duæ autem vrbes feruntur eius nominis: vna in Græcia, ditionis Platæensium, inter Megaram & Thebas sita; altera in Asia, ciuitatibus Jonicis annumerata, prioris illius colonia, vt ex Strabone discimus. Hanc quæ in Jonia est, patriam Sibyllæ censemus, non priorem: qua autem coniectura, infra patebit. Remouendus interim Seruii Grammatici error, qui loco supra notato Sibyllam ab Erythræa insula oriundam dicit: *Illa* (inquit) *hausit arenam manibus, & longam vitam poposcit. cui Apollo respondit: id posse fieri, si Erythræam insulam in qua habitabat relinqueret, & eam nunquam videret.* Cæterum

terum nullam in ea regione, in qua nata eſt Sibylla, eius nominis inſulam eſſe conſtat. Sunt quidem inſulæ quædam Erythris adiacentes; verum non eo nomine: neque Erythrææ, ſed ἵπποι olim vocabantur, Strabone teſte lib. 14. κατὰ μέσον δὲ πȣ τὸν περίπλȣν αἱ Ἐρυθραὶ, πόλις Ἰωνικὴ λιμένα ἔχȣσα, καὶ νησίδας προκειμένας Ἵππȣς καλȣμένας. id eſt, *in medio fere curſu Erythræ ſunt, ciuitas Jonica, habens portum, & iuxta inſulas exiguas* Ἵππȣς *nominatas.* Quod autem Solinus cap. 26. in capite Bæticæ, vbi extremus eſt noti orbis terminus, inſulam deſcribit ſeptingentis passibus a continenti diſtantem, Erythræam nominatam, quod hanc Tyrii a rubro profecti mari habitarint, nihil ad Sibyllam Erythræam, de qua agimus, pertinere palam eſt.

CAPVT II.

Aliæ ambages de patria Sibyllæ. Veterum de hac re diſſenſio & pugna. Juſtini Martyris & Lactantii loca expenduntur.

SEd alias video ambages & difficultates. Quod enim Homero vatum ſummo accidiſſe dicitur, vt poſt eius mortem ſeptem de eius natali ſolo inter ſe vrbes contenderent, id & Sibyllæ quoque memoriæ & honori datum eſſe, multis oſtendi poteſt. Jam viſum eſt de Marpeſſo vrbe, obti-

 nuiſſe

nuisse famam & proditum fuisse, ea in regione vbi ea ciuitas esset, ortus initium habuisse Sibyllam, & quomodo ibi genita Erythræa dicta sit. Cæterum & Sibyllæ ipsius carmen de suo genere pro ea opinione proferebant ciues Marpessi; quod a Pausania in Phocicis relatum adscribere operæ pretium est.

Εἰμὶ δ' ἐγὼ γεγαῦα μέσον θνητῶν τε θεῶν τε
Νύμφης δ' ἀθανάτης, πατρὸς δ' αὖ κητοφάγοιο.
Μητρόθεν Ἰδογενής, πατρὶς δέ μοι ἐστὶν ἐρυθρὴ
Μάρπησσος, μητρὸς ἱερή, ποταμὸς δ' Αἰδωνεύς.

quos versus sic latinè vertit Sylburgius:

Inter vtrumque sequor medium, Diuasque hominesque,
Nympha immortali sata cetophago genitore.
Ida mea matri patria est, mihi patria rubra
Marpessus, matri quæ sacra, amnisque Aidoneus.

Nec quæ de hac vrbe & regionis proprietate ad eius carminis explicationem sequuntur apud Pausaniam latine, ob loci prolixitatem, subiungere grauabor: *Extant* (inquit) *adhuc in Ida Phrygiæ Marpessi vrbis vestigia, quo loco inquilini restant circiter sexaginta. Tota est circa Marpessum terra subrufa, & mire torrida. Quocirca quod Aidoneus amnis modo se subter terram abdat, modo rursus emergat, ac eiusmodi sæpius repetitis vicibus postremo penitus occultetur, ad Idæ mon-*

montis naturam arbitror referendum, quod rarum est ac pertenue solum, & multis cuniculis cauernosum. Abest ab Alexandria, quæ est in Troade, Marpessus stadia ferme ducenta & quadraginta. Et Herophilen quidem, qui Alexandriæ degunt, Apollinis Sminthei aiunt æditiuam fuisse: Hecubæ vero somnium interpretatam, ita vt rei qui vulgo est notissimus exitum prædixerit. De locis autem atque vrbibus, quas visit, hæc addit: *Magnam vitæ partem egit hæc Sibylla Sami, sed Claron etiam, quæ Colophoniorum vrbs est, venit. Sed & Delon eadem & Delphos adiit: Delphis etiam ei de quo dictum est saxo insidens vaticinia dabat.* Insignis hic locus magni scriptoris, & notatu dignus de Sibyllæ peregrinationibus.

Erythræi contra, quos idem Pausanias acerrime omnium Græcorum de Herophiles ortu certasse testatur, Corycum montem, & sub eo antrum ostendebant, in quo natam Sibyllam contendebant. Parentes eius fuisse Theodorum pastorem indigenam, & Nympham cognomine Idæam: rationem cognominis non esse aliam, nisi quod frequentia arboribus loca & vmbrosa *Idas* iis temporibus homines vocarent. Versum autem, in quo Marpessi & Aidonei fluminis fit mentio, e supra allato Sibyllæ carmine expungebant. Descendere & Gergithii (qui scilicet vrbem Gergitha in eadem Troade habitabant) in idem certamen, Sibyllæque natales sibi non minori studio & contentione vindicarunt: vsque

 adeo,

adeo, vt tanquam victores eius pugnæ nummum Sibyllæ effigie cum ſphinge ſignatum in vſu haberent; vt ex Phlegontis primo Olympiadum conſtat, ſepulchrum etiam Sibyllæ apud ſe in templo Apollinis Gergithii oſtendebant. Auctor Stephanus in voce Γέργις. Id eſſe verum quo minus dubitemus, Ezechiel Spanhemius, non vulgaris vir eruditionis & ſolertiſſimus veterum monumentorum indagator, pridem nobis eius nummi Gergithiorum effigiem cælo expreſſam exhibuit, in opere egregio quod edidit de præſtantia & vſu numiſmatum, diſſertatione tertia.

Veriſimile eſt autem non inter Phrygas tantum & Erythræos hanc litem de ortu Sibyllæ exarſiſſe, ſed & inter alias Græciæ ciuitates, immo & barbaras nationes: occaſione iis data, quod ad eos omnes Sibylla tranſiiſſet, cum peregrinationis eius veſtigia diuerſis ac longe remotis in vrbibus extarent. Quippe & Italos Cumæam vocaſſe Sibyllam a Cũmis Campaniæ ciuitate, quæ Erythræa eſſet, locus ille Ariſtotelis probat, quem ſupra ex Admirandis eius auditionibus recitabamus. Neque eius ambitionis ſiue æmulationis expertes fuiſſe videntur Chaldæi, qui quam Græci Erythræam, aut Gergithiam, aut alterius ciuitatis Græciæ nomine vocarent, quamque Itali Cumæam, ipſi Babyloniam, tanquam Babylone ortam cognominauerunt. Juſtinus quidem inter alia vitæ decora Chriſti martyrio illuſtris, oratione parænetica ad Græcos, de anti-

qui-

quiore Sibylla loquens hanc Babylone in Italiam & Campaniæ oras processisse testatur his verbis: ἔσται δὲ ὑμῖν ῥαδίως τὴν ὀρθὴν θεοσέβειαν ἐκ μέρους παρὰ τῆς παλαιᾶς Σιβύλλης ἔκ τινος δυνατῆς ἐπιπνοίας διὰ χρησμῶν ὑμᾶς διδασκούσης, μανθάνειν ταῦθ' ἅπερ ἐγγὺς εἶναι δοκεῖ τῆς τῶν προφητῶν διδασκαλίας· ταύτην δὲ ἐκ μὲν Βαβυλῶνος ὡρμῆσθαί φασι, Βηρώσου τοῦ τὴν χαλδαϊκὴν ἱστορίαν γράψαντος θυγατέρα οὖσαν· εἰς δὲ τὰ μέρη τῆς Καμπανίας οὐκ οἶδα ὅπως διαβᾶσαν. &c. id est. *Perfacile autem vobis erit rectam religionem ex parte aliqua, queque proxime ad prophetarum accedunt doctrinam, a veteri Sibylla vos per fatidica responsa ex potenti quodam afflatu docente accipere. Hanc Babylone ortam, Berosi illius qui Chaldaicam historiam scripsit filiam, ad Campaniæ oras nescio quomodo peruenisse ferunt.* Ac quod Chaldæam attinet originem, non solum in ea est sententia Justinus, sed etiam Lactantius; qui idem lib. 1.cap.6.expresse confirmat. Quod autem *Berosi Chaldæi, qui Chaldaicam historiam scripsit, filia* ibidem dicitur, eaque ipsa cuius Plato in Phædro & aliis locis mentionem fecit, falsum ratio temporum conuincit. Cum enim omnium eruditorum consensu Berosus ille historiæ Chaldaicæ scriptor, qui pater Sibyllæ dicitur, eam historiam tertio Syriæ regi Antiocho inscripserit, adeoque multo tempore post mortuum Alexandrum; qui fieri potest, vt Plato eius Sibyllæ, quæ ex Beroso illo nata sit, vllam fecerit men-

mentionem? ſi quidem ex Laertio conſtat, Platonem primo octauæ & centeſimæ Olympiadis anno, hoc eſt, toto decennio priusquam Alexander in Macedonia regnaret, e viuis exceſſiſſe. Quamobrem Montacutius, qui primus hunc in Juſtino inſignem anachroniſmum deprehendit, in Analectis eccleſiaſticarum exercitationum, exercitatione 4. tam turpiter lapſum Juſtinum non putat; ſed hæc verba: τὴν τῶν χαλδαϊκὴν ἱστορίαν γεγραφότος, ſcioli alicuius, harum rerum & temporum parum gnari, gloſſema eſſe cenſet, qui alium Beroſum non putaret fuiſſe, præter iſtum hiſtoriæ Chaldaicæ conditorem; cum alium multo antiquiorem iſto extitiſſe conſtet. Euge vir perſpicaciſſime, libenter recipio tuam hanc animaduerſionem, eruditumque iudicium amplector.

CAPVT III.

Difficultas alia ex Pauſaniæ verbis notatur. Omnium difficultatum enodatio, & litis propoſitæ de patria Sibyllæ, tum Sibyllarum numero, diſceptatio & finis.

MIhi autem alius animum ſcrupulus percuſſerat ex Sibyllæ denominatione illa ab Erythra Aſiæ ciuitate; quo pacto fieri poſſit, vt Erythræa

thræa Sibylla fuerit Berosi filia, historiæ Chaldaicæ scriptoris, qui Alexandro suppar fuit, quam Troiano bello superiorem fuisse Pausanias tradat? Quod vt pateat ipsamet eius verba adscribere placet: Ἐπὶ ταύτῃ (πέτρᾳ) Δελφοὶ στᾶσαν φασὶν ᾆσαι τοὺς χρησμοὺς ὄνομα Ἡροφίλην· Σιβύλλαν δὲ ἐπίκλησιν τὴν πρότερον γενομένην. Ταύτην ταῖς μάλιστα ὁμοίως οὖσαν ἀρχαίαν εὕρισκον, ἣν θυγατέρα Ἕλληνες Διὸς καὶ Λαμίας τοῦ Ποσειδῶνός φασὶν εἶναι, καὶ χρησμούς τε αὐτὴν γυναικῶν πρώτην ᾆσαι, καὶ ὑπὸ τῶν Λιβύων Σιβύλλαν λέγουσιν ὀνομασθῆναι. ἡ δὲ Ἡροφίλη νεωτέρα μὲν ἐκείνης, φαίνεται δὲ ὅμως πρὸ τοῦ πολέμου γεγονυῖα καὶ αὕτη τοῦ Τρωικοῦ. hoc est: *Saxum illic eminet, de quo Sibyllam Herophilen oracula canere solitam Delphi tradidere: quæ cognomine Sibylla nuncupata ab initio fuit, perinde atque aliam quamuis antiquam fuisse comperi. Filiam Græci Iouis & Lamiæ dictitant: Lamiam ipsam Neptuno genitam, mulierum omnium primam vaticinatam, & ab Afris Sibyllam nominatam. Ista autem Herophile illa quidem posterior est: constat tamen & ipsam ante Troianum bellum viguisse.* Hic duas, nisi fallor, agnoscit Sibyllas, vtramque *Herophilen* dictam: vnam quidem vetustiorem, nulli fatidicarum antiquitate cedentem; alteram eodem nomine sed posteriorem ætate, quæ tamen & ipsa rebus Troicis superior fuerit: quippe quam ibidem tradat prædixisse, Helenam quandam fatalem fore Asiæ, cuius scilicet causa Græci bellum illa-

illaturi Troianis Iliumque euersuri essent. Qui igitur fieri potest, vt tam vetusta, Beroso historico, qui Alexandri Magni ætate vixit, patre nata fuerit? Ita Pausaniæ etiam testimonio confirmatur censura Montacutii, de qua supra; eam scilicet Sibyllam, cuius meminit Plato, non fuisse eandem illi quæ fuit Berosi historici filia.

Sed & Strabo lib. 14. duas videtur agnoscere Sibyllas Erythris natas: vnam antiquiorem, alteram posteriorem; non tamen ambas ante bellum Troianum, vt apud Pausaniam. Quippe eam quæ posterior est, tempore Alexandri Magni vixisse tradit, prætérea vetustioris nomen proprium non apponit. Mihi verisimile fit, harum saltem alteram, puta antiquiorem, illam ipsam esse Herophilen a Pausania & aliis nuncupatam. Verba Strabonis hæc sunt. ἐκ δ' Ἐρυθρῶν Σίβυλλά ἐστιν ἔνθους καὶ μαντικὴ γυνὴ τῶν ἀρχαίων τίς. κατ' Ἀλέξανδρον δὲ ἄλλη ἦν τὸν αὐτὸν τρόπον μαντικὴ καλουμένη Ἀθηναῒς ἐκ τῆς αὐτῆς πόλεως. *Ex Erythris est Sibylla quædam numine afflata & vates mulier ex antiquis: tempore autem Alexandri alia quædam extitit item vates Athenais nomine.* Quæ ostendunt, quanta in his sit perplexitas auctorum, vt vaticinio opus videatur ad hanc dictorum confusionem expediendam. Ecce enim aliæ turbant ambages de Cumæa & Cumana Sibylla, quas plerique omnes Varrone & Lactantio auctoribus distinguunt. Hic enim in Sibyllarum catalogo Cumæam quarto loco ponit, Cumanam

nam ſeptimo: illam a Cumis vrbe Æolidis, hanc a Cumis Italiæ oppido volunt nominatam. Quibus ſuffragari videtur Stephanus in voce Κύμη: quo nomine cum quinque ciuitates diuerſis in locis ſitas tradat; eius quæ eſt in Æolide gentile nomen eſſe Κυμαῖος docet, eius autem quæ eſt in Italia Κυμεύς. Sit ſane hæc diſtinctio gentilis nominis in genere maſculino: quid ſi Sibyllam ab hac ipſa vrbe nominatam effari velim, quæ tandem inflexio dabitur maſculini iſtius Κυμεύς? Κυμὶς ne, aut Κύμιοσα, aut Κύμεια dicetur? At hoc eſſet nugari, cum nusquam hæc nomina reperiantur. Reſtat igitur vt Κυμαίαν itidem a Κυμεύς dicamus: ita enim Ariſtoteles in Admirandis Erythræam Sibyllam, quod Cumis Campaniæ vrbe in Italia habitaret, Κυμαίαν a quibusdam in Italia verſantibus nuncupatam refert: neque aliter ſane Maro Sibyllam quæ in ea ciuitate eſſet quam *Cumæam* vocat. Quin Antimachus vir aut Græcus aut Græce bene doctus, neque minus latini ſermonis peritus, in præfatione ad Sibyllina oracula, quam Lactantius ſeptimam ordine Sibyllam recenſet & *Cumanam* vocat, ipſe Κυμαίαν vertit. Ita nullum inter Cumanam & Cumæam diſcrimen ponit. Quam autem quarto loco memorat, eam non Cumæam neque Cumanam appellat, ſed *Italam*: τετάρτη ἡ Ἰταλικὴ, ἡ ἐν Κιμμερίᾳ τῆς Ἰταλίας. id eſt, *Quarta eſt Italica, quæ in Cimmeria Italiæ manſit.* Cimmeriam Italiæ vocat eam partem vbi

eſt

est Auernus lacus; quam opacam arboribus & spelunca horrendam Plutoni sacram creditum. Vbi Cimmerios a loci obscuritate ita dictos posuerunt, translato nomine ab iis qui Bosphorum Cimmerium incolunt. Strabo lib. 5. καὶ τοῦτο τὸ χωρίον Πλουτώνιόν τι ὑπελάμβανον, καὶ τοὺς Κιμμερίους ἐνταῦθα λέγεσθαι. Ibi locus Auernus fuit, de quo Aristoteles in Admirandis: περὶ τὴν Κύμην τὴν περὶ Ἰταλίαν λίμνη ἐστὶν ἡ προσαγορευομένη ἄορνος. Vide & Maronem in sexto Æneidos. Interim ex his Justini locum supra allatum de Sibyllæ Babylone in Campaniam Italiæ transitu emendare licet: horumque loco, εἰς δὲ τὰ μέρη τῆς Καμπανίας, lege ex Antimacho εἰς δὲ Κιμμερίαν τῆς Καμπανίας.

Hæc cum ita sint, quærerem libenter ab Antimacho si viueret, quæ alia Sibylla apud Cimmerios Italiæ habitauerit, præter ipsam Cumæam cuius meminit Aristoteles in Admirandis; Herophilenque & Cumæam ab Italis dictam testatur; Virgilius item in sexto Æneidos, sed quam *Deiphoben Glauci*, nescio quos auctores secutus, appellat? Certe loci conditio eandem fuisse vatem confirmat, quando verisimile non est duas eodem in loco fuisse Sibyllas. Italica enim Sibylla Antimachi habitauit in Cimmeria Italiæ, hoc est, vt modo ostendimus, iuxta Auernum, vbi vulgo creditum patere aditum ad inferos. Quod autem & Maronis Sibylla iisdem in locis responsa daret, verba hæc Æneæ ad Sibyllam clare testantur:

Vnum

Vnum oro (quando hic inferni ianua Regis
Dicitur, & tenebrosa palus Acheronte refuso)
Ire ad conspectum cari genitoris & ora
Contingat: doceas iter, & sacra ostia pandas.

Quorsum igitur hæc Italicæ a Cumæa distinctio, non video; nullum quidem ex verbis Antimachi locum esse distinctioni Cumææ a Cumana palam est. Quo alii, qui has distinguunt, fundamento nitantur, quidue ad id probandum afferant, videamus.

Richardus quidem Montacutius citato loco Baronium reprehendit, quod *Cumæam* Sibyllam omnium nouissimam Solino auctore dixerit, quam *Cumanam* Solinus vocet: tum quod hæc ab illa & quomodo distinguatur docet: *Diuersissima est* (inquit) *Sibylla Cumæa a Cumana, quod doctissimus Onuphrius obseruabat. Cumæa erat quæ sub Troiani belli tempora Cumis in Asia vaticinabatur; (quanquam apud Onuphrium per incuriam* Italici *belli legitur; cum deberet legi* Iliaci) *at Cumana fuis quæ Prisco Tarquinio regnante (alii Superbum volunt hunc fuisse) Romam venit, eidemque suos libros pretio e flammis redimendos offerebat.* Eademque virgula censoria Sixtum Senensem castigat, quod Cumæam & Cumanam Sibyllas confundat. Præterea aliter errasse ostendit, *dum Cumis ortam referens Cumanam vocat.* Quasi nomen id adiectiuum aliunde quam a Cumis deriuetur. Sed nimirum id vult, non recte Sixtum Sibyllam, quæ Cumis Joniæ orta esset,

Cumanam vocasse: quod Cumani ex oppido Cumarum in Campania, non autem ex illo quod est in Jonia dicantur : vt & Valla obseruat lib. 4. Elegant. cap. 85. Esto. Neque enim nobis disputatio est de nomine, sed de Sibylla: an duæ eo in loco Italiæ, quem describit Virgilius, Sibyllæ fuerint, vna Cumis Joniæ orta, altera posterior Cumis Campaniæ. Affirmat Montacutius sine vlla hæsitatione. Quidni ? qui Solinum & Lactantium auctores habeat. Enimuero plerosque omnes recentiorum video pedibus in eorum sententiam vadere. Ita fere vsu venit, vt auctoritas apud multos pro iudicio valeat, neque vltra curent perpendere quod ab iis, quos plurimi faciunt, Scriptoribus proditum vident. Nos autem amplius considerantes, vnam fuisse Cumis Campaniæ Sibyllam, eamque eandem, quæ Cumis Joniæ orta sit, non dubitamus.

CAPVT IV.

Non recte iudicare qui Cumanam Sibyllam quandam in Campania Italiæ post Cumæam vixisse censent.

Ostendimus autem, Maronis poetarum, vt passim Julius Scaliger vocat, doctissimi, testimonio in sexto Æneidos. Quo loco Æneas responsum petens preces & vota Apollini fundit. Cui post-

postquam templa, ludos, & cerimonias promisit, ad Sibyllam conuersus his verbis eam quoque sibi propitiam reddit:

Te quoque magna manent regnis penetralia nostris;
Hic ego namque tuas sortes, arcanaque fata
Dicta meæ genti ponam, lectosque sacrabo
Alma viros.

Quæ sunt igitur arcana illa fata Sibyllæ, quæ genti suæ, hoc est, Romanis dicta, in adyto & sacrario repositurum se promittit, quæ posteri exinde in rebus dubiis consulant, nisi eius, quam alloquitur, Sibyllæ carmina? Quod autem ibi Cumæam siue Erythræam Sibyllam, illam scilicet Cumis Joniæ natam, alloquatur, palam est; igitur huius Cumææ Sibyllæ, non alterius, nescio cuius, Cumanæ Cumis Campaniæ ortæ oracula per Æneam, aut qui illi in Italia successerunt, ad Romanos fuisse transmissa; neque aliis vsos fuisse Romanos Sibyllinis libris doctissimo viro Maroni credendum est.

Quam autem aiunt Sibyllam multis post seculi ad Regem Tarquinium venisse cum tribus, vel vt Gellius tradit, nouem libris oraculorum, eam non fuisse Sibyllam putandum est. Certe Gellius, qui eam historiam ex antiquis Annalibus refert, eam quæ ad Tarquinium accessit *Sibyllam* non appellat, sed *anum hospitam, eamque incognitam.* Sic autem scribit: *In antiquis annalibus memoria super libris Sibyllinis hæc prodita est. Anus*

 hospi-

hospita atque incognita ad Tarquinium Superbum Regem adiit, nouem libros ferens, quos esse dicebat diuina oracula: eos velle dixit venundare. Cætera eo loco legantur: in quibus mulierem solum appellat, nunquam Sibyllam; hæc tantum in fine addit: *sed eam mulierem tunc a Tarquinio digressam postea nusquam loci visam constitit.* Quæso, si hæc mulier Sibylla fuisset, Cumis Campaniæ genita & ibi habitans, num hospita aut anus incognita diceretur?

Sed neque Seruius Virgilii interpres Sibyllam vocat, sed mulierem simpliciter vt Gellius, de his libris differens ad hæc Poetæ verba: *tuas sortes arcanaque fata.* Ita igitur Seruius: *Tuas sortes Sibyllina responsa: quæ, vt supra diximus, incertum est cuius Sibyllæ fuerint: quanquam Cumanæ Virgilius dicit, Varro Erythrææ. Sed constat, regnante Tarquinio quandam mulierem nomine Amalthæam obtulisse ei nouem libros, in quibus erant fata & remedia Romana.*

Cui porro naris paulo emunctioris non fabulosum videatur quod sequitur de librorum pretio & combustione, cum rex quanti eos anus faceret emere nollet? *Foculum* (inquit Gellius) *coram eo* (Rege) *apposuit, & tres libros ex nouem deussit.* Si apposuit, ergo attulerat secum, & quidem bene accensum & lucentem: aliter non potuisset tam subito ob oculos regis eorum librorum tres consumere, & breui post temporis interuallo tres alios: nec credendum, regem patientêr tamdiu hanc

hanc ſcenam & anus importunitatem ferre potuiſſe, præſertim ſuperbum. Quamobrem Seruius dicto loco aliter narrat: hanc ſcilicet anum *pro iis libris popoſciſſe tercentum philippeos, qui aurei tunc pretioſi erant: quæ contempta alio die tribus incenſis reuerſa eſt, & tantum popoſcit: item tertio aliis tribus incenſis cum tribus reuerſa eſt: & accepit quantum poſtulauerat, hac ipſa re rege commoto, quod pretium non mutabat.* Quo ſane modo plauſibilior fit narratio.

Sed iocularem eo loco Seruii errorem in temporum ratione nemini animaduerſum obiter annotare libet, dum Philippeos nummos Tarquinii Superbi ætate pretioſos fuiſſe dicit. Qui quantum ea opinione aberret, vel ex Gellii lib. 17. cap. 21. vbi chronologiæ ſpecimen quoddam exhibet, intelligi poteſt. Ibi namque Homerum & Solonem, quem ſupparem Homero fuiſſe inter omnes conuenit, ante Romam conditam centum & ſexaginta annos vixiſſe, ex Chronicorum Cornelii Nepotis libro primo refert. Et paulo poſt, eundem Solonem leges Athenienſium ſcripſiſſe, Tarquinio Priſco regnante, anno regni eius 33. a quo non magno temporis interuallo Tarquinius Superbus vltimus regum abfuit. Ex quo, vt dixi, patet, multis ſeculis ante Philippum Macedonem Alexandri patrem vixiſſe Tarquinium Superbum; vtpote qui Cyri maioris, Monarchiæ Perſarum fundatoris, & Solonis σύγχρονος fuerit. Quod cum ita ſit, non video

quomodo Philippei nummi eo tempore pretiosi esse potuerint, quo tempore nondum Philippus rex, a quo iis nomen, natus erat. Sed hæc obiter: ad propositum reuertor.

Hinc quoque confirmor, non fuisse eam anum Sibyllam, quod verisimile mihi non sit, feminam vatem & numine instinctam animum vsque adeo demittere voluisse, vt libros suos ad Regem velut ad nundinas vendendi causa afferret, & pretio exponeret. Longe hoc profecto remotum a dignitate & moribus. In quo etiam illud absurdum occurrit consideranti. Aut enim omnes eos vaticiniorum libros vt Romanis diuinitus conscriptos penes eos esse & conseruari oportebat: vel horum tres tantum. Si integros nouem, cur sex comburit? si non omnes, sed tres tantum, cur omnes venales proponit? Nec vero nobis primis suspecta hæc Cumana Sibylla fabulositatis, sed & aliis doctis viris: in his & Joanni Tristano, solertissimo antiquitatum ex veterum numismatum monumentis indagatori, qui de hac re eleganter & docte in Commentariis suis historicis disputat.

Vnus modo restat scrupulus ex Plinio; qui Sibyllam ad Tarquinium Superbum cum libris adiisse confirmat libro & capite 13. *Inter omnes vero* (inquit) *conuenit, Sibyllam ad Tarquinium Superbum tres libros attulisse. Ex quibus duo cremati ab ipsa, tertius cum Capitolio Syllanis temporibus.* Sed quod de his non multum curauerit Pli-

Plinius quam vera essent, verba eius ipsa ostendunt. Primum, inter omnes ait conuenire, tres libros a Sibylla allatos Tarquinio. Atqui aliter A. Gellius, vt visum est, ex antiquis Annalibus refert: nempe nouem libros ab anu quadam incognita ei regi oblatos. Cum igitur, contra quam Plinius censet, de eorum librorum, qui ad Tarquinium allati sunt, numero non constet; cur de conditione & nomine eius mulieris, quæ attulit, magis ex hoc Plinii loco constare debeat, non video. Hoc modo vanescit illa persuasio quorumdam de septima illa Sibylla Cumana Tarquinii regis suppare. Nec tamen inficiamur quod proditum historiis est Populi Romani, quod Plinius suæ ætatis doctissimus, quod eruditissimus Noctium Atticarum lucubrator scriptis propalarunt: fatemur anum hospitam & incognitam, vt ait Gellius, ad Tarquinium Superbum adiisse, & libros ei fatales attulisse: non tamen quæ esset Sibylla, sed quæ aliunde nacta eos libros, nescio quomodo, fortasse ab ipsa Erythræa Sibylla, sub mortem illi traditos & commendatos, mandato ipsius ad regem detulit, & pretio addixit. Quæ cum pecunia accepta, quantam voluit, e medio excessisset, inque patriam & regiones remotas remeasset; nihil mirum, si suspicio de ipsa facta est vulgo quod Sibylla esset, argumento librorum quos ad Regem attulisset: ceu necesse esset eorum librorum esse auctorem, quos in potestate haberet ad venundandum aut com-

burendum. Ita plane ſentiet de hac hiſtoria qui incertis auctoritatibus ac vulgi rumore poſthabito iudicium adhibere volet; vt quod magis veriſimile eſt, & potiorum auctorum dictis conſentaneum, ſequatur.

CAPVT V.

Scrupuli de aliis Sibyllis tolluntur, atque vnam fuiſſe Erythræam Sibyllam oſtenditur.

SUblata e medio Cumana Sibylla, reliqui proniore iam negotio circa alias Sibyllas ſcrupuli tolluntur: eademque opera oſtenditur, vnde illa multarum Sibyllarum opinio inceſſerit. Enimuero non video quid nunc obſtet, quin vnam fuiſſe Sibyllam illam Græcis cognitam & celebratam Herophilen, cognomento Erythræam, ponamus. Siue hæc vere, vt quibusdam viſum, Erythris orta fuit, ſiue Marpeſſo, ſiue Gergithe, ſiue e quauis alia Græciæ ciuitate, qua de re olim certatum inter Græcos fuiſſe ſupra ex Pauſania oſtendimus; ſiue etiam, quod Juſtinus Martyr credidit, Babylone patre Chaldæo Beroſo, non illo qui Chaldaicam ſcripſit hiſtoriam, ſed alio antiquiore: ab eo autem oppido nomen traxiſſe, in quo diutius manſiſſet, ideoque Erythræam fuiſſe nuncupatam. Aut cuiquam in credibile videatur, mulie-

mulierem Babylone natam transiisse in Græciam, Erythris, Cyme, & aliis in vrbibus Joniæ & Græciæ diuersatam, in iis famam sui & diuinationis monumenta reliquisse, ex quo occasio posteris data ambigendi de patria eius & certamen exortum?

Immo vero non desunt, qui hanc Japheti, qui vnus fuit e Noe filiis, vxorem fuisse existiment, quæ Græcis Erythræa dicta est: ita quidem vt sua oracula seculo forte vno vel altero post turrim Babylonicam linguarumque diuisionem græce ediderit; extiterintque illa oracula & nota hominibus aliquot seculis ante datam Mosi legem, licet nondum tunc literis mandata esset. Meminit huius opinionis Jo. Henricus Vrsinus Exercitationum familiarium de Zoroastre Bactriano, Hermete Trismegisto, Sanchoniathone Phœnicio & eorum scriptis, παραλειπ. sect. 4. & singularem opinionem vocat. Cui tamen, si qua Sibyllinis Græce ab Opsopæo editis fides habenda, ipsamet lib. 1. suffragatur Sibylla, nurum se professa Noe Patriarchi; item in calce libri tertii, vbi de genere suo his versibus testatur:

Ταῦτά σοι Ἀσσυρίης Βαβυλώνια τείχεα μακρὰ
οἰστρομανὴς προλιποῦσα ἐς Ἑλλάδα πεμπόμενον πῦρ
πᾶσι προφητεύουσα θεοῦ μηνύματα θνητοῖς,
ὥς τε προφητεῦσαί με βροτοῖς αἰνίγματα θεῖα.

Καὶ καλέουσι βροτοί με καθ' Ἑλλάδα πατρίδος ἄλλης,

ἐξ Ἐρυθρῆς γεγαῦιαν &c.

Vbi expresse Babyloniam se dicit, Babylone autem missam diuinitus in Græciam vaticinandi causa: licet Græci apud se natam Erythris mentiantur. Tum paucis interiectis se Noachi nurum non minus diserte profitetur vltimis versibus:

ὅτε γὰρ κατεκλύζετο κόσμος
ὕδασι, καί τις ἀνὴρ μόνος εὐδοκίμητος ἐλείφθη.
ὑλοτόμῳ ἐνὶ οἴκῳ ἐπιπλώσας ὑδάτεσσι,
σὺν θηρσὶ, πτηνοῖσι θ', ἵν' ἐμπλησθῇ πάλι κόσμος.
τοῦ μὲν ἐγὼ νύμφη, καὶ ἀφ' αἵματος αὐτοῦ ἐτύχθην.

Quæ sic vertit latine (vt potuit) Sebastianus Castalio:

Hæc sunt, quæ moneo Assyria Babylone profecta,
In Græcos ignis missus, fanatica, cunctis
Exponens diuina Dei præsignificata,
Mortali vt generi diuina ænigmata pandam.
Et tamen ex alia patria me Græcia dicit
Ex Erythra natam &c.
Siquidem cum dilueretur
Mundus aquis, cum vir solus probus exuperauit
Quidam, quem per aquas vexit domus eruta siluis,
Et pecudes & aues, rursum impleretur vt orbis,
Eius ego nurus. Vt

Vt potuit, inquam, non male quod ſenſum attinet; ſecus ſi numeros ſpectamus, quorum nullam fere habuit rationem: ſunt enim incompti & inſuaues verſus. vt omittam mendum in quantitate, quod vitare non potuit, pronominis *ego*, vltima producta, quæ ſemper breuis apud bonos auctores. Sed hæc obiter.

Ex his quidem apparet, Babyloniam fuiſſe eam vatem, quam Græci & Sibyllam nominauerunt, & Erythris natam prodiderunt; nomine ab vrbe indito, vt ſit, *Erythræam* vocantes. Quod etiam amplexus eſt Firmianus, quo loco notat, non potuiſſe diſcerni, verſus Sibyllini cuius Sibyllæ eſſent, ob confuſionem, præterquam vnius Erythrææ, *quæ & nomen ſuum verum carmini inſeruit, & Erythræam ſe nominat, vbi prælocuta eſt, cum eſſet orta Babyloniæ.* Solum hoc minus conſonum verſibus allatis videatur, quod in iis, quos habuit Lactantius, verſibus Sibylla nomen ſuum verum carmini inſcripſit, & ſe Erythræam eſſe confitetur: in verſibus laudatis negat præciſe ſe eſſe Erythræam, ſed putari ab hominibus qui in Græcia verſantur:

καὶ καλέουσι βροτοί με καθ' Ἑλλάδα πατρίδος ἄλλης
ἐξ Ἐρυθρῆς γεγαυῖαν ἀναιδέα.

Hæc profecto non quadrant, neque veriſimile videtur, hanc, quæ ſe tam aperte Babyloniam fateatur, cum nomen ſuum carmini inſcriberet, ſeſe Erythræam dixiſſe. Dici tamen poteſt, in hoc ſecu-

fecutam esse vulgi opinionem: vt quando a Græcis passim *Erythræa* vocaretur, & hoc cognomento innotescceret, noluisse istud mutare, sed carmini inscripsisse, ne alia ab ea, quam Græci nossent, putaretur. Esto. At quod verbis modo allatis se quoque ἀναιδέα, hoc est, *impudentem, prostratæ pudicitiæ mulierem*, ab hominibus dici conqueritur, quis hoc Sibyllæ Græcorum vati conuenire dicat, qui eorum meminerit, quæ supra de Sibyllæ & aliorum vatum apud Græcos, si non vera, saltem credita & celebrata castitate disputauimus? Pugnant certe hæc, neque conciliari vllo modo possunt, vt non dubitem vel hoc solo argumento quæ in manibus habemus Sibyllina explodere vt suppositititia. Sed de his infra accuratius considerabimus.

CAPVT VI.

Aliarum Sibyllarum quæ ab aliis passim auctoribus celebrantur, ad vnam Erythræam reductio. Iterum de Sibyllæ longo æuo, tum peregrinationibus.

HÆc qui depositis præiudiciis seria & attenta mente perpendet, magis suspectam hanc Sibyllarum a Varrone & aliis proditarum multitudinem habeat, necesse est; tum aliquam rationem

nem requirat, qua se ab hac perplexitate & male cohærentibus quorumdam dictis expediat. Hæc autem vna mihi optima videtur, vt dicamus, vnam fuisse Sibyllam nomine *Herophilen* primum appellatam, postea *Sibyllam*, Erythris Joniæ vel Cyme proxima ciuitate ortam, quam inter alias celebriorem fuisse ac nobiliorem Lactantius ipse fateatur, cum plures fuisse Sibyllas Varronis auctoritate impulsus putaret.

Ego istam, quæ maxime illustris fuit, vnam fuisse contendo, *Sibyllæ* nomine apud Græcos celebratam; ex hac autem vna & singulari Sibylla plures vulgi errore inductas, duabus de caussis, vt equidem arbitror: quia longæua admodum fuit, & vitam vltra solitos ætatis humanæ limites produxit; tum etiam quia in tam longo ætatis decursu fere semper peregrinata est: neque tantum procul dissitas orbis terrarum plagas adiit, sed etiam in iis satis diu versata est; quod iam enucleatius disserendum est.

Ac de longo Sibyllæ æuo satis superque suprà in eius indolis & proprietatum consideratione dictum est: quod autem hinc aliquis minus cautis de Sibyllarum multitudine error obiici potuerit, non me iudice tantum, sed etiam Sebastiano Castalione viro docto in annotationibus ad suam versionem latinam Sibyllinorum oraculorum, quiuis intelligat, vbi ita scriptum est: *Præterea in fine libri septimi docet, se iam ardoribus & æuo confectam esse, sed tamen a tempore consumptum*

ſumptum iri, neque ſemper victuram. Ex quibus locis patet, eam diutius vixiſſe quam ferret communis ætas hominum. Quæ res locum fecit fabulæ, quæ ab Ouidio in 14. Metamorph. poſita eſt, vbi Sibylla oſtendit ſibi a Phœbo prorogatam eſſe vitam, ſeque iam ſeptingentos annos vixiſſe, & adhuc trecentos eſſe duraturam. Atque eadem eius vitæ longitudo in cauſa fuit (ſicut ego exiſtimo) vt quæ eadem eſſet plures eſſe putarentur: quod ea diuerſis temporibus & locis apparens plurium ſpeciem præberet. Tum paucis interiectis ad obiectionem, quæ cuiuis ex tam inuſitata & incredibili prorogatione vitæ in mentem venit, ſic reſpondet: *Neque eſt quod mihi quiſquam obiiciat, Sibyllam tamdiu viuere non potuiſſe, quod hominis vitam Deus Noæ dixiſſet fore centum viginti annorum &c. Hoc, inquam, ſi quis obiiciet, reſpondebo, Deum de communi & vulgari vitæ curriculo dicere. Nam & Abrahamus, & alii multi diutius vixerunt, & Sibylla vixiſſe poteſt, cum Deus nulli ſit obnoxius legi, quo minus faciat quod ipſi viſum ſit.* Quæ non eo conſilio affert, vt credamus Sibyllam mille annos vixiſſe, (tametſi Magi Artephium ſuum ea arte ad annos 1025 vitam ſibi prorogaſſe autumant) quantum ætatis ſpatium fabulis annumerat; ſed quod non putet abſurdum, Sibyllam multis ſeculis transgreſſam limites humani æui notos.

Quod ad alteram cauſam attinet, nempe errabundam vitam; omnes fere in eo conſentiunt, quod

quod vniuersas prope mundi plagas obierit Sibylla, vtpote communis gentium vates. Aristoteles quidem in Admirandis, vt vidimus, & eum secutu Maro in sexto Æneidos, Erythris vel Cumis Æoliæ in Italiam venisse, & Cumas Campaniæ habitasse dicit. Justinus autem Martyr hanc ipsam Babylone in easdem oras transgressam ait. Sed & Pausanias per vrbes & insulas Græciæ diuagatam, variarumque terrarum hospitam fuisse refert: ἄυτη ἡ Σίβυλλα (de Erythræa loquitur) ᾤκησε μὲν τὸ πολὺ τοῦ βίου ἐν Σάμῳ, ἀφίκετο δὲ καὶ ἐς Κλάρον τὴν Κολοφωνίων, καὶ ἐς Δῆλόν τε, καὶ ἐς Δελφούς. ὁπότε δὲ ἀφίκοιτο, ἐπὶ ταύτης ἱσαμένη πέτρας ᾖδε· τὸ μέντοι χρεὼν αὐτὴν ἐπέλαβεν ἐν τῇ Τρωάδι. id est, *Hæc vero Sibylla magnam vitæ partem egit in Samo: sed & Claron quæ Colophoniorum vrbs est, venit: venit eadem Delon & Delphos. Ac Delphis quidem de quo diximus saxo vaticinia edebat sua. Cæterum in Troade errorum & vitæ fatalem terminum inuenit.*

Nec vero mirum id videri debet in Sibylla gentium omnium vate, quod commune esse constat aliis vatibus & ariolis, vt varias perambulent vrbes & mundi plagas, neque vllo in loco certo diu consistere possint. Quo etiam videtur spectare Christi effatum in Euangelio: *Non habet propheta honorem in patria sua.* Quibus enim non est fides neque auctoritas in patria, quid aliud restat nisi vt ad alias gentes transeant & peregri-

regrinentur. Sed & Artemidorus commune vatibus & ariolis, vt ament vagari & obambulare ac circuire vrbes, notat libro 3. cap. 21. vbi de iis qui somniant sese vates esse effectos: Φέρει δὲ καὶ ἀποδημίας πολλάκις καὶ κινήσεις τῷ ἰδόντι τὸν ὄνειρον. διὰ τὸ τοὺς μάντεις περινοστεῖν. id est, *Portendit sæpe etiam peregrinationes & motus hoc somnium ei, qui vidit: propterea quod vates errabundam vitam agant.* Idem de Abaride Hyperboreo vate testatur Apollonius in Admirandis historiis sectione 4. Ἄβαρις δὲ ἐξ Ὑπερβορέων ἦν μὲν καὶ αὐτὸς τῶν θεολόγων. ἔγραφε δὲ καὶ χρησμοὺς ταῖς χώραις περιερχόμενος, οἳ εἰσιν μέχρι τοῦ νῦν ὑπάρχοντες. id est, *Abaris & ipse e Theologis erat Hyperboreis. Scripsit autem & oracula regionibus, quas oberrans lustrabat: quæ ad hoc vsque tempus extant.* Haud secus & de Hilarione monacho, non quidem professione vate sed gratia & dignatione, qui semper numen in pectore habebat, rumor illis temporibus, Hieronymo auctore in eius vita, percrebuerat, diu eum in eodem loco manere non posse. Verum hoc ille non vt pluribus vaticinia ederet, faciebat, sed vt honorem fugeret, & importunitatem, qui semper silentium & vitam ignobilem desiderabat. Qua fortasse & causa impulsam fuisse Sibyllam ad peregrinandum non dictu absurdum iudico: quæ tantopere & ipsa solitudinem & silentium amauerit. Qua de re supra abunde a nobis consideratum est.

Vt igitur huic disputationi finem tandem imponamus, sic mihi videtur de Sibylla statuendum: huic Erythras aut Cymen Æoliæ vrbem ortum dedisse, quocumque patre, siue Beroso, vt censet Justinus Martyr; siue Gnosto, vt in Pseudo Sibyllinis scriptum est; siue Glauco, vt Maroni placet: de qua re quid verum sit, inuenire difficile, nec multùm ad rem pertinet; ætate superiorem quidem fuisse Troiano bello, quanto autem tempore, ne id quidem certo sciri posse. Nam quod quidam hanc Noachi patriarchæ æuo, hoc est, ante diluuium vixisse censent, & Japheti vxorem fuisse, quo argumento hanc coniecturam firmare possint, non video: nisi quod hanc Noachi nurum fuisse, in illis Sibyllæ oraculis legunt. Sed hoc quam firmum sit fundamentum infra patebit: quo loco, non esse genuina hæc Sibyllæ oracula sed supposititia, rebus addicam necessariis. Hanc quoque varias obiisse vrbes, in iisque vaticinationum suarum monumenta reliquisse, præsertim Erythris, Cumis Joniæ, Samo, & aliis Asiæ ciuitatibus, vti Pausanias tradit, verisimile est: quod magnam populis præbuisse occasionem putandum est, credendi non vnam fuisse Sibyllam sed plures: cum diuersæ vrbes in suis templis Sibyllæ oracula reposita haberent. Quin Cumas Campaniæ venisse, & ibi habitasse, Aristoteli id prodenti in Admirandis credendum est: idque accidisse non multo tempore post Ilii excidium, si quidem non vanum esse putamus & omni-

mnino poeticum, quod Virgilius in ſexto memorat, de ingreſſu Æneæ ad Sibyllam Cumæam tum temporis oracula edentem in Italia iuxta Cumas Campaniæ oppidum, & in antro ibi habitantem, ſumma loci religione & horrore ob furorem & reſponſa eius vatis. Verum quo minus falſo id a Virgilio proditum credamus, auctoritas obſtat Ariſtotelis in Admirandis, toties iam laudato loco; vbi Sibyllam Cumis Italiæ habitaſſe Erythræam refert: quod profecto non ſcripſiſſet, niſi fama vulgatum & propemodum gentium conſenſu ita eſſe perſuaſum fuiſſet.

Hanc igitur vnam Sibyllæ nomine aio Græcis cognitam fuiſſe: ſi quæ autem aliæ fatidicæ eodem nomine appellatæ ſunt, quod ſane fatendum eſt, eadem licentia factum eſſe, qua Ouidius in 2. ματαιοτεχνίας, omnes viros *Danaos*, feminas omnes *Amazonas* appellat: & hiſce temporibus Chriſtianæ reipublicæ imperatorem *Cæſarem* vocamus, quem tamen ſcimus nulla ex parte attingere familiam Cæſarum.

CAPVT VII.

Sibyllæ per varia orbis terrarum loca diſcurſus. Prophetarum raptus ab angelis: & de ſagitta Abaridis.

QUia dictum eſt oſtenſumque Artemidori verbis,

verbis, ad institutum vatum quoque pertinere vt varia orbis perambulent loca vaticinii causa, eodemque consilio Sibyllam Græcas Asiæ perlustrasse vrbes, insulas obiisse, in Italiam vsque cursum tenuisse, & ibi vaticiniis floruisse; rationes huiusmodi peregrinationum altius scrutari cogunt nos Justini illius martyris & philosophi verba, qui Babylone quidem transisse in Campaniæ oras Sibyllam dicit, quo autem pacto, sese ignorare fatetur: ἐις δ' τὰ μέρη τῆς Καμπανίας, οὐκ οἶδα ὅπως, διαβᾶσαν. Emenda, vt supra, ἐις δὲ Κιμμερίαν τῆς Καμπανίας, hoc est, *in Campaniæ Cimmeriam nescio quo modo transiisse.* Non dubitat transiisse; modum quo tantum telluris infirma & inops muliercula obierit, se ignorare fatetur. Nempe aliud agenti non vacat profundius inquirere in eam rationem: nos modum eum hic poscente instituto inuestigare haud grauabimur, vel potius coniectare ex aliorum vatum historiis, quos ab vna regione cito in alias remotissimas abductos legimus, tanta peregrinandi facultate, vt iis non montium aspera, non fluuiorum & torrentium impetus, non vlla itineris incommoda & discrimina obesse possent.

Vt id intelligamus, reuocandum in memoriam est quod supra notauimus, de perduellium superbia & malis artibus dæmonum. Cum enim nobis sint inimicissimi, tamen amici & beneuoli videri volunt. Quod vt persuadeant, Dei similitudinem prætendunt, & quæ Deum facere

vident, imitantur: vt cum in aliis tum in vatum & prophetarum rebus manifeste apparet. Quia etenim Deus semper homines habuit sibi deditos ad quos familiarius accederet, quos & arcanorum suorum conscios haberet, qui quæ futuris temporibus facturus ipse esset, vbi opus esset, populis prædicerent; eiusmodi & Dæmon ministros, hoc est, vates vbique terrarum sibi subditos habuit, quorum animis aliquam rerum futurarum lucem infunderet, quod non illi esse negatum infra suo loco ostendemus.

Cæterum inter dona illa, quibus Deus optimus maximus prophetarum suorum & sanctorum eximios ab aliis secernere voluit, subita est locorum mutatio, & ab vna regione in alias remotissimas vehemens corporum humanorum nullo ipsorum labore transmissio: quam vim in nonnullis Deum ostendisse prophetis reconditæ Hebræorum literæ certis exemplis docent. In quibus legimus Habacuc vatem Judæa Babylonem translatum diuinitus angeli ministerio, qui eum capillo apprehendit & ita in sublime raptum transportauit. *Et apprehendit eum angelus Domini in vertice eius, & portauit eum capillo capitis sui.* Eadem vi raptum & Philippum, non eum qui inter Apostolos, sed diaconum, legimus in Actis Apostolorum, vbi de baptismo agitur Eunuchi Candaces reginæ Æthiopum: *Cum autem ascendissent de aqua, spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius eum non vidit Eunuchus. Philip-*

lippus autem inuentus est in Azoto. Non enim id prophetarum tam proprium fuit, vt non aliis sanctis, vbi res posceret, Deus concesserit, vt Philippo isti: tametsi omnes prope Christianos illis temporibus vberiore spiritu donatos vaticinari potuisse, & linguis alienis locutos scimus.

Cæterum in nullo priscorum sanctorum & prophetarum tanta hominum admiratione vis illa apparuit, quam in Elia Thesbite: quem ex iisdem literis constat solitum transferri in montes remotos, in speluncas, in auia nemora, in scopulorum abrupta, & feris horrendas & torrentium fragoribus solitudines; donec tandem flagranti procella & turbine igneo, quem Scriptura currum vocat, amicis coram spectantibus, e conspectu eorum est ablatus. Sed hoc in mirando illo vate eximium, quod ei sic impetu diuino transferri in varia loca adeo frequenter accidebat, vt vulgo etiam notum esset. Hinc aliorum prophetarum consilium post eiusdem Eliæ discessum, de certis hominibus mittendis, qui eum per deserta & montes inuios quærerent, si forte quopiam de more translatus iaceret. *Dixeruntque illi:* (filii prophetarum ad Elisæum Eliæ successorem) *Ecce cum seruis tuis sunt quinquaginta viri fortes, qui possunt ire & quærere dominum tuum, ne forte tulerit eum spiritus Domini, & proiecerit eum in vnum montium aut in vnam vallium.* Neque vero inter prophetas tantum id de Elia vulgatum, sed vulgo etiam atque hominum sermoni-

bus celebratum fuit: quemadmodum apparet ex Abdiæ vnius e famulis regis Achab verbis, cum ei de improuiso apparuisset Elias, iuberetque eum de aduentu suo regem certiorem facere: *Quid peccaui*, (inquit) *quoniam tradis me seruum tuum in manu Achab vt interficiat me? Viuit Dominus Deus tuus, quia non est gens aut regnum, quo non miserit Dominus meus te requirens. Et respondentibus cunctis, non est hic: adiurauit regna singula & gentes eo quod minime repereris. Et nunc tu dicis mihi: Vade & dic Domino tuo, adest Elias. Cumque recessero a te, spiritus Domini asportabit te in locum quem ego ignoro: & ingressus nunciabo Achab; & non inueniens te interficiet me.* Hactenus de potentia Dei in viros sanctos, ad eos quo vellet angelorum suorum opera transportandos.

Nunc vt variis temporibus hæc opera Dei superbus dæmon in suis consecraneis imitatus sit, illustribus gentium exemplis ostendam. In his celebratum illud de Pythagora philosopho, quem eodem die visum olim Metaponti Italiæ, & Tauromenii Italiæ, qui de eius rebus prodiderunt, consensu referunt. An corpore translatum, an præstigiis imagine eius oblata hominibus, ambigi potest. Sed vere translatum fuisse alia exempla occurrunt quæ fidem faciant. Auctor est Jamblichus in vita Pythagoræ cap. 28. id munus Abaridi Hyperboreo ab Apolline concessum fuisse, vt per aerem, quocumque vellet, cursum

ma-

magico inuectus iaculo tendere posset. Verba eius quibus inter alia priscorum vatum & sacerdotum miracula hoc quoque refert, adscribere placet: Δῆλα δ' αὐτῶν τὰ ποίηματα ὑπάρχει. ἄλλως ἢ καὶ Ἀλεξάνεμος μὲν ὃν τὸ ἐπώνυμον Ἐμπεδοκλέους. Καθαρτὴς (ita lege pro Καθαρίης) δὲ τὸ Ἐπιμενίδου. Ἀεροβάτης δὲ τὸ Ἀβάριος. ὅτε ἄρα οἰστῷ τοῦ ἐν Ὑπερβορέοις Ἀπόλλω δωρηθέντι αὐτῷ ἐποχούμενος, ποταμούς τε καὶ πελάγη καὶ τὰ ἄβατα διέβαινεν ἀεροβατῶν τρόπον τινά. ὅπερ ὑπενόησαν καὶ Πυθαγόραν τινες πεπονθέναι τότε, ἡνίκα καὶ ἐν Μεταποντίῳ καὶ Ταυρομενίῳ τοῖς ἑκατέρωθεν ἑταίροις ὡμίλησε τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ. id est, *Ipsorum vero opera manifesta sunt*, & ex iis ducta cognomina: *Empedoclis quidem Alexanemos*; (quod ventos arceret vel sedaret) *Epimenidis autem Cathartes*; (hoc est, mundus seu purus) *Abaridis vero Aerobates.* (quod per aerem graderetur) *Nam cum Apollinis eius, qui ab Hyperboreis colebatur, iaculo sibi donato inequitaret, fluuios & maria ac loca inaccessa, per aerem quodammodo incedens, permeabat. Quod nonnulli Pythagoræ quoque concessum suspicati sunt, cum & ipse Metaponti & Tauromenii, amicis quos vtraque in ciuitate habebat, eadem die conuersatus fuisset.* Et infra eodem capite surreptum ait Abaridi id iaculum siue virgam auream a Pythagora, cum eum ex Hyperboreis aduenientem conuiuio excepisset. Quo facto eum coegit fateri quorsum istud iaculum ferret; qui confessus est,

non posse se absque illo vias, qua peregrinari debeat, vllo modo inuenire. τοῦτον οὖν τὸν Ἀβαριν παρελόμενος, ὃν εἶχε χρυσοῦν ὀϊστὸν, οὗ ἄνευ οὐχ οἷός τ' ἦν τὰς ὁδοὺς ἐξευρίσκειν, ὁμολογοῦντος ἐποίησε. Quæ pacto lamiæ hisce etiam temporibus vehi a malis geniis dicuntur ad orgia nocturna. Quod genus vehiculi fortasse omniscius poeta, obscure licet, velut aliud agens, vt solet, indicare voluit, cum in vndecimo Æneidos Metabi fugam cum Camilla filia infante describit. Cum enim fugienti (nam hostes conferti premebant) Amisenus amnis obuius transeundus esset, neque auderet cum infante fluuio lato & spumanti se committere, hanc telo ingenti alligans, viribus, quantis pollebat, cum telo intorsisse dicitur, ac transmisisse ad alteram ripam, verum non sine Diana, quam inuocat, cui & puellam vouet:

Ipse pater famulam voueo: tua prima per auras
Tela tenens supplex hostem fugit: accipe: testor
Diua tuam, quæ nunc dubiis committitur auris.
Dixit, & adducto contortum hastile lacerto
Immittit: sonuere vndæ: rapidum super amnem
Infelix fugit in iaculo stridente Camilla.

His an ad iaculum Abaridis alluserit Virgilius, eruditis iudicandum relinquo. Verum quod ad hunc loca transmittendi modum attinet, huius & Lucianus meminit in Philopseude siue Incredulo fol. 831. tametsi suo more irridet. Quo loco & quidam narratur itidem ex Hyperboreis con-

conſpectus, cum per aerem interdiu incederet, atque etiam ſuper aquas: σὺ ταῦτα, ἦν δ' ἐγὼ, εἶδες, τὸν Ὑπερβόρεον ἄνδρα πετόμενον, ἢ ἐπὶ τοῦ ὕδατος βεβηκότα; καὶ μάλα, ἦδ' ὅς &c.

Hæc non dubito fore multos qui irrideant, homines ignauos & in Luciani ludo educatos. Nec mirum. Longe enim facilius eſt cuiuis contemnere quæ non intelligit, quam operam dare & ſatagere vt intelligat. Quibus aliud non reſpondebo, quam quod Apuleius in 1. Metamorph. cuidam qui id genus compreta audiebat ſolo cachinno explodenti: *Tu vero (inquit) craſſis auribus & obſtinato corde reſpuis quæ forſitan vere perhibeantur. Minus hercule calles prauiſſimis opinionibus ea putari mendacia, quæ vel auditu noua, vel viſu rudia, vel certe ſupra captum cogitationis ardua videantur: quæ ſi paulo accuratius exploraris, non modo compertu euidentia, verum etiam factu facilia ſenties.* Quid? Nonne Judæorum magiſtris & Cabaliſtis creditum, vias quamlibet arduas, longas, difficiles, breui temporis ſpatio confici poſſe nominis ineffabilis pronunciatione. In ſcripto Rabbinico de vita & morte Moſis, quod Gilbertus Gaulmynus Molinenſis, vir doctiſſimus, latine conuerſum & notis elegantiſſimis illuſtratum in lucem edidit, ſic loquens Moſes ad Deum inducitur: *Si permittis, ego in virtute nominis tui volucris fiam, ac ſuper Jordanem volans, terram (promiſſionis) adibo & videbo.* Sed & Beniamin Tudelenſis in Itinera-

rio de Dauid Altoi: *Illo die & decem dierum iter conficit ad Amoriam vsque ineffabilis nominis pronunciatione.*

Superstitiosa hæc, inquies, & Rabbinica. Fateor: non tamen continuo falsa censeri debent. Nam & hos, veræ lucis exortes atque in superstitionem prolapsos, dæmonum patuisse ludibriis, & quæ dæmonum instinctu patrabant, virtuti diuinæ adscripsisse, velut priscos gentium sapientes, & ita prodita ab iis miracula explicare generosum magis & cordato viro congruens iudico, quam fidem tot testibus derogare, tot literarum monumenta barbaro fastu subruere ac demoliri. Hæc autem eo consilio sic vberius & latius disserere visum est, vt desinant mirari homines minus in veterum literis versati, longinquas illas Sibyllæ peregrinationes: immo hoc dæmonis ingenio & factis quam maxime esse consentaneum intelligant, vt quam primariam gentium omnium sibi subditarum vatem constituisset, ei se vt ad omnem vaticinandi operam, sic ad celeres locorum transmissiones & alia miracula facilem & promptum exhiberet.



CAPVT

CAPVT VIII.

De antris in quibus Sibylla habitasse dicitur. De Corycio: plura eius nominis fuisse; an istud nomen appellatiuum; Ἑρμεῖα πεδία *apud Galenum in descriptione Philonii.*

SIbyllam secessum & solitudinem amasse, vt fere omnes diuinioris naturæ sibi conscios, supra attigimus, cum de longa eius vita & solitudine nobis disputatio esset; nunc de antris, in quibus aut nata aut versata fuisse dicitur, paulo accuratius considerandum reor; cum ad res Sibyllæ hæc cognitio pertineat. Erythræi quidem, qui Sibyllæ natales contentiosius sibi vindicabant, in spelunca sub monte Coryco apud se ortam eam contendebant. Pausanias in Phocicis: Ἐρυθραῖοι δὲ (ἀμφισβητοῦσι γὰρ τῆς Ἡροφίλης προθυμότατα Ἑλλήνων) Κώρυκόν τε καλούμενον ὄρος, καὶ ἐν τῷ ὄρει σπήλαιον ἀποφαίνουσι, τεχθῆναι τὴν Ἡροφίλην ἐν αὐτῷ λέγοντες. id est, *Erythræi (de Herophile enim hi acerrime Græcorum omnium certant) Corycum montem, & in eo antrum ostendunt, in quo natam Herophilen dicunt.* Meminit & Strabo eius montis lib. 14. πρὶν δ' ἐλθεῖν ἐπὶ τὰς Ἐρυθρὰς, πρῶτον μὲν Γέραι πολίχνιον, εἶτα Τήιον, εἶτα Κώρυκος ὄρος ὑψηλόν.

Ante-

Antequam Erythras perueniant, primum quidem occurrit oppidulum Geræ, postea Teium, tum Corycus mons altus. Stephanus quoque in hac voce: ἔστι καὶ Κώρυκος ὄρος ἀρσενικῶς λεγόμενον, ὑψηλὸν, πλησίον Τέω τῆς Ἰωνίας καὶ Ἐρυθρῶν. Ita enim lego, non vt in excusis libris ἐρυθρὸν. id est, *Est & mons Corycus generis masculini, excelsus, Teo Joniæ & Erythris vicinus.* A monte igitur isto antrum illud, in quo natam dicunt Sibyllam, nominatum fuisse Corycium, non est cur quisquam dubitet. Non tamen perinde istud fama inclytum fuisse fatendum est, atque alia eiusdem nominis in Cilicia & Parnasso; quorum Stephanus seorsim mentionem facit his verbis: Κώρυκος πόλις Κιλικίας, παρ' ᾗ τὸ κωρύκιον ἄντρον Νυμφῶν, ἀξιάγαστον θαῦμα, ᾧ ὁμώνυμον ἐν Παρνασσῷ. id est, *Corycus oppidum Ciliciæ, cui vicinum est Corycium antrum Nymphis sacrum, inter naturæ miracula celebrandum: cui alterum eiusdem nominis in Parnasso nobilitate haud magnopere cedit.* Quæ Stephani verba vel mediocriter curiosis cupiditatem injiciant accuratius cognoscendi naturam habitumque eius antri, quod tantam olim spectaculi admirationem visentibus moueret.

Quo spero facilius veniam me impetraturum a studiosis, si vocabuli eiusdem vestigia secutus, hincque occasione sumpta, paululum a proposito digredior in Corycium illud Ciliciæ antrum; hoc est, luculentam eius descriptionem a Pom-

po-

ponio Mela geographico operi inſertam legentium oculis ſubjicio, qua ceu pictura eleganti ſuperiorum diſceptationum laborem & triſtitiam diſcutiant. Ita igitur ſcriptor ille eloquens de hoc ſubterraneo ſpecu ſcribit lib. 1. cap. 13. *Non longe hinc Corycos oppidum, portu ſaloque incingitur, anguſto tergore continenti annexum. Supra ſpecus eſt, nomine Corycius, ſingulari ingenio, ac ſupra quam vt deſcribi facile posſit eximius. Grandi namque hiatu patens, montem litori appoſitum & decem ſtadiorum cliuo ſatis arduum, ex ſummo ſtatim vertice aperit. Tunc alte demiſſus, & quantum demittitur amplior, viret lucis pendentibus vndique, & totum ſe nemoroſo laterum orbe complectitur: adeo mirificus ac pulcher, vt mentes accedentium primo aſpectu conſternat: vbi contemplati durauere, non ſatiet. Vnus in eum deſcenſus eſt, anguſtus, aſper, quingentorum & mille paſſuum, per amœnas vmbras & opaca ſiluæ quiddam agreſte reſonantis, riuis hinc atque illinc fluitantibus. Vbi ad ima peruentum eſt, rurſum ſpecus alter reperitur ob alia dicendus. Terret ingredientes ſonitu cymbalorum diuinitus & magno fragore crepitantium. Deinde aliquamdiu perſpicuus, mox & quo magis ſubitur obſcurior, ducit auſos penitius, alteque quaſi cuniculo admittit. Ibi ingens amnis ingenti fronte ſe extollens, tantummodo ſe oſtendit, & vbi magnum impetum breui alueo traxit, iterum demerſus abſconditur. Intra ſpatium eſt, magis quam vt progre-*

gredi quispiam ausit, horribile, & ideo incognitum. Totus autem augustus & vere sacer, habitarique a Diis & dictus & creditus, nihil non venerabile & quasi cum aliquo numine se ostendit. Hæc Mela. Quem adeo hac in descriptione admiratus videtur Plinius, vt alias creber his picturis in historia, veritus sit post Melam manum tabulæ admouere. Proinde idem antrum vix breui mentione attingere ausus lib. 5. cap. 27. statim præteruolat. *Juxtaque mare* (inquit) *Corycos eodem nomine oppidum, & portus & specus.* Verbum non amplius addit. Verumtamen de Coryciis antris notat lib. 31. cap. 2. destillantes in his guttas in lapides durescere. Quod sane Pausanias, vt mox videbimus, confirmat de Corycio Parnassi antro. Cæterum non idem pudor aut reuerentia Solino, qui & ipse inferior Pomponio Mela, obstitit quo minus eiusdem antri descriptionem tentaret, quam apud eum legat qui volet.

Magna & Corycii in Parnasso antri nobilitas fuit, neque admiratio minor, vt ex Pausaniæ verbis intelligi potest. Τὸ δὲ ἄντρον τὸ Κωρύκιον μεγέθει τε ὑπερβάλλει τὰ εἰρημένα, καὶ ἔστιν ἐπὶ πλεῖστον ὁδεῦσαι δι' αὐτοῦ καὶ ἄνευ λαμπτῆρος· ὅ τε ὄροφος ἐς αὔταρκες ἀπὸ τοῦ ἐδάφους ἀνέστηκε, καὶ ὕδωρ τὸ μὲν ἀνερχόμενον ἐκ πηγῶν, πλέον δὲ ἔτι ἀπὸ τοῦ ὀρόφου στάζει, ὥστε καὶ δῆλα ἐν τῷ ἐδάφει σταλαγμῶν τὰ ἴχνη διὰ παντός ἐστι τοῦ ἄντρου. id est, *Verum hæc omnia quæ enumeranimus*

magni-

magnitudine superat Corycium antrum: qui introierit, sine vlla face longissime progredi possit. Ab imo solo ad superiorem partem, quæ pro tecto est, satis multum interest spatii: multi hinc illinc e viuis fontibus fluitant riui; sed humoris multo plus ex ipsa antri quasi testudine destillat. Cernuntur vero passim in ipso solo guttarum vestigia. Vbi σταλαγμῶν ἴχνη, guttarum vestigia interpretor guttarum in lapidem concretiones per totum antrum. Quo pacto expositus Pausanias Plinii, vt dixi, historiam in hac Coryciorum antrorum proprietate confirmat.

Ab hoc antro Corycio quod in Parnasso fuit Corycides Nymphæ nominatæ, vt apud Ouidium libro Transformationum primo in Deucalionis fabula:

Mons ibi verticibus petit arduus astra duobus
Nomine Parnassus, superatque cacumine nubes.
Hic vbi Deucalion (nam cætera texerat æquor)
Cum consorte tori parua rate vectus adhæsit,
Corycidas Nymphas & numina montis adorat.

Meminit & Corycii seu, quod idem est, Corycei antri Aristoteles lib. de Mundo; sed cuius potissimum ex tribus memoratis, ex eius verbis intelligi non potest. Ita autem ibi scriptum est: διὸ καὶ τοὺς μετὰ σπουδῆς διαγράψαντας ἡμῖν ἑνὸς τόπου φύσιν, ἢ μιᾶς σχῆμα πόλεως, ἢ ποταμοῦ μέγεθος, ἢ ὄρους κάλλος, οἷα τέ τινες ἤδη πεποιήκασι, φράζοντες, οἱ μὲν τὴν Ὄσαν· οἱ δὲ τὴν Νύσ-

Νύσσαν· οἱ δὲ τὸ Κωρύκειον ἄντρον· οἱ δὲ ὅ,τι οὖν ἔτυχε τῶν ἐπὶ μέρους, οἰκτίσειεν ἄν τις τῆς μικροψυχίας τὰ τυχόντα ἐκπεπληγμένους, καὶ μέγα φρονοῦντας ἐπὶ θεωρίᾳ μικρᾷ &c. id est, *Quapropter istos miserari quiuis iure possit, vt pusilli animi scriptores, res quaslibet vulgoque expositas summa admiratione prosecutos; qui nobis vnius loci naturam, aut vrbis cuiusdam formam situmque, aut magnitudinem fluminis, aut denique amœni montis aspectum describere instituerunt: cum interim magnifice de semetipsis sentiant, ob exilem quampiam naturæ perceptionem: cuiusmodi nonnulli magno quidem illi studio fecerunt, accurata vt dictione describerent, hic Ossam montem, ille Nyssam, alii Coryceum specum, alii quiduis eorum quæ inter orbis particulas censentur* &c. Coniicio autem de Coryceo potissimum loqui antro, quod in Cilicia est, vt pote omnium eius nominis maxime stupendo & celebrato, vt ex eius supra allata descriptione apud Melam intelligi potest. Interim Philosophi ingenii magnitudinem & fastum notare licet: cui præter mundum ipsum totum, singula quæque in terris loca, vrbes, montes, speluncæ, & alia eiusmodi particularia sordent, sola naturæ vniuersitas satisfacere potest.

Habuit & Sicilia suum antrum Corycium; suum item Arcadia, Homero teste, in quo natum Mercurium fabulantur. Qui cum multi eius nominis apud auctores celebrentur specus, data

hinc

hinc occaſio Hofmanno, acris ingenii viro, ſuſpicandi Κωρύκειον non vnius eſſe antri nomen, ſed omnium, ac vt Grammatici loquuntur appellatiuum. Quod ipſe lib. 6. Variarum Lectionum cap. 3. teſtatum reliquit. Quid plura? Habemus & inter Græcorum prouerbia *κωρυκαῖος ἠκροάσατο Corycæus auſcultauit*: verum nihil hoc ad antrum Corycium aut Parnaſſi, aut Ciliciæ, aut eius quod iuxta Erythras fuit, pertinet; ſed potius a Coryco Pamphyliæ monte iſtud epithetum latronibus inditum videtur, qui, vt Strabo & Zenodotus tradunt, per portus monti illi vicinos diſperſi quæ ibi negotiatores agerent ſubauſcultabant, vnde mox in eos capta occaſione impetum facerent. Crocum quidem a Ciliciæ monte Coryco *Corycium*, a quo & antrum, nominatum ſatis conſtat: cui bonitatis in eo genere palmam Dioſcorides & alii deferunt. Cur autem campos, in quibus is naſcitur, *Mercuriales* vocet Philo Tarſenſis medicus in Philonici deſcriptione apud Galenum lib. 9. cap. 4. κτ᾽ τόπες, conſideratione eget. Philonis verſus, quibus crocum poetica periphraſi deſignat, ſunt ejusmodi:

> Ξανθὴν μὲν τρίχα βάλλε μυρίπνοον ἰσοθέοιο,
> οὗ λύθρος Ἑρμείοις λάμπεται ἐν πεδίοις.

Sic autem latine ſonant: *Rutilum mitte capillum adoleſcentis vnguenta redolentem, cuius ſanguis in campis Mercurii coruſcat.* Eſt autem alia etiam lectio, cuius meminit Galenus:

Ερμείαις λάμπεται ἐν βοτάναις.

inter herbas Mercurii effulget. Sed priorem retinent Codices.

Hofmannus, vir acutus & perſpicax, dicto loco Ερμεῖα πεδία, hoc eſt, *Mercuriales campos* dictos putat, qui latronibus eſſent infeſti: propterea quod Mercurius furum & latronum deus diceretur. Quam interpretationem, vt obiter dicam, non nauci eſſe lectio illa oſtendit, quæ βοτάνας Ερμείας *herbas Mercuriales* habet: an enim quiſquam tam futilis, vt herbas Mercuriales quicquam cum latrociniis commune habere dicat? Et miror profecto id genus interpretamenti tam remotum placere Hofmanno potuiſſe, cum longe meliorem a Galeno explanationem petere poſſet; quo loco carmen Philonis proponit, & voces in eo ænigmaticas ſigillatim exponit. Hanc Galeni expoſitionem ipſius verbis ſubnectere placet: Λύθρον δὲ τοῦ κρόκου φησὶν ἐν ταῖς Ερμείαις, τουτέστι ταῖς τοῦ Ερμοῦ λάμπεσθαι βοτάναις. ἐπειδὴ μειράκιον καλούμενον Κρόκος, ἅμα τῷ Ερμῇ δισκεύων, εἶθ' ἑστὸς ἀμελέστερον, ἐμπεσόντος αὐτοῦ δίσκου τῇ κεφαλῇ, συνέβη μὲν ἀποθανεῖν αὐτίκα· τοῦ δ' αἵματος εἰς τὴν γῆν ἀναχυθέντος, ἐξ αὐτοῦ φῦναι τὸν κρόκον. λάμπεσθαι δὲ εἶπε τὸν λύθρον, τουτέστι τὸ ἀπὸ τοῦ σφαγέντος αἷμα, διὰ τὸ στιλπνὸν τῆς χρόας τοῦ κρόκου. Tum alterius lectionis meminit ſequentibus verbis: γράφεται δὲ οὐ μόνον, βοτάναις, ἀλλὰ καὶ πεδίοις, ὡδίπως ὁ στίχος,

Ερμεί-

Ἑρμείοις λάμπεται ἐν πεδίοις.

id est: *Cruorem autem croci fulgere adhuc in campis Mercurii dicunt. Adolescens enim Crocus nomine disco ludens cum Mercurio, & incautius adstans, illapso in caput ipsius disco statim mortuus est: ex sanguine autem eius in terram delato crocus natus est. Fulgere autem cruorem dixit, hoc est, sanguinem iam occisi, propter coloris croci splendorem. Scribitur autem non solum* in herbis, *sed &* in campis *in versu; hoc modo: fulget adhuc in campis Mercurii ille cruor.* Ex quo nemo non videt, sicut crocus Mercurialis herba dicitur, quod de Croci pueri Mercurio dilecti cruore natus feratur; sic & eos campos, in quibus magna croci copia proueniret, eadem ratione Mercuriales a Philone esse nominatos, ab eo scilicet olere, quod Mercurii potestate de cognominis adolescentis primum sanguine emerserit. Sed hæc, vt dixi, obiter; ad propositum reuertamur.

CAPVT IX.

De Cumano Sibyllæ antro.

SEquitur alterum Sibyllæ antrum non minus veterum scriptis celebratum, atque ab ipso Aristotele in Admirandis; cuius verba de hoc antro supra laudata nihilo secius reponere operæ pretium est. Ἐν τῇ Κύμῃ τῇ περὶ τὴν Ἰταλίαν δεί-

δείκνυταί τις, ὡς ἔοικε, θάλαμος κατάγειος Σιβύλλης τῆς χρησμολόγου &c. *Cumis iis quæ sunt in Italia quidam ostenditur, vt verisimile est, subterraneus Sibyllæ thalamus siue cubiculum mulieris fatidicæ* &c. Sed Maro in primis videndus de hoc Sibyllæ antro in sexto magni operis:

Teucros vocat alta in templa sacerdos,
Excisum Euboicæ latus ingens rupis in antrum:
Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum,
Vnde ruunt totidem voces, responsa Sibyllæ.

Quibus ex verbis intelligi potest, quam spatiosa & vasta ea domus subterranea esset, cui centum aditus, centum ostia assignet. Sed maxime id confirmant Iustini Martyris verba quibus eam speluncam describit, in ea quam ad Græcos scripsit oratione exhortatoria: qui se hujus etiam testem oculatum fuisse dicit. Quamobrem hanc tam grauis auctoris descriptionem verbis ipsius adscribere haud grauabor: Ἐθεασάμεθα δὲ ἐν τῇ πόλει γενόμενοι καί τινα τόπον, ἐν ᾧ βασιλικὴν μεγίστην ἐξ ἑνὸς ἐξεσμένην λίθου ἔγνωμεν, πρᾶγμα μέγιστον καὶ παντὸς θαύματος ἄξιον, ἔνθα τοὺς χρησμοὺς αὐτὴν ἀπαγγέλλειν, οἱ ὡς τὰ πάτρια παρειληφότες παρὰ τῶν ἑαυτῶν προγόνων ἔφασκον. ἐν μέσῳ δὲ τῆς βασιλικῆς ἐπεδείκνυον ἡμῖν τρεῖς δεξαμενὰς ἐκ τοῦ αὐτοῦ ἐξεσμένας λίθου. ὧν πληρουμένων ὕδατος, λούεσθαι αὐτὴν ἐν αὐταῖς ἔλεγον, καὶ στολὴν ἀναλαμβάνουσαν, εἰς τὸν ἐνδότατον τῆς βασιλικῆς βαδίζειν οἶκον ἐκ τοῦ αὐτοῦ ἐξεσμένον λίθου. καὶ

ἐν

ἐν μέσῳ τοῦ οἴκου καθεζομένην ἐπὶ ὑψηλοῦ βήματος καὶ θρόνου, οὕτω τοὺς χρησμοὺς ἐξαγορεύειν. id est, *Vidimus sane, cum ea in vrbe essemus, locum quendam, vbi basilicam ingentem vno excauatam e lapide conspeximus; rem sane maximam & omni admiratione dignissimam: quo loco oracula eam edidisse, qui res patrias a majoribus suis quasi per manus traditas acceperant, affirmabant. In basilicæ autem meditullio tria nobis ostenderunt in eodem excisa saxo solia; quibus aqua repletis lauisse eam dicebant: exinde stola sumpta in interius ejusdem basilicæ sacellum ibi ex eadem materia recedere, atque in media ea æde super altiore suggestu & throno considere solitam, & sortes ad eum modum promulgasse dixerunt.* Singularis hic locus est de Sibyllæ specu: neque enim alibi vsquam tam accuratam eius descriptionem reperies. In qua tamen illud primum occurrit dubium, an ea quæ Justino monstrata est spelunca ipsamet fuerit in qua Sibylla habitauit, cuius & Maro facit mentionem in sexto Æneidos. Etenim illa Justino memorata Cumis Campaniæ, hoc est, in ipsa vrbe visebatur: ἐθεασάμεθα δὲ, inquit, ἐν τῇ πόλει γενόμενοι καί τινα τόπον, *locum quendam cum in vrbe essemus contemplati sumus.* Quam autem Virgilius describit, ea non videtur in oppido ipso fuisse, sed procul inter sacros Triuiæ lucos sita, vbi templum erat Apollini consecratum. Quemadmodum ex his versibus colligi potest:

At pius Æneas arces, quibus altus Apollo
Præsidet, horrendæque procul secreta Sibyllæ,
Antrum immane, petit.

& paulo post:

Iam subeunt Triuiæ lucos, atque aurea tecta.

Mox aurea illa tecta, hoc est, templum Apollinis describit, quod a Dædalo, postquam e custodia cum filio euasit, constructum fuisse dicit. Quibus verbis apparet, templum & oraculum istud fuisse positum inter nemora & lucos; non videtur autem simile vero eos lucos fuisse in oppido. Merula quidem lib. 4. vbi Campaniæ loca describit, non putat Cumis fuisse Sibyllæ antrum, sed in via quæ Cumis ad Auernum lacum patet. *Ab Cumis* (inquit) *dein ad Auernum vsque lacum nihil inuenitur scitu dignum, præter Sibyllæ (quæ ab Cumis, patria,* Cumæa, *omnibus decantata) cauernam, vt vocant.* Sed antiquior longe auctoritas Aristotelis, qui sæpius laudato in commentario de Admirandis, expresse Cumis fuisse subterraneum Sibyllæ Erythrææ, quæ & Cumæa dicta est, thalâmum refert: *ἐν τῇ Κύμῃ περὶ τὴν Ἰταλίαν δείκνυταί τις, ὡς ἔοικε, θάλαμος κατάγειος Σιβύλλης τῆς χρησμολόγου.* Potior item Iustini Martyris, qui idem confirmat indigenarum, quibus id a maioribus per manus traditum esset, testimonio. Quibus accedit Seruii auctoritas ad hæc verba: *arces quibus altus Apollo præsidet. Cum, inquit, vbique arx Ioui detur, apud Cumas in arce Apollinis.*

nis templum est. Quod autem ibi Sibyllæ antrum fuerit, hæc verba ostendunt infra:

Teucros vocat alta in templa sacerdos,
Excisum Euboicæ latus ingens rupis in antrum:
Quo lati ducunt aditus.

& mox:

Vnde ruunt totidem voces, responsa Sibyllæ.


Quæ verba indicant, eo ipso in loco, puta monte vbi arx erat vrbis & templum Apollinis, fuisse antrum Sibyllæ in rupe excauatum, vt & Justinus tradit. Neque obstat quod Poeta post hæc verba:

At pius Æneas arces quibus altus Apollo
Præsidet,

addit: *horrendæque procul secreta Sibyllæ*; ceu longe ab arce situm Sibyllæ antrum esset: ibi enim *procul* non significat longe, sed prope, vt docte Servius ibi annotat his verbis: *Procul, haud longe. Procul enim est & quod præ oculis est, & quod porro ab oculis. Vnde & duplicem habet significationem, & iuxta, & longe.* Qui locus insignis de hujus aduerbii duplici vsu & origine. Nec vero mirum videri debet, Cumis lucum Triuiæ sacrum fuisse, quo loco templum erat Apollini dicatum & Sibyllæ specus, cum & Lauinii, eodem Marone teste, summo vrbis loco, Pici, vetustissimi Italorum regis, domus siluis ad religionis formidinem obscuris cincta esset. Qua de re sic in septimo memorat:

rio de Dauid Altoi: *Illo die & decem dierum iter conficit ad Amoriam vsque ineffabilis nominis pronunciatione.*

Superstitiosa hæc, inquies, & Rabbinica. Fateor: non tamen continuo falsa censeri debent. Nam & hos, veræ lucis exortes atque in superstitionem prolapsos, dæmonum patuisse ludibriis, & quæ dæmonum instinctu patrabant, virtuti diuinæ adscripsisse, velut priscos gentium sapientes, & ita prodita ab iis miracula explicare generosum magis & cordato viro congruens iudico, quam fidem tot testibus derogare, tot literarum monumenta barbaro fastu subruere ac demoliri. Hæc autem eo consilio sic vberius & latius disserere visum est, vt desinant mirari homines minus in veterum literis versati, longinquas illas Sibyllæ peregrinationes: immo hoc dæmonis ingenio & factis quam maxime esse consentaneum intelligant, vt quam primariam gentium omnium sibi subditarum vatem constituisset, ei se vt ad omnem vaticinandi operam, sic ad celeres locorum transmissiones & alia miracula facilem & promptum exhiberet.



CAPVT

CAPVT VIII.

De antris in quibus Sibylla habitasse dicitur. De Corycio: plura eius nominis fuisse; an istud nomen appellatiuum; Ἑρμεῖα πεδία *apud Galenum in descriptione Philonii.*

SIbyllam secessum & solitudinem amasse, vt fere omnes diuinioris naturæ sibi conscios, supra attigimus, cum de longa eius vita & solitudine nobis disputatio esset; nunc de antris, in quibus aut nata aut versata fuisse dicitur, paulo accuratius considerandum reor; cum ad res Sibyllæ hæc cognitio pertineat. Erythræi quidem, qui Sibyllæ natales contentiosius sibi vindicabant, in spelunca sub monte Coryco apud se ortam eam contendebant. Pausanias in Phocicis: Ἐρυθραῖοι δὲ (ἀμφισβητοῦσι γὰρ τῆς Ἡροφίλης προθυμότατα Ἑλλήνων) Κώρυκόν τε καλούμενον ὄρος, καὶ ἐν τῷ ὄρει σπήλαιον ἀποφαίνουσι, τεχθῆναι τὴν Ἡροφίλην ἐν αὐτῷ λέγοντες. id est, *Erythræi (de Herophile enim hi acerrime Græcorum omnium certant) Corycum montem, & in eo antrum ostendunt, in quo natam Herophilen dicunt.* Meminit & Strabo eius montis lib. 14. πρὶν δ' ἐλθεῖν ἐπὶ τὰς Ἐρυθράς, πρῶτον μὲν Γέραι πολίχνιον, εἶτα Τήϊον, εἶτα Κώρυκος ὄρος ὑψηλόν.

Ante-

Antequam Erythras perueniant, primum quidem occurrit oppidulum Geræ, postea Teium, tum Corycus mons altus. Stephanus quoque in hac voce: ἔστι καὶ Κώρυκος ὄρος ἀρσενικῶς λεγόμενον, ὑψηλὸν, πλησίον Τέω τῆς Ιωνίας καὶ Ερυθρῶν. Ita enim lego, non vt in excusis libris ἐρυθρὸν. id est, *Est & mons Corycus generis masculini, excelsus, Teo Joniæ & Erythris vicinus.* A monte igitur isto antrum illud, in quo natam dicunt Sibyllam, nominatum fuisse Corycium, non est cur quisquam dubitet. Non tamen perinde istud fama inclytum fuisse fatendum est, atque alia eiusdem nominis in Cilicia & Parnasso; quorum Stephanus seorsim mentionem facit his verbis: Κώρυκος πόλις Κιλικίας, παρ' ἣ τὸ κωρύκιον ἄντρον Νυμφῶν, ἀξιάγαστον θαῦμα, ᾧ ὁμώνυμον ἐν Παρνασσῷ. id est, *Corycus oppidum Ciliciæ, cui vicinum est Corycium antrum Nymphis sacrum, inter naturæ miracula celebrandum: cui alterum eiusdem nominis in Parnasso nobilitate haud magnopere cedit.* Quæ Stephani verba vel mediocriter curiosis cupiditatem injiciant accuratius cognoscendi naturam habitumque eius antri, quod tantam olim spectaculi admirationem visentibus moueret.

Quo spero facilius veniam me impetraturum a studiosis, si vocabuli eiusdem vestigia secutus, hincque occasione sumpta, paululum a proposito digredior in Corycium illud Ciliciæ antrum; hoc est, luculentam eius descriptionem a Pom-

po-

ponio Mela geographico operi insertam legentium oculis subjicio; qua ceu pictura eleganti superiorum disceptationum laborem & tristitiam discutiant. Ita igitur scriptor ille eloquens de hoc subterraneo specu scribit lib. I. cap. 13. *Non longe hinc Corycos oppidum, portu saloque incingitur, angusto tergore continenti annexum. Supra specus est, nomine Corycius, singulari ingenio, ac supra quam vt describi facile possit eximius. Grandi namque hiatu patens, montem litori appositum & decem stadiorum cliuo satis arduum, ex summo statim vertice aperit. Tunc alte demissus, & quantum demittitur amplior, viret lucis pendentibus vndique, & totum se nemoroso laterum orbe complectitur: adeo mirificus ac pulcher, vt mentes accedentium primo aspectu consternat: vbi contemplati durauere, non satiet. Vnus in eum descensus est, angustus, asper, quingentorum & mille passuum, per amœnas vmbras & opaca siluæ quiddam agreste resonantis, riuis hinc atque illinc fluitantibus. Vbi ad ima peruentum est, rursum specus alter reperitur ob alia dicendus. Terret ingredientes sonitu cymbalorum diuinitus & magno fragore crepitantium. Deinde aliquamdiu perspicuus, mox & quo magis subitur obscurior, ducit ausos penitius, alteque quasi cuniculo admittit. Ibi ingens amnis ingenti fronte se extollens, tantummodo se ostendit, & vbi magnum impetum breui alueo traxit, iterum demersus absconditur. Intra spatium est, magis quam vt progre-*

gre-

gredi quispiam ausit, horribile, & ideo incognitum. Totus autem augustus & vere sacer, habitarique a Diis & dictus & creditus, nihil non venerabile & quasi cum aliquo numine se ostendit. Hæc Mela. Quem adeo hac in descriptione admiratus videtur Plinius, vt alias creber his picturis in historia, veritus sit post Melam manum tabulæ admouere. Proinde idem antrum vix breui mentione attingere ausus lib. 5. cap. 27. statim præteruolat. *Juxtaque mare* (inquit) *Corycos eodem nomine oppidum, & portus & specus.* Verbum non amplius addit. Verumtamen de Coryciis antris notat lib. 31. cap. 2. destillantes in his guttas in lapides durescere. Quod sane Pausanias, vt mox videbimus, confirmat de Corycio Parnassi antro. Cæterum non idem pudor aut reuerentia Solino, qui & ipse inferior Pomponio Mela, obstitit quo minus eiusdem antri descriptionem tentaret, quam apud eum legat qui volet.

Magna & Corycii in Parnasso antri nobilitas fuit, neque admiratio minor, vt ex Pausaniæ verbis intelligi potest. Τὸ δὲ ἄντρον τὸ Κωρύκιον μεγέθει τε ὑπερβάλλει τὰ εἰρημένα, καὶ ἔστιν ἐπὶ πλεῖστον ὁδεῦσαι δι' αὐτοῦ καὶ ἄνευ λαμπτῆρος· ὅ τε ὄροφος ἐς αὔταρκες ἀπὸ τοῦ ἐδάφους ἀνέστηκε, καὶ ὕδωρ τὸ μὲν ἀνερχόμενον ἐκ πηγῶν, πλέον δὲ ἔτι ἀπὸ τοῦ ὀρόφου στάζει, ὥστε καὶ δῆλα ἐν τῷ ἐδάφει σταλαγμῶν τὰ ἴχνη διὰ παντός ἐστι τοῦ ἄντρου. id est, *Verum hæc omnia quæ enumerauimus magni-*

magnitudine superat Corycium antrum: qui introierit, sine vlla face longissime progredi possit. Ab imo solo ad superiorem partem, quæ pro tecto est, satis multum interest spatii: multi hinc illinc e viuis fontibus fluitant riui; sed humoris multo plus ex ipsa antri quasi testudine destillat. Cernuntur vero passim in ipso solo guttarum vestigia. Vbi σταλαγμῶν ἴχνη, guttarum vestigia interpretor guttarum in lapidem concretiones per totum antrum. Quo pacto expositus Pausanias Plinii, vt dixi, historiam in hac Corycio-rum antrorum proprietate confirmat.

Ab hoc antro Corycio quod in Parnasso fuit Corycides Nymphæ nominatæ, vt apud Ouidium libro Transformationum primo in Deucalionis fabula:

Mons ibi verticibus petit arduus astra duobus
Nomine Parnassus, superatque cacumine nubes.
Hic vbi Deucalion (nam cætera texerat æquor)
Cum consorte tori parua rate vectus adhæsit,
Corycidas Nymphas & numina montis adorat.

Meminit & Corycii seu, quod idem est, Corycei antri Aristoteles lib. de Mundo; sed cuius potissimum ex tribus memoratis, ex eius verbis intelligi non potest. Ita autem ibi scriptum est: διὸ καὶ τοὺς μὲν ἀσθενῆς διαγράψαντας ἡμῖν ἑνὸς τόπου φύσιν, ἢ μιᾶς σχῆμα πόλεως, ἢ ποταμοῦ μέγεθος, ἢ ὄρους κάλλος, οἷα τέ τινες ἤδη πεποιήκασι, φράζοντες, οἱ μὲν τὴν Ὄσσαν· οἱ δὲ τὴν Νύσ-

Νύσαν· οἱ δὲ τὸ Κωρύκειον ἄντρον· οἱ δὲ ὅ,τι οὖν ἔτυχε τῶν ἐπὶ μέρους, οἰκτίσειεν ἄν τις τῆς μικροψυχίας τὰ τυχόντα ἐκπεπληγμένους, καὶ μέγα φρονοῦντας ἐπὶ θεωρίᾳ μικρᾷ &c. id eſt, *Quapropter iſtos miſerari quiuis iure poſſit, vt puſilli animi ſcriptores, res quaslibet vulgoque expoſitas ſumma admiratione proſecutos; qui nobis vnius loci naturam, aut vrbis cuiusdam formam ſitumque, aut magnitudinem fluminis, aut denique amœni montis aſpectum deſcribere inſtituerunt: cum interim magnifice de ſemetipſis ſentiant, ob exilem quampiam naturæ perceptionem: cuiusmodi nonnulli magno quidem illi ſtudio fecerunt, accurata vt dictione deſcriberent, hic Oſſam montem, ille Nyſſam, alii Coryceum ſpecum, alii quiduis eorum quæ inter orbis particulas cenſentur* &c. Coniicio autem de Coryceo potisſimum loqui antro, quod in Cilicia eſt, vt pote omnium eius nominis maxime ſtupendo & celebrato, vt ex eius ſupra allata deſcriptione apud Melam intelligi poteſt. Interim Philoſophi ingenii magnitudinem & faſtum notare licet: cui præter mundum ipſum totum, ſingula quæque in terris loca, vrbes, montes, ſpeluncæ, & alia eiusmodi particularia ſordent, ſola naturæ vniuerſitas ſatisfacere poteſt.

Habuit & Sicilia ſuum antrum Corycium; ſuum item Arcadia, Homero teſte, in quo natum Mercurium fabulantur. Qui cum multi eius nominis apud auctores celebrentur ſpecus, data hinc

hinc occaſio Hofmanno, acris ingenii viro, ſuſpicandi Κωρύκειον non vnius eſſe antri nomen, ſed omnium, ac vt Grammatici loquuntur appellatiuum. Quod ipſe lib. 6. Variarum Lectionum cap. 3. teſtatum reliquit. Quid plura? Habemus & inter Græcorum prouerbia κωρυκαῖος ἠκροάσατο *Corycæus auſcultauit*: verum nihil hoc ad antrum Corycium aut Parnaſſi, aut Ciliciæ, aut eius quod iuxta Erythras fuit, pertinet; ſed potius a Coryco Pamphyliæ monte iſtud epithetum latronibus inditum videtur, qui, vt Strabo & Zenodotus tradunt, per portus monti illi vicinos diſperſi quæ ibi negotiatores agerent ſubauſcultabant, vnde mox in eos capta occaſione impetum facerent. Crocum quidem a Ciliciæ monte Coryco *Corycium*, a quo & antrum, nominatum ſatis conſtat: cui bonitatis in eo genere palmam Dioſcorides & alii deferunt. Cur autem campos, in quibus is naſcitur, *Mercuriales* vocet Philo Tarſenſis medicus in Philonici deſcriptione apud Galenum lib. 9. cap. 4. κτ' τόπους, conſideratione eget. Philonis verſus, quibus crocum poetica periphraſi deſignat, ſunt ejusmodi:

> Ξανθὴν μὲν τρίχα βάλλε μυρίπνοον ἰσοθέοιο,
> οὗ λύθρος Ἑρμείοις λάμπεται ἐν πεδίοις.

Sic autem latine ſonant: *Rutilum mitte capillum adoleſcentis vnguenta redolentem, cuius ſanguis in campis Mercurii coruſcat.* Eſt autem alia etiam lectio, cuius meminit Galenus:

Ἑρμεί-

Ερμείαις λάμπεται ἐν βοτάναις.

inter herbas Mercurii effulget. Sed priorem retinent Codices.

Hofmannus, vir acutus & perspicax, dicto loco Ερμεῖα πεδία, hoc est, *Mercuriales campos* dictos putat, qui latronibus essent infesti: propterea quod Mercurius furum & latronum deus diceretur. Quam interpretationem, vt obiter dicam, non nauci esse lectio illa ostendit, quæ βοτάνας Ερμείας *herbas Mercuriales* habet: an enim quisquam tam futilis, vt herbas Mercuriales quicquam cum latrociniis commune habere dicat? Et miror profecto id genus interpretamenti tam remotum placere Hofmanno potuisse, cum longe meliorem a Galeno explanationem petere posset; quo loco carmen Philonis proponit, & voces in eo ænigmaticas sigillatim exponit. Hanc Galeni expositionem ipsius verbis subnectere placet: *λύθρον δὲ τοῦ κρόκου φησὶν ἐν ταῖς Ερμείαις, τουτέστι ταῖς τοῦ Ερμοῦ λάμπεσθαι βοτάναις. ἐπειδὴ μειράκιον καλούμενον Κρόκος, ἅμα τῷ Ερμῇ δισκεύων, εἶθ' ἑστὸς ἀμελέστερον, ἐμπεσόντος αὐτῷ δίσκου τῇ κεφαλῇ, συνέβη μὲν ἀποθανεῖν αὐτίκα· τοῦ δ' αἵματος εἰς τὴν γῆν ἀναχυθέντος, ἐξ αὐτοῦ φῦναι τὸν κρόκον. λάμπεσθαι δὲ εἶπε τὸν λύθρον, τουτέστι τὸ ἀπὸ τοῦ σφαγέντος αἷμα, διὰ τὸ στιλπνὸν τῆς χρόας τοῦ κρόκου.* Tum alterius lectionis meminit sequentibus verbis: *γράφεται δὲ οὐ μόνον, βοτάναις, ἀλλὰ καὶ πεδίοις, ὡδίπως ὁ στίχος,*

Ἑρμείοις λάμπεται ἐν πεδίοις.

id eſt: *Cruorem autem croci fulgere adhuc in campis Mercurii dicunt. Adoleſcens enim Crocus nomine diſco ludens cum Mercurio, & incautius adſtans, illapſo in caput ipſius diſco ſtatim mortuus eſt: ex ſanguine autem eius in terram delato crocus natus eſt. Fulgere autem cruorem dixit, hoc eſt, ſanguinem iam occiſi, propter coloris croci ſplendorem. Scribitur autem non ſolum* in herbis, *ſed &* in campis *in verſu; hoc modo: fulget adhuc in campis Mercurii ille cruor.* Ex quo nemo non videt, ſicut crocus Mercurialis herba dicitur, quod de Croci pueri Mercurio dilecti cruore natus feratur; ſic & eos campos, in quibus magna croci copia proueniret, eadem ratione Mercuriales a Philone eſſe nominatos, ab eo ſcilicet olere, quod Mercurii poteſtate de cognominis adoleſcentis primum ſanguine emerſerit. Sed hæc, vt dixi, obiter; ad propoſitum reuertamur.

CAPVT IX.

De Cumano Sibyllæ antro.

SEquitur alterum Sibyllæ antrum non minus veterum ſcriptis celebratum, atque ab ipſo Ariſtotele in Admirandis; cuius verba de hoc antro ſupra laudata nihilo ſecius reponere operæ pretium eſt. Ἐν τῇ Κύμῃ τῇ περὶ τὴν Ἰταλίαν δεί-

δείκνυταί τις, ὡς ἔοικε, θάλαμος κατάγειος Σιβύλλης τῆς χρησμολόγου &c. *Cumis iis quæ sunt in Italia quidam ostenditur, vt verisimile est, subterraneus Sibyllæ thalamus siue cubiculum mulieris fatidicæ* &c. Sed Maro in primis videndus de hoc Sibyllæ antro in sexto magni operis:

Teucros vocat alta in templa sacerdos,
Excisum Euboicæ latus ingens rupis in antrum:
Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum,
Vnde ruunt totidem voces, responsa Sibyllæ.

Quibus ex verbis intelligi potest, quam spatiosa & vasta ea domus subterranea esset, cui centum aditus, centum ostia assignet. Sed maxime id confirmant Justini Martyris verba quibus eam speluncam describit, in ea quam ad Græcos scripsit oratione exhortatoria: qui se hujus etiam testem oculatum fuisse dicit. Quamobrem hanc tam grauis auctoris descriptionem verbis ipsius adscribere haud grauabor: Ἐθεασάμεθα δὲ ἐν τῇ πόλει γενόμενοι καί τινα τόπον, ἐν ᾧ βασιλικὴν μεγίστην ἐξ ἑνὸς ἐξεσμένην λίθου ἔγνωμεν, πρᾶγμα μέγιστον καὶ παντὸς θαύματος ἄξιον, ἔνθα τοὺς χρησμοὺς αὐτὴν ἀπαγγέλλειν, οἱ ὡς τὰ πάτρια παρειληφότες παρὰ τῶν ἑαυτῶν προγόνων ἔφασκον. ἐν μέσῳ δὲ τῆς βασιλικῆς ἐπεδείκνυον ἡμῖν τρεῖς δεξαμενὰς ἐκ τοῦ αὐτοῦ ἐξεσμένας λίθου. ὧν πληρουμένων ὕδατος, λούεσθαι αὐτὴν ἐν αὐταῖς ἔλεγον, καὶ στολὴν ἀναλαμβάνουσαν, εἰς τὸν ἐνδότατον τῆς βασιλικῆς βαδίζειν οἶκον ἐκ τοῦ αὐτοῦ ἐξεσμένον λίθου. καὶ

ἐν μέσῳ τοῦ οἴκου καθεζομένην ἐπὶ ὑψηλοῦ βήματος καὶ θρόνου, οὕτω τοὺς χρησμοὺς ἐξαγορεύειν. id eſt, *Vidimus ſane, cum ea in vrbe eſſemus, locum quendam, vbi baſilicam ingentem vno excauatam e lapide conſpeximus; rem ſane maximam & omni admiratione digniſſimam: quo loco oracula eam edidiſſe, qui res patrias a majoribus ſuis quaſi per manus traditas acceperant, affirmabant. In baſilicæ autem meditullio tria nobis oſtenderunt in eodem exciſa ſaxo ſolia; quibus aqua repletis lauiſſe eam dicebant: exinde ſtola ſumpta in interius ejusdem baſilicæ ſacellum ibi ex eadem materia recedere, atque in media ea æde ſuper altiore ſuggeſtu & throno conſidere ſolitam, & ſortes ad eum modum promulgaſſe dixerunt.* Singularis hic locus eſt de Sibyllæ ſpecu: neque enim alibi vſquam tam accuratam eius deſcriptionem reperies. In qua tamen illud primum occurrit dubium, an ea quæ Juſtino monſtrata eſt ſpelunca ipſamet fuerit in qua Sibylla habitauit, cuius & Maro facit mentionem in ſexto Æneidos. Etenim illa Juſtino memorata Cumis Campaniæ, hoc eſt, in ipſa vrbe viſebatur: ἐθεασάμεθα δὲ, inquit, ἐν τῇ πόλει γενόμενοι καί τινα τόπον, *locum quendam cum in vrbe eſſemus contemplati ſumus.* Quam autem Virgilius deſcribit, ea non videtur in oppido ipſo fuiſſe, ſed procul inter ſacros Triuiæ lucos ſita, vbi templum erat Apollini conſecratum. Quemadmodum ex his verſibus colligi poteſt:

At pius Æneas arces, quibus altus Apollo
Præsidet, horrendæque procul secreta Sibyllæ,
Antrum immane, petit.

& paulo post:

Iam subeunt Triuiæ lucos, atque aurea tecta.

Mox aurea illa tecta, hoc est, templum Apollinis describit, quod a Dædalo, postquam e custodia cum filio euasit, constructum fuisse dicit. Quibus verbis apparet, templum & oraculum istud fuisse positum inter nemora & lucos; non videtur autem simile vero eos lucos fuisse in oppido. Merula quidem lib. 4. vbi Campaniæ loca describit, non putat Cumis fuisse Sibyllæ antrum, sed in via quæ Cumis ad Auernum lacum patet. *Ab Cumis* (inquit) *dein ad Auernum vsque lacum nihil inuenitur scitu dignum, præter Sibyllæ (quæ ab Cumis, patria,* Cumæa, *omnibus decantata) cauernam, vt vocant.* Sed antiquior longe auctoritas Aristotelis, qui sæpius laudato in commentario de Admirandis, expresse Cumis fuisse subterraneum Sibyllæ Erythrææ, quæ & Cumæa dicta est, thalamum refert: ἐν τῇ Κύμῃ περὶ τὴν Ἰταλίαν δείκνυταί τις, ὡς ἔοικε, θάλαμος κατάγειος Σιβύλλης τῆς χρησμολόγου. Potior item Iustini Martyris, qui idem confirmat indigenarum, quibus id a maioribus per manus traditum esset, testimonio. Quibus accedit Seruii auctoritas ad hæc verba: *arces quibus altus Apollo præsidet. Cum*, inquit, *vbique arx Ioui detur, apud Cumas in arce Apollinis*

nis templum est. Quod autem ibi Sibyllæ antrum fuerit, hæc verba ostendunt infra:

Teucros vocat alta in templa sacerdos,
Excisum Euboicæ latus ingens rupis in antrum:
Quo lati ducunt aditus.

& mox:

Vnde ruunt totidem voces, responsa Sibyllæ.

Quæ verba indicant, eo ipso in loco, puta monte vbi arx erat vrbis & templum Apollinis, fuisse antrum Sibyllæ in rupe excauatum, vt & Justinus tradit. Neque obstat quod Poeta post hæc verba:

At pius Æneas arces quibus altus Apollo
Præsidet,

addit: *horrendæque procul secreta Sibyllæ;* ceu longe ab arce situm Sibyllæ antrum esset: ibi enim *procul* non significat longe, sed prope, vt docte Servius ibi annotat his verbis: *Procul, haud longe. Procul enim est & quod præ oculis est, & quod porro ab oculis. Vnde & duplicem habet significationem, & iuxta, & longe.* Qui locus insignis de hujus aduerbii duplici vsu & origine. Nec vero mirum videri debet, Cumis lucum Triuiæ sacrum fuisse, quo loco templum erat Apollini dicatum & Sibyllæ specus, cum & Lauinii, eodem Marone teste, summo vrbis loco, Pici, vetustissimi Italorum regis, domus siluis ad religionis formidinem obscuris cincta esset. Qua de re sic in septimo memorat:

Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis,
Vrbe fuit summa, Laurentis regia Pici,
Horrendum siluis & relligione parentum.

Quorum lucorum Diis sacrorum in mediis vrbibus alia exempla complura adiungi possunt.

Quod autem excisam in rupe ipsa speluncam tam vastam dicit, ne id quidem quisquam admodum mirari debet: cum in Sedunis ejusmodi domos in rupe excauatas visi testetur Georgius Agricola in libro de animantibus subterraneis; quem locum adscribere operæ pretium est. *In Sedunis etiam in tractu Sittensi ad Bremisam pagum ex rupe excisa, sine vllis tignis & trabibus ligneis, formatum est integrum cœnobium, hoc est, templum, cubicula, conclaue, culina, cella vinaria. Similiter in altis montibus conspiciuntur arces subterraneæ: vt quæ in Alpibus Conolum nominatur, in quam nec equites nec pedites possunt ascendere, sed cum homines, tum omnia ad viuendum necessaria ad ipsam attrahuntur: quæ in præcipiti Siciliæ rupe, non longe ab Eryce monte existit, cum Drepano promontorio coniuncta ponticulo, quo solo adiri potest: quæ in Saxonia inter Blancheburgum & Halberstadum est: quæ in Toringia inter Vimariam & Blanchenhainam prope Mellingum pagum, illius nomen est Reinesteinum vetus, huius Pufhardum: atque ea distat a Vimaria quatuor millibus passuum. Vtraque ab habitatoribus nunc deserta est & vacua: vtraque*

vtraque habet in saxo incisa hypocausta, conclauia, scamna, stabula, præsepia, ianuas, fenestras: Saxonica vero etiam templum, supra quod incolæ extruxerunt speculam, quæ sola subiecta fuit sub aspectum. Hæc eo loco Agricola, qui de arce alia apud Saxones addit, sub monte sita, *Ipse* (inquit) *mons Saxonicus præceps est ex omni parte, præter eam qua ascenditur: in cuius planitie excelsius collis clementer assurgit, qui qua parte planitiem spectat fossa satis alta & lata circumdatur. Ex huius collis saxo arenaceo, nonnihil rubro, exciso formata est arx illa, cui multæ & magnæ fenestræ. Quin in pede ipsius montis cellæ sunt subterraneæ cum equorum item stabulis.* Tum ænigma e re natum, quod fertur inprimis apud Saxones & Toringos, subiungit ejusmodi:

Dic quibus in terris arx alto condita monte,
Mille vbi per tectum possunt errare bidentes.

Addit; *Hoensteini etiam, quæ arx est Misenæ trans Albim, equorum stabula in saxo incisa esse.* Tum de cellis meretricum sub terra apud Græcos & Romanos; vnde vox χαμαιτύπη & χαμαιτυπεῖα & *ganeum* Latinis dictum ἀπὸ τῆς γῆς auctore Terentii interprete. Et hæc satis ad fidem faciendam iis, qui præ inexperientia dubitarent, potuisse in viuo saxo tam spatiosam excauari speluncam, siue, vt Justinus vocat, basilicam, quantam fuisse eam, in qua Sibylla Cumæa habitauit, idem Justinus testatur.

Quod autem verum ſit hoc teſtimonium, recentiore & familiari confirmat Janus Vlitius, vir eruditiſſimus, in commentario ad Gratii Cynegeticon., cuius verba adſcribere viſum eſt: *Et Cumææ (ſupple Sibyllæ) illud ſepulcrum eſſe, quod & in hypogeo vbi vaticinata fuerat monſtratum ſibi narrat Juſtinus in monitorio ad Græcos, ex eo apparet, quod Cumææ hypogeum, ſiue vt vocat Ariſtoteles θάλαμον κατάγειον, ab Ænea petitum conſtet. Idque etiam hodie aduenis demonſtrare incolis oculatus mihi teſtis eſt illuſtris Bosvvelius.* Quod igitur Sibylla tali domo ſub terra habitaret, hinc factum eſt, vt idem Agricola dicto loco huius inter animantes ſubterraneas mentionem habendam putarit; vbi & de ejus ſpelunca haud vulgaris operis confirmat his verbis: *Quin & in Tenedo inſula piſcatores hodie rupium ſpeluncis pro domibus vtuntur: vt quondam Sibylla Cumæa antro illo ad Auernum lacum, tam muſiuo opere inſigni, quam vaticinationibus nobili.*

CAPVT X.

De myſtico apud Homerum Nympharum antro. Item de Platonis ſpelunca: tum de ſpecuum eiusmodi ſubterraneorum cauſis.

Ac de Sibyllæ antro ſatis dictum arbitror: hæc autem diſputatio, quam modo de eo antro

antro habui, admonet me vt de altero, quod Phorcyno in portu Ithacæ sub rupibus situm Nymphis sacrum iis quæ Naiades dicuntur, describit Homerus lib. 13. Odysseæ; tum de ea, quam philosophorum Homerus Plato initio septimi de Republica proponit, spelunca, quid mihi videatur data occasione attingam. Ac primum de illis Nymphis sacro: propterea quod Porphyrius mysteria non pauca sub ea descriptione latere censuit, quæ & libro singulari eruditissimo enarrare atque explicare tantus philosophus non dubitauit. Sunt autem Homeri versus huiusmodi:

Αὐτὰρ ἐπὶ κρατὸς λιμένος τανύφυλλος ἐλαίη·
Ἀγχόθι δ' αὐτῆς ἄντρον ἐπήρατον, ἠεροειδὲς,
Ἱρὸν νυμφάων αἳ Νηϊάδες καλέονται.
Ἐν δὲ κρητῆρες τε καὶ ἀμφιφορῆες ἔασιν
Λαΐνοι· ἔνθα δ' ἔπειτα ὑθαιβώσσουσι μέλισσαι.
Ἐν δ' ἱστοὶ λίθεοι περιμήκεες, ἔνθα τε νύμφαι,
Φάρε' ὑφαίνουσιν ἁλιπόρφυρα, θαῦμα ἰδέσθαι.
Ἐν δ' ὕδατ' ἀενάοντα, δύω δέ τε οἱ θύραι εἰσίν.
Αἱ μὲν πρὸς βορέαο καταιβαταὶ ἀνθρώποισιν,
Αἱ δ' αὖ πρὸς νότου εἰσὶ θεώτεραι, [illegible]τι κείνῃ
Ἄνδρες ἐσέρχονται, ἀλλ' ἀθανάτων ὁδός ἐστιν.

Latine autem eruditus aliquis mihi non notus hunc Homeri locum sic reddidit, quam versionem in eorum gratiam qui Græce nesciunt apponere placet:

Stat

Stat ramis diffusa in portus vertice oliua,
Quam propter peramœnum antrum obscurumque recedit,
Sacra domus Nymphis, quæ Naides indigitantur.
Intus crateres; patulæque ex marmore viuo
Amphoræ; apes dulci qua ponunt mella susurro.
Saxea sunt intus quoque stamina longa, vbi Nymphæ
Purpureas texunt telas, mirabile visu.
Intus perpetui latices. Sed ianua duplex:
Hæc boream spectans homines admittit; at illa
Respiciens austrum diuinior, inuia prorsus
Est homini, præbetque viam immortalibus vnis.

Nec abs re arbitror subnectere Maronis loca, in quibus respexisse ad Homeri picturam, ac etiam colores ex ea erasisse videri potest, quos in suum opus transferret: cum in primo magni Operis portum simul & antrum sub scopulis describit hunc in modum:

Est in secessu longo locus: insula portum
Efficit objectu laterum, quibus omnis ab alto
Frangitur inque sinus scindit sese vnda reductos.
Hinc atque hinc vastæ rupes, geminique minantur
In cælum scopuli: quorum sub vertice late
Æquora tuta silent: tum siluis scena coruscis
Desuper, horrentique atrum nemus imminet vmbra.
Fronte sub aduersa scopulis pendentibus antrum:

Intus

Intus aquæ dulces, viuoque ſedilia ſaxo,
Nympharum domus: hic feſſas non vincula naues
Vlla tenent, vnco non alligat anchora morſu.

Cujus loci priores verſus ex his Græcis, quibus portum illum Homerus deſcribit, expreſſos palam eſt:

Φόρκυνος δέ τις ἐστὶ λιμὴν ἁλίοιο γέροντος
Ἐν δήμῳ Ἰθάκης. δύο δὲ προβλῆτες ἐν αὐτῷ,
Ἀκταὶ ἀπόῤῥωγες, λιμένος ποτιπεπτηυῖαι.
Αἵ τ' ἀνέμων σκεπόωσι δυσαήων μέγα κῦμα.

id eſt, *Phorcynis quidam eſt portus marini ſenis*
In agro Ithacæ; duo autem projecti in ipſo
Scopuli prærupti in portum ſe expandunt:
Qui extra ventorum arcent grauiter ſpirantium
Magnum fluctum.

Reliqua autem de Nympharum texentium induſtria & textis purpureis idem Maro expreſſit in 4. Georgic. in fabula Ariſtæi:

At mater ſonitum thalamo ſub fluminis alti
Senſit: eam circum Mileſia vellera Nymphæ
Carpebant, hyali ſaturo fucata colore.

Nonnihil tamen mutauit Maro: nam quæ Homerus ἁλιπόρφυρα dixit, ipſe aliam rationem ſecutus, hyali ſaturo colore infecta & penitus infecta dixit. Quod iſtud epithetum magis Naiadum, quæ fontium & fluminum numina, rebus congruens & familiare videatur. Scaliger in Epinomide cap, 6. de Virgilio loquens: *Et in*

in quarto consummati operis hyalum *pro vitri colore posuit, tanto iudicio & venustate, quanta fuit a Grammaticis ignorata.* Est autem hyali color subuiridis, eodem teste in Exercitat. 315. Sect. 11. *Sed animaduertendum* (inquit) *nos a vitro vitreum pro candido agnouisse: at Virgilius a Græco subuiridem in lana intellexit:*

Carpebant hyali saturo fucata colore.

Quomodo & Scarmilionius lib. 2. de coloribus cap. 19. hunc locum interpretatur. Talis enim aquæ paulo altioris color, qualis vitri densioris.

Sed ad supra allatos Homeri versus reuertamur, quibus antrum illud Nympharum in portu Ithacæ studiose descripsit. Tametsi enim Chronius Platonicus & eum secutus Porphyrius, vt supra attigi, negant ad literam posse accipi quæ de antro illo Homerus dicit, sed in sensu allegorico esse intelligenda; non tamen propterea ab eius loci consideratione temperandum censemus, ceu ad nos nihil pertineat, immo tanto impensius animum intendere decet, vt quid sub ea allegoria poetica lateat mysterii proponamus: certi, non minimam hanc rerum huius mundi aspectabilium & caducarum esse dignitatem, earum etiam quæ abiectiores censentur, qualia sunt antra illa & cauitates terræ, saxa & lapides, ita esse conditas, vt possint præbere imagines & symbola rerum altiorum & diuinarum iis, qui scalam illam Patriarchæ vbique terrarum positam hominibus, qua a terris in cælum animo

animo aſcendant, videre poſſunt. Alioqui (vt etiam in præfatione monui) non erat cur de Sibylla, de antris eius, & aliis ad eam pertinentibus dicerem, ſi nihil me ex talibus profundioris ſapientiæ expiſcari poſſe ſperarem; aut certe mihi eorum mos ſequendus eſſet, qui nihil ex veterum auctorum ſcriptis niſi vepres depectunt. Sed & negotioſos homines & ſuperficiarios librorum helluones moneo, hinc procul faceſſant, & alibi ſtomacho ſuo aptiora quærant.

Quod igitur non ad literam deſcriptio illa antri apud Homerum accipi debeat, ſed allegorice, hinc primum oſtenditur: quia Geographi & περιηγήσεων Scriptores nullam eius ſpeluncæ in portu Ithacæ mentionem faciunt. Putare autem, Homerum artificem tantum, nulla alia cauſa ſed ſola fingendi libidine impulſum, finxiſſe antrum quod nuſquam eſſet, fidem omnem & probabilitatem excedit, quod ne in mediocres quidem poetas ſcilicet cadit. Quis porro citra allegoriam fingere audeat, antrum alicubi eſſe, duos habens exitus, vnum quo homines omnes ingrediantur, alterum quo dii, & quicquam eiusmodi a natura eſſe factum: cum vniuerſum terrarum orbem mundumque omnem commune hominum & deorum domicilium eſſe conſtet? Alia addit Porphyrius, iis qui literæ inhærent non minus difficilia, ne dicam inexplicabilia. Quorſum portæ iſtæ antri geminæ; vna hominum, altera deorum? cur non quæ homi-

hominibus ad boream, quæ diis ad auitrum conuersa est? cur non simpliciter Nympharum, sed earum quæ Naiades dicuntur? quomodo idem antrum ἐπήρατον καὶ ἠεροειδὲς, hoc est, *amabile & obscurum* tenebrosumque dicatur; cum tenebræ naturaliter formidinem potius quam cupiditatem aut voluptatem inferant? præterea quid sibi volunt in antro crateres & amphoræ lapideæ: in quibus non quicquam liquorum, quæ talibus in vasis reponi solent, sed apum faui ibi operantium continentur? quid textoria instrumenta ex lapide item apparata & confecta, non autem ex ligno? quid vestes illæ & telæ quas Nymphæ in tenebris ordiuntur, & nihilominus ita aspectabiles vt cernentibus admirationem moueant? quid postremo olea, vna omnium arborum in portus fronte feraces explicans ramos? In quo etiam magnus Scaliger acumen criticum exercere non dubitauit lib. 5. Poetices: *Quid enim* (inquit) *sola oliua? quam etiam falso τανύφυλλον vocauit? folia namque gerit breuia, tametsi non rotunda.* Immemor eius quam alibi de Homero & Herodoto protulit sententiæ multo prudentioris: quos viros in commentario in librum Hippocratis non modo vtriusque orationis, hoc est solutæ & numeris adstrictæ, principes statuit, sed etiam sapientes. *Nam & Homerum* (inquit) *nunquam putassem summum & physicum, &, vt tum esse poterat, theologum, nisi tam stulte de*

Diis locutus esset. Neque enim tam vecors, tamque futilis esse potuit, vt ea sic intelligeret; sed ad siderum potestates atque officia geniorum omnia voluit referri.

Hæc cum de Homero sentiret, qua mentis vertigine postea in eundem tam petulanter debacchetur in libris Poeticis, satis equidem mirari non possum. Cur enim, si Homerum in eo commentario agnoscit sapientem fuisse, neque ad literam quæ de diis dicit esse accipienda, non item in illis Poetices libris ea loca, in quibus Homerum vecordiæ accusat, altius scrutatur, vt quid sapientiæ sub verborum facie lateat, intelligat? cum præsertim tam multa Plato & Aristoteles passim de Homeri diuinitate & allegoriis scripta reliquerint; tam multa Proclus in commentario ad Platonis Timæum & libros de republica: tum porro & Porphyrius (quem philosophorum doctissimum beatus Augustinus vocat) in hoc aureo libello de Nympharum antro. Magna igitur Scaligeri importunitas, dum tam frigide & futiliter Homero in ea antri descriptione in portu Ithacensi insultat: quem non modo in oleæ arboris descriptione malo epitheto vsum arguit, sed etiam egisse Grammaticum, quod non contentus Nymphas dixisse, addiderit: *αἳ νηϊάδες καλέονται*: ceu mera hæc sit glossa parum ad rem pertinens. Quin etiam Homerum castigat, quod non potius *Nereides* has Nymphas dixerit. Quæ & alia eius descri-

ptionis ſcientiſſime in hunc modum ab Homero eſſe compoſita oſtendit Porphyrius; quem proinde nunc, exploſo Scaligero & aliis priſcæ ſapientiæ oſoribus, audire diuina Homeri in eo antro ſenſa interpretantem operæ pretium eſt. Attingam autem ſingula breuiter, vt par eſt ad alia inſtituti properantem.

Primum igitur ad antra quod attinet, hæc typum & ſymbolum fuiſſe mundi apud priſcos ſapientes docet Porphyrius, ſiue mundum in ſe totum ſpectemus, ſiue etiam partes ex quibus conſtat: ex materia enim vna communi omnium rerum naturalium & variis formis conſiſtit mundus. Huius itaque omnium poſtremæ mundi partis, materiæ inquam, ſymbolum terram eſſe voluerunt, & ita accipiebant in conſecratione antrorum; quorum analogiam ad materiam primam & ſimilitudinem præclare ibi declarat Porphyrius, quem ſtudioſi adeant, neque enim quæ ibi affert omnia huc transferre placet. Antrorum etiam obſcuritas non male ad materiam ſe accommodat; ſed & rerum poteſtates in profundo, hoc eſt, in eſſentia ſitas notat. Antrum igitur, quod eſt mundus, ἠεροειδὲς propter materiam, idemque ἐπήρατον *jucundum & amabile* ob formæ decorem & ornatum, vnde nomen mundo eſt inditum. Haud aliter & Plato in 7. de Republ. ſpeluncam facit imaginem mundi, vt etiam in argumento notat Ficinus: *Tu vero, vbi Plato in erudiendo ciuili philo-*

philosopho imaginem proponit speluncæ, & vinculorum, & luminis cuiusdam vmbrarumque, & aquæ; speluncam intellige hunc quem videmus mundum, si ad mundum inuisibilem comparetur: vinculum vero corpus humanum, siue potius perturbationem animum corpori alligantem: vmbras autem res omnes quæ sensus mouent.

Sed & ὕδατα ἀέναα, aquarum perennis ille fluxus in antris, materiæ instabilis & pronæ ad omnem motum symbolum esse nemo non videt. Hinc & Naiadum seu Naidum appellatio ἀπὸ τῶν ναμάτων. Est autem νᾶμα non aqua simpliciter, sed quæ in motu est & aliunde manat, fluentum, fons. Quo significatur seminis genitalis ad hominum procreationem commotio & fluxus, quemadmodum Nympharum Naiadum nomine vult intelligi animas omnes in generationem prolabentes. Sic aquæ in reconditis Hebræorum literis pro humore illo humani generis instauratore. Esaias cap. 48. *Audite hæc domus Jacob qui vocamini nomine Israel, & de aquis Juda existis.* De aquis Juda, hoc est, fluuiis: quo id quod dictum est intelligi debet. Et sane Plato in Timæo flumen appellat eam colluuiem in quam anima viam generationis iniens incidit: αἱ δ' ψυχαὶ εἰς ποταμὸν ἐνδεθεῖσαι πολὺν, ὅτε ἐκράτουν &c. Nymphæ igitur quæ Naiades vocantur, animæ sunt propriis fluentis præsidentes, vt Numenius exposuit teste Porphyrio: Νύμφας δὲ ναΐδας λέγομεν καὶ

τὰς τῶν ὑδάτων παρεστώσας δυνάμεις ἰδίως. ἔλεγον δὲ καὶ τὰς εἰς γένεσιν κατιούσας ψυχὰς κοινῶς ἁπάσας. ἡγοῦντο δὲ προσιζάνειν τῷ ὕδατι τὰς ψυχὰς θεοπνόῳ ὄντι· ὥς φησιν ὁ Νουμήνιος. Eoque etiam verba Mosis trahit Porphyrius: *& Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Quod ab Ægyptiorum theologia sumptum ostendit.

Sed & Naiadum & potentiæ aquis præsidentis propria symbola crateres lapidei & amphoræ in eodem antro repositæ. Quæ tamen vasa non aquam aut liquorem alium quemlibet, sed apes & mel continere dicuntur. Et merito vasa illa lapidea finguntur, quod aquæ in antris e saxis scaturiant; apes autem in iis operantes animas ipsas generationi incumbentes exponit Porphyrius: πηγαὶ δὲ καὶ νάματα οἰκεῖα ταῖς ὑδριάσι νύμφαις, καὶ ἔτι δὲ μᾶλλον νύμφαις ταῖς ψυχαῖς ἃς ἰδίως μελίσσας οἱ παλαιοὶ ἐκάλουν. id est, *Fontes vero & fluenta aquis præsidentium Nympharum propria sunt: adhucque magis animarum quæ Nymphæ dicuntur, quas veteres apum nomine indigitabant.* Mel autem, apum opus, quid aliud quam voluptatis symbolum ex amore, quem & Poetæ γλυκύπικρον vocant, & quodam œstro seu punctura occulta humoris, quæ titillatio dicitur. Proinde mox ἱστοὺς λιθίνους *stamina lapidea* subdit Homerus, & φάρε' ἁλιπόρφυρα *purpurea texta*, quo σαρκοποιΐαν ænigmatice adumbrari censet Porphyrius, propter sanguinem ex quo generantur carnes, quæ

circa

circa oſſa lapidea adnaſcuntur, vt ipſa operiant. Omnium enim quæ in corpore noſtro continentur, nihil tam ad lapidis naturam accedit quam oſſa. Genus profectò texturæ eſt quod natura in rebus procreandis exercet; quemadmodum Orpheus ipſe agnouit, qui Proſerpinam omnium quæ in hoc mundo ſenſibili feruntur (Dea præſes ponitur) texentem inducit, peplum ſcilicet, quo nomine cæli compagem & ornatum priſci vocabant, quod eo cæleſtes dii ceu veſtimento tegantur. Et de his hactenus.

Nunc de duabus antri portis, & olea in vertice portus conſpicua. Earum portarum vna ad boream conuerſa eſt, altera ad auſtrum: per illam homines ingredi in antrum, per hanc homines non admitti, ſed deos, quibus ſolis pateat, Homerus expreſſe dicit. Quo vel vno intelligi poteſt, merum eſſe ænigma quicquid de hoc antro Nympharum dicitur, non ſimplicem loci deſcriptionem. Quis enim in animum inducat, vſquam fuiſſe antrum natura aut arte poſitum, quo homines omnes debeant ingredi, quo item dii; ideoque his & illis aditus ianuasque ſeorſim in illo antro apertas? Multa igitur Porphyrius ad ſecretam earum portarum intelligentiam nobis inſinuandam doctiſſime diſſerit, quæ ſigillatim omnia referre longum eſſet; ſatis erit ſummatim oſtendere, quorſum illa pertineant. Summa diſputationis, mundum vniuerſum naturæ in duas diuiſum

esse regiones: vnam meliorem, & diuinis magis accommodatam, alteram sequiorem caducisque & humanis familiarem & dicatam: priorem illam esse versus austrum & meridiem, posteriorem boream versus. Quod autem melior sit pars quæ ad austrum vergit, multis ostendi potest. Primum quidem caloris natura, qui ibi dominatur, cum in opposita regione vigeat frigus; quod autem caliditas frigore sit potior manifestum est: omnis quippe fœcunditas, vis, perfectio in naturæ operibus, caloris beneficium est; sterilitas, torpor, inertia, a frigore proficiscitur: vnde *iners* & *sceleratum* frigus poetarum doctissimis dicitur. Sed & lumen in austrinis mundi partibus magis omnia collustrat, quo nihil in natura præstantius aut diuinius; in borealibus vt minus caloris, sic & luminis minus, quod magis remotæ sunt a cursu solis: nebulæ autem & caligo & tenebræ ceu propria in sede regnant.

Idem discrimen videre est in hominum ingeniis, quæ, vt Aristoteles docet in problematis, versus austrum acutiora sunt & prudentiæ capaciora; versus boream obtusa magis &, vt ita dicam, nebulosa. Cæterum (quod hic in primis notandum est) quanto his minus mentis & prudentiæ, tanto corpora & ampliora & robustiora, magis item fœcunda esse constat: cum versus meridiem degentibus illorum comparatione parua corpora & infirma imbecilliaque sint:

mens

mens autem ad proportionem agilis & rerum magnarum capacior existat. Quam diuersitatem adeo insignem regionum terræ considerantes prisci illi sapientes, in tropico cancri, & signo illo in quo maximæ solis versus boream declinationis meta est, animarum e cælo descensum posuerunt; in capricorno, maximæ item versus austrum declinationis meta, earumdem animarum regressum & ascensum ad deorum sedem & meliorem vitam. Quibus in signis Plato, ad antrum Homericum respiciens, duas, qua animæ vltro citroque commeent, portas constituit. Porphyrius: *δύο οὖν ταύτας ἔθεντο πύλας καρκῖνον καὶ αἰγόκερων οἱ θεόλογοι. Πλάτων δὲ δύο στόμια ἔφη. τούτων δὲ καρκῖνον μὲν εἶναι δι' οὗ κατιᾶσιν αἱ ψυχαὶ· αἰγόκερων δὲ δι' οὗ ἀνιᾶσιν.* Sic autem hanc doctrinã Macrobius a Platonicis, quos studiose legerat, acceptam latine expressit in somnio Scipionis lib. I. c. 12: *Zodiacum ita lacteus circulus obliquæ circumflexionis occursu ambiendo complectitur, vt eum, qua duo tropica signa capricornus & cancer feruntur, interſecet. Has solis portas physici vocauerunt, quia in vtraque obuiante solstitio vlterius solis inhibetur accessio, & fit ei regressus ad zonæ viam cuius terminos nunquam relinquit. Per has portas animæ de cælo in terras meare, & de terris in cælum remeare creduntur. Ideo hominum vna, altera deorum vocatur. Hominum cancer, quia per hunc in inferiora descensus est; capricornus deo-*

deorum, quia per illum animæ in propriæ immortalitatis sedem & in deorum numerum reuertuntur. Et hoc est quod Homeri diuina prudentia in antri Ithacensis descriptione significat.

Sed animaduertendum est, ex Porphyrio non recte portam deorum dici eam quæ ad austrum est, vt Macrobius loquitur; non enim dii per eam vadunt, neque hæc eorum via, sed animarum in patriam cælestem redeuntium. Proinde Homerus non θεῶν, sed simpliciter ἀθανάτων, hoc est, immortalium, nempe animarum, iter esse dixit. Hæc igitur mystica earum portarum expositio est, secundum Platonicos: cui, quod ad boreæ & austri denominationem & significationem attinet, firmamentum ab ipsius diuinæ sapientiæ sacris oraculis accedit, quibus austrum semper in bonam accipi partem constat, aquilonem in malam. Quo sensu vsurpat Ecclesiastes cap. 11. *Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Ad quæ verba Hieronymus: *Quantum ego existimo,* (inquit) *semper in bonam partem accipitur auster.* Sequitur hanc regulam Augustinus, & in commentario ad Psalmum 125. ad hunc versum: *conuerte Domine captiuitatem nostram sicut torrens in austro;* austrum exponit Spiritum sanctum. *Gelaueramus* (inquit) *in captiuitate, constringebant nos peccata nostra: flauit auster Spiritus Sanctus, dimissa sunt nobis peccata, soluti sumus a frigore iniquitatis: tanquam*

tanquam glacies in sereno, sic soluuntur peccata nostra. Si auster in bonam partem accipitur, igitur aquilo in malam. Hinc illud in iisdem sacris codicibus: *ab aquilone pandetur omne malum,* item: *ab aquilone exardescent mala super terram.* Et princeps cacodæmonum apud Esaiam dicit: *Sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis.* Ex his igitur patet, quanta sapientiæ profunditate Homerus australem antri Nympharum portam immortalibus assignet, borealem hominibus. Restat igitur vt de olea antri summitatem occupante dicamus.

Proposuimus supra in ea arbore censuram Scaligeri. Primum quidem cur olea potius ibi quam alia arbor: deinde quod oleam *τανύφυλλον* vocet, quæ folia breuia habeat, tametsi non rotunda: his adde hoc ex Porphyrio, cur *ἐπὶ κράτος λιμένος in vertice portus* hanc sitam dicat. Hæc temere in hunc modum ab Homero esse composita non est putandum. Quid igitur? Oleam Mineruæ sacram fuisse vel ex poetis notum est. Minerua autem sapiens supra omnes deas, vel potius ipsamet sapientia dei, vnde e capite Iouis sine matre genitam fabulantur. Hoc sciens poetarum diuinissimus, vt Plato eum passim appellat, oleam in portus vertice ponit, symbolum sapientiæ, qua Deus vniuersum mundum condidit. Porphyrius: *κρατογενοῦς δ᾽ οὔσης τῆς Θεοῦ οἰκεῖον τόπον ὁ θεόλογας ἐξεῦρεν, ἐπὶ κρατὸς τοῦ λιμένος αὐτὴν καθιερώ-*

θιερώσας· σημαίνων δι' ἀυτῆς, ὡς ἐκ ἐξ ἀυταμαλισμȣ̃ τὸ ὅλον τȣ̃το καὶ τύχης ἀλόγȣ ἔργον γέγονεν. id eſt, *Familiarem vero a capite genitæ deæ locum inuenit theologus, in portus vertice hanc dedicans; quo ſignificat, non eſſe hanc rerum vniuerſitatem caſus aut fortunæ opus, ſed naturæ intelligentis ſpecimen & monumentum.* His vaneſcunt ſcrupuli omnes, apparetque conſilium Homeri in ea arbore eligenda, tum quare τανύφυλλον vocet. Quomodo enim non ſolus extenſis ea arbor, quæ ſapientiæ ſymbolum ponatur? Sapientiæ inquam, qua nihil latius patet: omnia enim comprehendit ſapientia; atque, vt in libro Sapientiæ dicitur, attingit a fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.

Sed & propudioſa quorumdam interpretamenta exploduntur, qui iſta imagine antri Nympharum vterum & pudendum muliebre ænigmatice ab Homero deſignatum cenſent: quibus cum opponitur duarum eius antri portarum deſcriptio, eo amentiæ & furoris procedunt, vt ad aduerſæ & auerſæ ſeu poſticæ veneris flagitioſa diuortia confugere non erubeſcant. Adeo impudentes, vt non vereantur poetarum omnium principem, literarum parentem, ingeniorum fontem, ad hæc transferre nefanda. Nempe hoc illis ad extremam vecordiam reſtabat, vt qui rationi humanæ & ſcientiis bellum indixiſſent, literas quoque omnes, infamato

earum

earum principe, quantum in ipsis esset, perderent.

CAPVT XI.

Sibyllæ de seipsa iudicium: an aliquid inter hominem & dæmonem medium.

QUoniam hanc nobis in hisce disceptationibus legem imposuimus, vt nihil quod vsquam apud veteres de Sibylla extet, a nobis alienum putemus, aut inexcussum prætcrire sinamus; huic obsequemur, & quæ ipsa de naturæ suæ conditione siue gradu versibus prodidit, considerandum censemus. Extant hi versus apud Pausaniam in Phocicis, supra a nobis prolati, cum de patria eius ageremus, quam solam tunc in his quærebamus; nunc autem denuo reuocandi in conspectum, ex quibus qualis natura Sibyllæ fuerit, ipsius iudicio contemplemur.

Εἰμὶ δ' ἐγὼ γεγαῦα μέσον θνητοῦ τε θεῶν τε,
Νύμφης δ' ἀθανάτης, πατρὸς δ' αὖ κητοφάγοιο,
Μητρόθεν Ἰδογενής &c.

Ego vero ea sum conditione genita, vt in medio consistam naturæ mortalis & diuinæ: matre quidem Nympha immortali edita, patre autem cetiuoro &c.

Ita

Ita patris Sibyllæ epithetum legunt omnes, & *cetiuorum* interpretantur. Quod non plane absurdum. Verumtamen cum ibi de media inter deum siue dæmonem Sibyllæ natura agatur, non video quid ad eam pertineat victus e cetaceo aquatilium genere potius, quam ex aliis humanis alimentis mentio: nisi forte patris sui obscuritatem indicare voluit, qui solis salsamentis plebeculæ more victitaret; quod, vt dixi, nihil ad rem facit. Quamobrem venit in mentem suspicio, fortasse non rectam esse lectionem in eo epitheto, neque patrem suum Sibyllam *κητοφάγον* appellasse in iis versibus, sed *σιτοφάγον*, vt mortalem fuisse ostenderet; nempe fruge triticoue vescentem: quo genere cibi Homerus Iliad. E. homines ab immortalibus separat:

ῥέε δ᾽ ἄμβροτον αἷμα θεοῖο,
Ἰχὼρ, οἷός πέρ τε ῥέει μακάρεσσι θεοῖσι.
Οὐ γὰρ σῖτον ἔδουσ᾽, οὐ πίνουσ᾽ αἴθοπα οἶνον.
Τοὔνεκ᾽ ἀναίμονές εἰσι καὶ ἀθάνατοι καλέονται.

fluebat autem immortalis deæ sanguis,
Cruor, qualis scilicet fluit beatis diis.
Non enim edunt triticum, neque rubrum vinum bibunt;
Ideo sanguine carent & immortales vocantur.

Sed hæc suspicio est & conjectura. Non porro omittendum, a Proclo hanc ipsam Sibyllæ de seipsa vaticinationem referri in commentario 5. ad Timæum Platonis; verum aliter primum versum concipi, sic nempe:

Εἰμὶ

Εἰμὶ δ' ἐγὼ μέσση τε θεῶν, μέσση τ' ἀνθρώπων.

Sum vero media deorum & hominum.

Quæ mutatio in verbis tantum: fortaſſe quia verborum oblitus, ſatis putauit ſi ſenſum, quibus poſſet, verbis redderet: fortaſſe & Sibylla idem vaticinium vario verborum contextu edidit: vtrumque enim veriſimile.

Patet igitur ex his verbis, putaſſe Sibyllam, ſeſe non purum eſſe hominem, ſed aliquid medium inter homines & deos quam dæmonum eſſe naturam Platonici cenſuerunt. Ergo in numero dæmonum Sibylla. Atqui dæmones non moriuntur, mortua eſt Sibylla: non eadem proinde huius quæ dæmonum natura. Ecce in diſputationem de dæmonibus incidimus, verbis Sibyllæ inducti, vt expendamus, poſſitne Sibylla iis aſſociari ſaluis philoſophorum principiis. Dæmonum quidem naturam in meditullio diuinæ & humanæ eſſe conſtitutam, auctor eſt Plato in Sympoſio: πᾶν τὸ δαιμόνιον (inquit) μεταξύ ἐστι θεοῦ τε καὶ θνητοῦ. Munus autem τὸ ἑρμηνεύειν, καὶ διαπορθμεύειν θεοῖς τὰ παρ' ἀνθρώπων, καὶ ἀνθρώποις τὰ παρὰ θεῶν. id eſt, *interpretum & portitorum officio fungi, hominum apud deos, deorum apud homines.* In Apologia autem Socratis dæmones nothi deorum filii eſſe dicuntur, vel ex Nymphis prognati. δαίμονες θεῶν παῖδές εἰσι νόθοι τινες, ἢ ἐκ Νυμφῶν. Ex his igitur nihil abſurdi ſit, in

dæmo-

dæmonum numero fuiſſe Sibyllam; quæ ſe, vt vidimus, mediam inter deos & homines iactaret, quæ item deorum nuntio & interprete apud homines fungeretur, & vice verſa hominum apud deos: quando mediæ illius naturæ proprium munus eſſe conſtat. Si autem, quod alibi Plato de eadem dæmonum natura prædicat, ſpectemus, longe ab eo aberit Sibylla vt dæmonum coetui adſcribi mereatur; multoque magis ſi de his theologos noſtros audiamus.

Platonis quidem ſententia eſt in Epinomide, quem Platonici ſequuntur, dæmones anima intelligente & corpore conſtare, vt homines & aſtra; verum & animam eorum nobiliorem eſſe humana multoque diuiniorem, vtpote diis propiorem: corpus autem eiusmodi, vt ſpirituale & incorporeum noſtro comparatum dici poſſit. Quippe quod non ex quatuor elementorum nexu ſit concretum, neque ita craſſum & terreſtre, ſed ſimplex ex vno ſingulari elemento: vnde illa diuiſio dæmonum in Epinomide in ætherios, aereos, aqueos. Quibus plures etiam agnoſcit Pſellus in dialogo περὶ ἐνεργείας δαιμόνων, totidem ſcilicet eorum genera quot ſunt mundi elementa. Itaque his quos Plato expreſſit, terreſtres adiungit & ſubterraneos, quos μισοφαεῖς, hoc eſt, *lucifugas* vocat. Quale genus corporum, ſi datur, quantum ab humanis & aliorum animalium differre debeat, nemo non videt. Cæterum Sibyllam non diſſimilem noſtri

corporis

corporis naturam habuisse certum est: quippe quæ more aliorum hominum in ortum processerit, transacto item vitæ tempore communi cunctis animalibus necessitati cesserit, vt post videbimus. Quo vel vno Sibyllam a toto dæmonum ordine esse remotam liquet: non enim dæmones in philosophorum sententia nascendi aut denascendi vices agnoscunt, licet non sint omnino immutabiles: animo namque varios affectus suscipiunt amoris, odii, lætitiæ, ægritudinis, atque etiam iracundiæ, omnem denique, vt Platonicus Apuleius ait in lib. de Deo Socratis, humani animi faciem patiuntur. Quo eos a diis distingui censet. Non ergo in dæmonum numero fuisse Sibyllam ex his constare potest.

Sed fortasse versus illi, quibus se mediam inter deos & homines dicit, non ita accipiendi, vt deorum nomen significet genus distinctum a dæmonibus; naturam videlicet ab omni corporea concretione remotam; sed prout latius sumitur, & ad dæmones extenditur, quos etiam deorum nomine interdum vocari constat, quemadmodum deos vice versa sæpe ab Homero dæmones dici certum est. Quem nominis illius vsum si ibi secutam concedamus Sibyllam, tunc non inter deos & homines, (quod dæmonum est) sed inter dæmones ipsos proprie dictos & homines hanc se mediam voluisse dicemus. Ex quo quæstio quidem non injucunda exoritur de specie humana, num ita sit indiuidua, vt nullam naturæ sub hominis nomine diuisionem admit-

admittat. Quidni enim altiores in specie humana latere differentias credamus siue ad virtutem & præstantiam, siue ad vilitatem & ignominiam? Immanis quidem ingeniorum & morum distantia quemuis non præoccupatum, si non ad credendum, certe ad dubitandum compellat. Verum huic disputationi alium locum destinauimus: hic ne absurda nimis in versu allato Sibyllæ gloriatio videatur, quo se ancipitis inter deos, hoc est dæmones, naturæ esse prædicat; reconditam naturæ rationalis diuisionem, inter Pythagoricæ sectæ arcana habitam, & ab Jamblicho memoratam in libris de vita Pythagoræ, proponam ipsius verbis: ἱστορεῖ δὲ καὶ Ἀριστοτέλης ἐν τοῖς περὶ Πυθαγορικῆς φιλοσοφίας, διαίρεσίν τινα τοιάνδε ὑπὸ τῶν ἀνδρῶν ἐν τοῖς πάνυ ἀπορρήτοις διαφυλάττεσθαι· τοῦ λογικοῦ ζώου τὸ μὲν ἐστὶ θεὸς, τὸ δὲ ἄνθρωπος, τὸ δὲ οἷον Πυθαγόρας. id est, *Proditum ab Aristotele est in libris de philosophia Pythagoræ, quandam huiusmodi diuisionem apud viros ejus sectæ in arcanis conseruari: animal rationis particeps partim est Deus, partim homo, partim qualis Pythagoras.* Quibus verbis aperte tres rationalis gradus ostenduntur: primus in quo Deus, alter qui hominum est, tertius nomine carens, ideo paraphrasi expressus, dum is esse dicitur in quo fuit Pythagoras. Quo declaratur mediæ inter diuinum genus & humanum naturæ fuisse, diis quidem dæmonibusque inferior, homine autem

maior

maior, non hic tantum sed & alii ingenio & virtute eminentes viri; quæ & Sulpitii Galli apud Romanos, Thaletis & Hipparchi apud Græcos, iudice Plinio, præstantia fuit: de quibus sic naturæ ille scriba lib. 2. cap. 12. *Viri ingentes supraque mortalium naturam, tantorum numinum lege deprehensa* &c. & paucis interiectis: *Macti ingenio este cæli interpretes, rerumque naturæ capaces, argumenti repertores quo deos hominesque vicistis.* Rursus libri eiusdem capite 79. de iisdem naturæ interpretibus: *Quantum a Deo tandem videri possunt tales distare, dum viuant?* Quo significat, potuisse tales viros putari deos si mortui non fuissent: quia vero mortui sint, hoc solo cognosci non fuisse deos; sed si non dii, non continuo homines, sed mediæ conditionis inter homines & deos.

Atque hæc hunc in modum Sibyllæ gratia attigisse sufficiat, potius vt quæstionis gustum quendam offeram, quam quod tam paucis difficultatem explicari posse putem. Multa enim vltro citroque dicenda essent, sed quæ aliud tempus postulant. Non tamen illa silentio prætereunda, quibus eadem vates se se ipsa consolatur de hac moriendi necessitate, qua sola diis concedere cogatur. Extant hæc apud Plutarchum in libro toties laudato de Pythiæ oraculis; qui vtinam versus ipsos nobis conseruasset, aut si eos adscripserat, non hac parte codicem vetustas arrosisset. Sed tamen ex iis, quæ ibi Plu-

tarchus Serapionem quendam ex eo carmine recitantem inducit, quo ingenio fuerit Sibylla cognoſci poteſt: ὁ μὲν Σεραπίων ἐμνήσθη τῶν ἐπῶν, ἐν οἷς ὕμνησεν ἑαυτὴν, ὡς οὐδὲ ἀποθανοῦσα λήξει μαντικῆς· ἀλλ' αὐτὴ μὲν ἐν τῇ σελήνῃ περίεισι τὸ καλούμενον Φαινόμενον γενομένη πρόσωπον· τῷ δὲ ἀέρι τὸ πνεῦμα συγκραθὲν, ἐν Φήμαις ἀεὶ φορήσεται καὶ κληδόσιν. Ἐκ δὲ τοῦ σώματος μεταβοσκή-βαλόντος ἐν τῇ γῇ πόας καὶ ὕλης ἀναφυομένης, βοσκήσεται ταύτην ἱερὰ θρέμματα, χρόας τε παντοδαπὰς ἴσχοντα καὶ μορφὰς καὶ ποιότητας ἐπὶ τῶν σπλάγχνων, ἀφ' ὧν αἱ προδηλώσεις ἀνθρώποις τοῦ μέλλοντος. id eſt, *Serapio hic quidem meminit verſuum, quibus ſeipſa celebrat, tanquam vaticinandi munus ne morte quidem ſit depoſitura: ſed ipſa quidem ſuperſtes futura ſit in lunari globo, in eam quæ* Facies *dicitur conuertenda; ſpiritus autem aeri contemperatus vna cum diuinis vocibus & ominibus quoquo verſum diffundi debeat. Ex corpore autem ſuo in terra reſoluto herba ſit pullulatura, quam ſacra pecora paſcantur, vnde colores eorum viſceribus omnifarii, tum aliæ qualitates inducantur, quarum inſpectu homines periti eorum quæ futura ſunt conjecturam capiant.*

Hæc, inquam, aperte declarant quo ingenio fuerit Sibylla, quantos in pectore ſpiritus geſſerit, quantum de diuinandi facultate ſibi inſita gloriaretur, quam ne morte quidem ſua extinctum iri, ſed in aere regnaturam ſemper ac ſuffecturam ad voces diuinas & omina hominum

auribus

auribus immittenda jactaret: sensuram quoq; hanc vim terram, nouaque pabula e corpore suo resoluto parituram, quibus pecudes refectæ opportuna habeant exta diuinationi, clarioraque rerum futurarum signa ostendant. Quæ si poetica leuitate non sunt effutita, immanem arguunt fastum & plane tartareum mulierculæ istius, haud dubie a dæmone animum eius obsidente & tales ei cogitationes immittente profectum: quod adhuc apertius infra ex oraculis eius patebit. Quod autem sic transmittendam suo excessu e vita vim illam fatidicam, qua viuens prædita esset, in elementa vaticinatur, sumptum videtur ex iis quæ de spiritus prophetici translatione & successione memorantur in sacris Ebræorum literis: quæ cum dæmon facta sciret diuinitus in sanctis vatibus, ipse in Sibylla suo modo exprimere voluit, vel certe persuadere populis, talem fore successionem fatidici spiritus Sibyllæ, qualem fuisse quorumdam prophetarum sanctorum in alios meminisset. Vt de Mose scriptum Deuteronomii capite vltimo sub finem vbi de morte Mosis: *Josue vero filius Nun repletus est spiritu sapientiæ, quia Moses posuit super eum manus suas.* Et in quarto Regnorum cap. 2. spiritus Eliæ, dum e terris turbine igneo rapitur in cælum, transit in Eliseum, qui statim vates primarius efficitur, & agnoscitur ab aliis prophetis qui eum adorant. *Videntes autem filii prophetarum qui erant in Jericho, dixerunt: requi-*

euit spiritus Eliæ super Eliseum; & venientes in occursum eius adorauerunt eum proni in terram.

Illud tanto fallacius Sibylla quanto arrogantius, quod velut diuinationis vniuersitatem in se collectam contractamque in ortu accepisset, hanc in mundi elementa morte sua redituram, in lunam, in aerem, in terram, edicit. Et sane summam fuisse Ethnicorum vatem Sibyllam vniuersalem mundanam infra certius patebit.

CAPVT XII.

De altera Sibyllæ vita in lunæ globo. Veterum theologorum de lunæ & animæ natura.

NOn est porro omittendum, quod loco Plutarchi modo laudato eandem S byllam vaticinantem vidimus de sua in lunæ globum post obitum commigratione, ita quidem, vt quam vulgo in eo sidere *faciem* vocant, ipsa efficiatur. Quod sane ad literam acceptum nihil ab anilibus deliramentis insulsas fabulas pueris insusurrantium ad eos consopiendos differre videtur. Scilicet antequam Sibylla rebus humanis vale diceret, non apparebat eiusmodi facies in luna? Qui hoc credit, non video cur non pariter credat, non fuisse lusciniam & hirundinem ante Pandionis Atticæ regis ætatem: in quas aues regis eius filias Procnen & Philomelam trans-

transformatas poetæ conſenſu celebrant. Concoquenda igitur hæc ſunt, & ad ſuccum ſaporemque veri ſenſus, quo animus alatur, meditationis calore redigenda. Vt autem intelligatur, quo hæc de Sibyllæ poſt mortem ſtatu fabuloſe prodita ſpectent, nonnihil breuiter pro inſtituto de lunæ natura dicendum eſt; aliter non poterit quæ ab ipſa ducta eſt allegoria intelligi.

Cum multæ ſint lunæ proprietates ab aſtronomis notatæ, vnam modo attingam omnibus notiſſimam & nihilominus proponendam de officio eius illuminandæ noctis. Quem enim vſum ſol terris præbet interdiu, eundem luna noctu largitur mortalibus lucendo; qua de cauſa Ariſtoteles l.4. de gener. animal. hanc minorem velut ſolem eſſe dicit: hanc etiam ἀνθήλιον dixerunt Græci, teſte Heſychio, qui ἀνθήλιον exponit τὴν σελήνην, quod nomen *vicariam ſolis* ſignificat. Philo Judæus ὑπηρέτην καὶ διάδοχον ἡλίου, *miniſtram ſolis & abſentis vicariam.* Plinius lib. 2. cap. 9. *ſidus in tenebrarum remedium a natura repertum.* Eadem *nouiſſimum* eſt *ſidus terrisque familiariſſimum*, vt Plinius eodem loco dicit; quod & omnes conſenſu confirmant. Vnde limes & confinium eadem cenſetur, quo dirimuntur cæleſtia a caducis, tum etiam vtraque mundi natura committitur. *A luna enim deorſum* (inquit Macrobius lib. 1. cap. 11. in ſomnium Scipionis) *natura incipit caducorum* &c.

Supra autem omnia interitus expertia, Tullio ipſo teſte in eo ſomnio. *In infimo orbe* (inquit) *luna radiis ſolis accenſa conuertitur : infra autem iam nihil eſt niſi mortale & caducum, præter animos generi hominum munere deorum datos: ſupra lunam ſunt æterna omnia.* Tum lunæ, vt mediam par eſt, anceps conditio, & ad vtrumque naturæ ambiguo trahi ſe patitur genus, prout ad alterutram comparatur regionem. Nam terrenis comparata ſidus eſt; ſuperioribus terræ cuiusdam ſpeciem præbet opaci cum perſpicuo mixtura, & lucis indigentia, quam a ſole, velut hæc quam habitamus moles, mutuatur. Quo nomine hanc phyſici *ætheream terram*, auctore Macrobio citato loco, dixerunt. Quod & Plato in Apologia notauit, & Ariſtoteles ſecutus eſt, & qui Ariſtotelem ſecuti: in quibus Auerrois multis locis commentariorum, quæ longum eſſet referre. Ex quo intelligitur, hanc eundem in ſiderum ordine locum eſſe nactam, quam terra obtinet in elementis: nempe vt terra infima eſt elementorum, ſic luna cæleſtium.

Eadem dicitur *femineum ſidus*, non modo quia quicquid in ſe ſplendoris habet a ſole recipit, qua cauſa σελήνην genere feminino Græcis nuncupatam Ammonius notat comment. in lib. περὶ ἑρμηνείας; ſed etiam quia humore, quem remiſſo calore mouet non diſcutit, alit omnia in terris, accedens corpora implet, abſcedens inanit. Quod perennibus & vbique obuiis confe-

confessum experimentis omitto, vt de iis,quæ in ipsa apparent, varietatibus dicam; si tamen dicendum est de re adeo omnibus vsu comperta & vulgata. Illud non tacendum est, maximarum rerum ab iis,quæ in luna apparent, figuris diuersis, sumpta esse argumenta & symbola, ac præcipuas ad sapientiam opportunitates. Nam tam multiformis luna apparet, variasque nobis luminis incremento & decremento Φάσεις ostendit. Hæ mutationes abiere in prouerbium, vt stultus qui mente nunquam consistit mutari vt luna dicatur, quemadmodum in Ebræorum sapientum prouerbiis legimus: immo & sortis humanæ conditio hac imagine deploretur, cum & hanc innumeris mutationibus obnoxiam esse constet. Quamobrem & Ecclesiam in sacris libris eodem lunæ typo adumbratam theologorum doctissimi censent: quando & hæc, dum in terris degit, luminis eius quod a Christo supremo sole suscipit, augmentum & decessiones defectusque, maculas etiam & sordes, in suo lumine haud secus ac luna in suo orbe ostendit.

Ac de his symbolis quæ luna præbet supra naturam philosophantibus, hactenus theologorum indagatio processit: aliam similitudinem non minus nobilem, qua genus propheticum lunæ comparatur, atque etiam non obscuro naturæ fœdere associatur, non viderunt: quam nunc aperire institui, cum ad Sibyllæ considerationem pertineat. Tribus autem potissimum

& hæc analogia & ſimilitudo prophetarum cum luna continetur. Primum eſt luminis diuini, quo vates efficiuntur, influxus in anima humana: quemadmodum enim luna lumen a ſole mutuatur & vires quas in hæc caduca transfundit; ſic anima prophetæ lumen quo futura diſtinguat a'numine recipiat neceſſe eſt, alioqui obſcura horumque ignara penitus manet. Alterum eſt eiusmodi: vt luna nocturnum eſt ſidus, neque honorem aut vim habet niſi in abſentia ſolis; eo enim præſente latet, velut alia aſtra maiori lumine obruta; ſic neque animus vatis quicquam eximium habet aut ſapit, dum ratio viget, & vitæ actiones regit: decedat hæc vis & ſomno aut furore ſoluatur, neceſſe eſt vt diuina accedat, & rerum futurarum ſigna animo imprimat. Hanc etiam ſimilitudinem Philo Judæus in libro de hærede diuinorum his verbis expreſſit: ἕως ἔτι περιλάμπει καὶ περιπολεῖ ἡμῶν ὁ νοῦς, μεσημβρινὸν ὅια φέγγος εἰς πᾶσαν τὴν ψυχὴν ἀναχέων, ἐν ἑαυτοῖς ὄντες οὐ κατεχόμεθα· ἐπειδὰν δ' πρὸς δυσμὰς γένηται, κατὰ τὸ εἰκὸς ἔκστασις καὶ ἡ ἔνθεος ἐπιπίπτει. κατοχωλική τε καὶ μανία. id eſt, *Dum adbuc mens noſtra exerta ac munia ſua obiens, ceu meridianum tota anima lumen diffundit, tamdiu homines ſuæ ſpontis ac ſui compotes nullo impulſu diuino concitantur: poſtquam autem ſol iſte animæ noſtræ ad occaſum venerit, tunc animi alienatio & diuinus incidit furor, quo occupantur prophetæ.* Tertium

um est, confessa omnibus lunæ potestas in humores, quo fit vt euocatis ad caput humoribus atque agitatis, homines furori opportunos efficiat: si præsertim radiatio accedat Saturni, cuius dominio atra bilis insaniæ parens subiecta est. Comitiales lunæ maleficio prosterni ac furere in confesso est: sunt autem comitiales melancholicis affines, procliui & mutuo vnius morbi in alterum transitu; Hippocrate auctore in sexto popularium morborum. Nam & morbum magnum vel sacrum (ita ille, qui vulgo Græcis ἐπιληψία vocatur, apppellat) superueniente mania siue furore terminari, in secundo eorumdem librorum docet. Cæterum & hos & illos dæmonum ludibriis esse opportunos, antiquis persuasum fuit: vulgus etiam qui morbo caduco implicarentur, alicuius peccati in Dianam, hoc est, lunam admissi dare pœnas arbitrabantur. Aretæus libro primo χρονίων παθῶν cap. de morbo comitiali: ἀλλὰ καὶ ἄδοξος ἡ ξυμμορφη. δοκέει γὰρ τοῖσιν ἐς τὴν σελήνην ἀλιτροῖσι ἀφικνεῖσθαι ἡ νοῦσος. Quod etiam Sophocles hoc versu testatur:

ἦ ῥά σε ταυροπόλα Διὸς Ἄρτεμις ὥρμησεν ἐπὶ βοῦς.

Ad quem versum Scholiastes notat: τοὺς πολλοὺς γὰρ τῶν μαινομένων ἐκ σελήνης νοσεῖν ὑποτίθενται, διὰ τὸ νυκτερινῶν δεσπόζειν φασμάτων. id est, *Plerosque enim furentium ex luna ægrotare existimant: propterea quod luna nocturnis dæmonum apparitionibus & spectris dominatur.*

tur. Subſcribit Georgius Venetus & explicat in problematis ſect. 10. probl. 442. *Cur aliqui vexantur a luna? Nonne quia ille planeta terreus, frigidus, atque ſiccus contrariatur* (ita ille Scholaſticorum licentia loquitur) *naturæ, quæ diligit calidum & humidum. Quod potiſſimum euenit quando luna irradiatur a Saturno atram bilem conſtipante: adeo vt præparetur ſedes malo dæmoni, qui agitat corpus agitatis iam humoribus a lunæ reuolutione. Vnde tunc homini ſic male diſpoſito occurrit malus dæmon vexans ipſum & torquens.* Hæc ille auctor, qui qua ratione lunam contra omnium aliorum ſententiam ſiccam dicat, equidem neſcio, nec ſcire laboro. Tales olim *lunaticos* dictos, Græcis σεληνιαζομένους, etiam Matthæo cap. 4. & 17. reperio. Horum & meminit Firmicus Aſtronom. lib. 4. cap. 7. vbi de lunæ a Mercurio defluxu ad alios planetas. *Si vero* (inquit) *a Mercurio per diem defluens luna, minuta lumine ad Saturnum feratur, faciet mendicos, pauperes, pannis obſitos, & miſera egeſtatis calamitate demerſos; alios ſeruire in templis facit, alios vero vagari compellit. Facit plerumque lunaticos, aut ſacrarum valetudinum vitiis oppreſſos, caducos quoque ac miſera commotione dementes.* Vbi *ſacras valetudines* interpretor raptus & ἐκστάσεις ab afflatu diuino & lymphationes. Quarum e claſſe cur caducos excludat, non video: cum maxime hunc morbum qui caducus & comitialis dicitur, priſcis

priſcis ſacrum habitum & nominatum conſtet. Certe Valleſius de ſacra philoſophia cap. 71. comitiales etiam & maniacos eadem appellatione intelligi cenſet; vbi locum illum Matthæi expendit: *Domine miſerere filio meo qui lunaticus eſt, & male patitur: nam ſæpe cadit in ignem, & crebro in aquam.* Valleſius: *Ex his verbis conſtat, haud dubie epilepticos dici lunaticos: conſtat quoque ex multis veterum locis, & ex communi hominum ſententia, lunaticos vocari maniacos.* Et hoc, vt dixi, quia luna humores agitat, maxime quo tempore pleno lumine fulget. Quanquam non omnes eodem lunæ ſtatu moueri conſtat: magis enim in plenilunio qui bilioſis & crudis abundant ſuccis, quales ſane melancholici, item comitiales ex atra bile; eiusdem autem ſideris deliquio, qui pituitæ aut crudorum humorum vitio ad eos affectus procliues ſunt; eodem Valleſio auctore. Sed de his hactenus.

Ex his patet ratio eius vaticinii, quo Sibylla dicit, ſibi ſedem in luna paratam poſt mortem, vt ſupra allato Plutarchi loco vidimus: quamobrem item Theſpeſius quidam apud eundem Plutarchum in libro de ſera Numinis vindicta, ex ſomnio quod in Trophonii antro viderat, Sibyllam e lunæ globo de morbo & morte Veſpaſiani Cæſaris vaticinantem audiuiſſe dicatur. Siue eiusmodi ſomnium vere homini illi contigit, ſiue ipſe finxit ſe vidiſſe, ſiue alii de ipſo fabulati. Quicquid ſit, non huius mentio-

mentionem fecisset Plutarchus, nisi tali somnio vel figmento aliquam in natura subesse rationem putasset. Plutarchi verba hæc sunt: ἀλλ᾽ ἤκȣε παρμὼν φωνὴν ὀξεῖαν γυναικὸς ἐν μέτρῳ φράζȣσαν ἄλλα τέ τινα, καὶ χρόνον (ὡς ἔοικε) τῆς ἐκείνȣ τελευτῆς. ἔλεγε ἢ ὁ δαίμων, τὴν φωνὴν εἶναι Σιβύλλης, ᾄδειν γδ̓ αὐτὴν περὶ τῶν μελλόντων, ἐν τῷ προσώπῳ τῆς σελήνης περιφερομένην. βȣλόμενος ȣ̓ν ἀκροᾶσθαι πλείονα, τῇ ῥύμῃ τῆς σελήνης εἰς τȣ̓ναντίον, ὥσπερ ἐν ταῖς δίναις ἐξεώσθη, καὶ βραχέα κατήκȣσεν· ὧν ἦν καὶ τὸ περὶ τὸ Ουεσȣ́ιον ὄρος καὶ τὴν Δικαιαρχείαν ὑπὸ πυρὸς φορᾶ γενησόμενον· καί τι κομμάτιον περὶ τȣ̃ τότε ἡγεμόνος, ὡς ἐσθλὸς ἐὼν νόσῳ τυραννίδα λείψει. id est, *Sed præteriens* (anima Thespesii) *acutam vocem mulieris audiit, versu cum alia quædam renunciantis, tum & tempus, vt apparuit, quo ipse obiturus esset. Hanc autem Sibyllæ esse vocem dæmon indicauit: nimirum hanc, dum in lunæ facie circumfertur, de iis quæ sunt euentura canere. Cum autem plura audire vellet, quo minus posset, rapida lunæ vertigo obstitit, cuius violentia in partem aduersam est abreptus. Quo factum vt paucula quædam dumtaxat ei audire licuerit. Ex quibus de Vesuuio monte & Puteolis, tum de imminente clade ab igne inde erupturo. Præterea breue quiddam de imperatore qui tum regnaret, quod cum bonus princeps esset, non ferro vt alii, sed morbo imperium relicturus esset.* Nec vero ex hoc somnio tantum apparet id quod dixi

de

de vatum agnatione ad lunam; ſed & Plutarchus ipſe, priſcorum theologiam ſecutus, præſidentes vaticiniis dæmones in eo ſidere tanquam in apto & familiari domicilio collocat, qui inde euocati deſcendant huc ad loca oraculis nobilitata, eorum quæ ibi geruntur curam ſuſcepturi. *οὐκ ἀεὶ διατρίβουσιν ἐπ' αὐτῆς (σελήνης) οἱ δαίμονες, ἀλλὰ χρηστηρίων δεῦρο κατίασιν ἐπιμελησόμενοι.* Aliquot deinde eorum geniorum ceu familias & ſodalitia nominat, tum etiam loca in quibus maxime vim ſuam oſtendere ſolerent: Idæos Dactylos in Creta; Corybantes in Phrygia; Trophoniadas in Lebadia Bœotiæ. Cur autem anima Sibyllæ non ſimpliciter in luna, ſed proprie *ἐν τῷ προσώπῳ σελήνης*, *in facie lunæ* eſſe dicatur, non immerito aliquis requirat. Age & iſtuc quicquid eſt arcani ex his literis effodere tentabo, quando in hæc auia Muſarum loca nullius ante trita ſolo diuertere placuit.

CAPVT XIII.

De facie Lunæ: & quid Sibyllæ cum eo meteoro.

QUam in luna Græci *faciem* (hoc enim vox *πρόσωπον* ſonat) dixere, nihil eſſe aliud quam partium opacarum cum luminoſis quandam mixturam & diſpoſitionem ſatis conſtat. De cauſa quæ hanc varietatem facit litigant

gant philosophi, quorum opiniones videre est apud Plutarchum in secundo de placitis philosophorum, & in libro de facie in orbe lunæ. Quidam lunæ naturam minus sinceram esse opinati sunt, ideoque maculosam videri, quod ex partibus partim perspicuis & igneis, partim opacis & terreis concreuerit; quæ fuisse videtur Anaxagoræ sententia apud Plutarchum citato loco: lunam talem apparere διὰ τὴν ἀνωμαλότητα τοῦ συγκρίματος διὰ τὸ ψυχρομιγὲς ἅμα καὶ γεῶδες· παραμεμίχθαι γὰρ τῷ πυρωειδεῖ τὸ ζοφῶδες, *propter concretionis disparilitatem; in qua multum est frigidi & terrei admixtum: igneis enim & luminosis partibus tenebrosi multum esse interpositum.* Quam opinionem Stoici amplexi pariter in luna τὸ ἑτεροειδὲς τῆς οὐσίας *substantiæ diuersitatem* agnouerunt: vno verbo, μὴ εἶναι αὐτῆς ἀκήρατον τὸ σύγκριμα. Ad quos mihi respexisse Philo Ebræus videtur, cum in lib. de insomniis sic de lunæ natura philosophatur: λέγεται γοῦν, ὅτι σελήνη πίλημα μὲν ἀκήρατον αἰθέρος οὐκ ἔστιν, ὡς ἕκαστος τῶν ἄλλων ἀστέρων. κρᾶμα δὲ ἔκ τε αἰθερώδους καὶ ἀερώδους οὐσίας, καὶ τό γε ἐμφερόμενον αὐτῇ μέλαν, ὃ καλοῦσί τινες πρόσωπον, οὐδὲν ἄλλο εἶναι ἢ τὸν ἀναμεμιγμένον ἀέρα; ὃς κατὰ φύσιν μέλας ὤν, ἄχρις οὐρανοῦ τείνεται. id est; *Sunt certe qui dicant, lunam non esse globum puri ætheris, vt cætera sidera, sed mixtum ex æthere aereque; & apparentem in ea nigredinem, quam nonnulli vocant faciem, nihil aliud esse, quam*

quam admixtum aerem, qui ſuapte natura vſque ad cælum tenditur.

Cæterum non mihi facile aliquis perſuadebit, naturam lunæ ex diuerſis eſſe coagmentatam, velut corpora illa quæ mixta proprie dicuntur: quod ſi ita eſſet, non minus iis diſſolutioni obnoxiam eſſe oporteret, neque eſſet cur cæleſtibus potius quam caducis aggregaretur. Quemadmodum neque iis facile acceſſerim, qui eandem lunæ quæ noſtræ terræ naturam putant: in ea eſſe montes, & depreſſas conualles, lucos, maria, & cætera quæ apud nos reperiuntur. Quin habere & hanc ſuos habitatores, animantia multo his nobis cognitis pulchriora, eius virtutis quæ ſit quintupla & decupla eius quam noſtratia animalia oſtendunt, ex Pythagora citato loco refert Plutarchus. Tametſi Ariſtoteles ſuos lunæ eſſe incolas alicubi agnoſcere videtur: & Platonem in Phædone, ſub finem dialogi, ea quam Socrates celebrat ſuperiore terra & cælo contigua, earum quæ in luna ſunt regionum varietatem per modum fabulæ adumbraſſe cenſet Plutarchus; in quibus plagis omnia quæ apud nos ſunt, atque adeo animalia, multo præſtantiora haberi dicuntur. Sed profecto potior mihi videtur eorum ſententia, qui allegorice hæc a Platone in hunc modum compoſita arbitrantur; quos & Origenes ſequitur in ſeptimo eorum librorum quos contra Celſum edidit.

De

De ſideris autem huius natura & facie omnino ſentiendum eſt, vt Ariſtoteles nobis propoſuit, ſi ſapere volumus: non vlla diuerſorum mixtione ea maculas effici, ſed quadam cæleſtis naturæ in luna degenerantis defectione atque, vt ita dicam, detrimento, quod hæc minus in ſe eius perfectionis habeat quam alia aſtra; vtpote ab eo quod in eo genere perfectiſſimum eſt remotior, terris autem propinquior & caducis confinis. Itaque non ſolum in lucis participandæ gradu inferior aliis ſtellis deprehenditur; quam non ſibi inſitam & vernaculam nacta eſt, verum aliunde accipit; ſed etiam in figura. Cum enim communis omnium ſiderum & elementorum figura hæc ſit, quam omnium eſſe nobilisſimam conſtat, nempe orbicularis, non tamen ita exactam luna hanc figuram, atque alia ſupra eam ſita aſtra, habere potuit: quemadmodum neque terræ moles adeo æqualis eſt rotunditatis, atque alia elementa. Proinde vt in terra ſic in luna eſſe inæqualitates perquam naturæ ordini conſentaneum eſt. Qua de cauſa lunam quandam in cæleſti natura terræ ſimilitudinem atque rationem præ ſe ferre cenſuit Ariſtoteles, vt variis ſuorum commentariorum locis Auerrois teſtatur. Eadem igitur naturæ lege factum putandum eſt, vt nunquam luna lumen ſolis omni ex parte æqualiter recipere valeat; quod eius partes non eodem modo ſe habeant ad ſolem, ſed quædam lumen

melius

melius conceptum repercutiant, nempe densiores, aliæ, licet non ita raræ vt penitus transmittant, rariores tamen sint quàm vt valeant ad nostrum obtutum repercutere; quo fit vt quandam nigroris & obscuritatis speciem eminus conspicientibus præbeant. Ita ex hac laxiorum partium cum spissioribus dispositione & contextu emersit nobis facies illa in globo lunæ, quam prisci illi sapientes Sibyllinæ proprietatis symbolum atque imaginem esse voluerunt. Quo similitudinis fundamento, nunc explicandum est.

Quemadmodum igitur luna, vt modo ostensum est, non per totius globi compagem solis lumen concipit, sic neque mens Sibyllæ (eadem ratio est aliarum vatum) tota numinis afflantis luce exsplendet, sed ei cognitioni quam recipit rerum futurarum non paucæ maculæ & nubila interponuntur, (ita appello ambages & ænigmata, quibus oraculorum veritas infuscatur) vt etiam Maro his versibus testatur:

Talibus ex adyto dictis Cumæa Sibylla
Horrendas canit ambages, antroque remugit,
Obscuris vera inuoluens.

Quod adeo proprium oraculorum, vt eo sublato non amplius oraculum censeatur. Vnde Græcis λοξίας Apollo dictus ab verborum obliquitate & ambagibus: quo etiam epitheto vsus Aristophanes in Pluto. Non quod Deus consulto luci, quam animæ infundit, nubes & caligi-

nem misceat, & negotium vltro hominibus facessat, vt Hieronymus exponit lib. 14. in Ezech. cap. 45. *multa*, inquiens, *dicuntur in parabolis & ænigmatibus, vt qui habet aures audiendi audiat: omnisque propheta in obscuritate continet veritatem, vt discipuli intrinsecus audiant; vulgus ignobile & foris positum nesciat quid dicatur.* Quod perinde est ac si quis imaginum perplexitatem, quæ in nonnullis speculis apparet, non ipsis sed formæ eius, qui se in illis intuetur, imputet; aut colores nubium, atque adeo arcus cælestis, aut vmbras corporum, lumini ipsi adscribat. Multo melior est Plutarchi interpretatio, qui naturæ animi humani id adscribit, qui nihil sine phantasia cognoscit. Huic vim suam accommodat Deus, velut alia agentia materiæ, quam informant, conditioni. Ita neque is proxime menti absque medio rerum futurarum notiones imprimit, sed interuentu imaginum phantasiæ, prout fert natura & captus animi humani. Cæterum eæ imagines aut iis quæ cognoscuntur ad amussim congruunt, aut cum aliqua permutatione, qua vna res per alterius speciem insinuetur, vt fit in allegoriis & ænigmatis. Horum proinde modorum alterutro Deus futura vatibus significet necesse est. Atqui non priore modo: qui eorum tantum cognitioni conuenit, quæ consueta & naturali via sensuum & rationis occulta ex notis venantis comparatur. Superest igitur

igitur vt altero modo, per ſpecies quidem imaginationis, ſed paulum permutatas, & a propriis rebus ad peregrinas quadam proportione atque ſimilitudine detortas. Qui modus poſterior conuenit animæ præter omnem rationis coniecturam emergenti in lumine diuino ad cognitionem rerum futurarum. Non quod Deus non poſſit, ſi velit, citra ambages & figuras indere alicui notiones claras, quibus futura præſentiat; vt cum Moſi ore ad os loquebatur, hoc eſt, menti illius ſeſe nullius rei interuentu ingerebat; ſed quia minus, vt dixi, is modus veritatis adipiſcendæ congruens animæ humanæ.

Hoc probe intelligens Plutarchus in libro de Pythiæ oraculis, in quo diſputat cur Pythia amplius reſponſa verſibus non daret, eam vatem (eadem ratio eſt Sibyllæ, eadem cæterorum vaticinantium) ſic ſe habere ad Deum dicit, vt inſtrumentum quod magis accommodatum ſit opifici, magisque ei obediens, quam luna eſt ſoli ad luminis vices & transmiſſionem in terras tempore noctis, ne noctes omnino munere tanto, quale eſt lumen, careant. Et tamen (inquit) idem lumini in lunæ globum incidenti euenit, quod imaginibus iis quas ſpecula varie ad oculos remittunt, prout inter ſe conformatione differunt: aliter namq; eandem imaginem reddit bene plana & æqualis ſpeculi ſuperficies, aliter conuexa, aliter concaua. Eodem modo de luna exiſtimandum cenſet; eam nem-

pe, tametsi ad id factam vt solis in se imaginem recipiat & terris ad tenebrarum solatium remittat, non tamen qualem a sole lucem recipit transmittere, sed multa propriæ substantiæ inæqualitate mutatam. Verba magni scriptoris, quibus hanc comparationem proponit, tametsi insigniter corrupta, vt in vulgatis extant codicibus, referam, quia sine manuscriptis libris, quæ a me procul, restitui non possunt: *οὐθὲν οὔτε μᾶλλον ἰδέαν ἔοικε, οὔτε ὡς ὄργανον χρῆσθαι φύσει γέγονεν εὐπειθέστερον σελήνης. λαμβάνουσα δὲ πυρ' ἡλίου τὸ λαμπρὸν καὶ πυρωτὸν, οὐχ' ὅμοιον ἀποπέμπει πρὸς ἡμᾶς, ἀλλὰ μιχθὲν αὐτῇ καὶ χρόαν μετέβαλε καὶ δύναμιν ἔχεν ἑτέραν· ἡ δὲ θερμότης καὶ παντάπασιν ἐξοίχεται καὶ προλέλοιπε τὸ φῶς ὑπὸ ἀσθενείας.* Atque hæc recte Plutarchus de solis luce degenerante in globo lunæ: nisi quod non recte dicit, destitui omni calore lumen illud quod luna a sole in terram reflectit. Hoc enim falsum esse experientia docet, & ex ipsa Aristoteles lib. 4. de partibus, nempe *ἐν πανσελήνοις ἀλεεινοτέρας εἶναι τὰς νύκτας διὰ τὸ φῶς τῆς σελήνης, noctes esse tepidiores in pleniluniis propter lumen lunæ.* Qua ratione idem in lib. 4. de generat. animal. lunam ceu alterum esse solem minorem censet. Sed hæc in transcursu, nunc ad rem.

Consequens est, vt ad hanc Sibyllæ cum luna comparationem & similitudinem vtriusque amplius declarandam exemplis ostendamus, quemadmo-

admodum & lumen illud cæleſte, quo Deus vatum animam colluſtrat, in vnoquoque eorum degeneret, ac varias aſſumat notiones atque eloquendi formas, prout in hominibus ingenia & mores variant. Vnde autem potius ſermonis eius argumentum & demonſtrationem petam, quam ab Hieronymo, latinorum Patrum doctiſſimo? Quæ igitur hic initio expoſitionis, quam in librum Amos prophetæ edidit, notat ad hæc verba: *Dominus de Sion rugiet*: ſubiungere haud grauabor. *Naturale eſt vt omnes artifices ſuæ artis loquantur exemplis, & vnusquisque in quo ſtudio triuit ætatem illius ſimilitudinem proferat. Verbi gratia, qui nauta eſt & gubernator, triſtitiam ſuam comparat tempeſtati, damnum naufragium vocat, inimicos ſuos ventos contrarios appellat; rurſum proſperitatem & lætitiam auram placidiſſimam & ſecundos nominat ventos, tranquilla maria & æquora campi ſimilia. E regione miles quicquid dixerit, ſcutum, gladium, loricam, galeam, lanceam, arcum, ſagittam, mortem, vulnus & victoriam ſonat. In ore philoſophorum ſemper Socrates & Plato, Xenophon & Theophraſtus, Zeno & Ariſtoteles, Stoici verſantur & Peripatetici. Oratores Lyſiam & Hyperidem, Periclem & Demoſthenem, Gracchos, Catones, Tullios & Hortenſios in cælum laudibus ferunt. Poetæ, ſi epici ſunt, Homerum atque Virgilium, ſi Lyrici, Pindarum & Flaccum crebro ſermone celebrant. Cur hæc dicta ſunt? vt*

ſcilicet oſtendamus, etiam Amos prophetam, qui paſtor de paſtoribus fuit, & paſtor non in locis cultis & arboribus ac vineis conſitis, aut certe inter ſiluas & prata virentia, ſed in lata eremi vaſtitate, in qua verſatur leonum feritas, & interfectio pecorum, artis ſuæ vſum eſſe ſermonibus, vt vocem Domini terribilem atque metuendam, rugitum leonum & fremitum nominaret: euerſionem Iſraeliticarum vrbium paſtorum ſolitudini & ariditati montium comparans: Dominus, inquit, de Sion rugiet &c. Et in prooemio addit de imperitia eius quod ad ſtylum attinet: *Ex hoc numero paſtorum & Amos propheta fuit, imperitus ſermone ſed non ſcientia.* Idem enim qui per omnes prophetas in eo Spiritus Sanctus loquebatur. Vt igitur lumen ſolis in luna, ſic Spiritus Dei in animis vatum modificatur, naturisque diuerſis ſe accommodat: in his eloquentius & fortius ſonat, in aliis agreſtius, cæterasque humanitatis differentias induit, auctore Hieronymo.

Multa & Plutarchus dicto loco habet in eandem ſententiam: qui etiam numinis afflatum, quem Græci ἐνθουσιασμὸν vocant, vino comparat, & Chæremonis affert ſententiam, qua dicit vinum moribus bibentium obſequi atque attemperari: ὁ μὲν γὰρ οἶνος, ὡς ἔλεγε Χαιρήμων, τοῖς τρόποις κεράννυται τῶν πινόντων· ὁ δὲ μαντικὸς ἐνθουσιασμὸς, ὥσπερ ὁ ἐρωτικὸς, χρῆται τῇ ὑποκειμένῃ δυνάμει, καὶ κινεῖ τῶν δεξαμένων ἕκαστον καθ᾽ ὃ πέφυκεν. id eſt, *Etenim vinum,*

vt

vt Chæremon dicebat, in mores bibentium transit: nec secius fatidicus furor, quemadmodum & amatorius, subiecta animi potestate vtitur, & vnumquemque vt natura est aptus mouet. Cum igitur multa afferri possint, quibus vatum indoles & respectus ad vim diuinam adumbretur, nullam tamen constat huius societatis & diuinæ operationis nobiliorem esse similitudinem hac quæ a luna ducitur, in illo Thespesii somno expressam. Quam paulo latius explicare visum est, vt intelligatur, non de nihilo fingi Sibyllam in facie lunæ adhuc vaticinantem: & quia viri docti, cum varias a lunæ natura sumptas similitudines in suis hieroglyphicis traderent, hanc nescio quomodo silentio præterierunt.

CAPVT XIV.

De Sibyllæ cultu, sepulchro & epitaphio. Auctorum in his dissensio.

ADdam & de Sibyllæ cultu, sepulchro, & carmine illi inscripto quæ potui reperire. In his statim occurrit illud ex sæpius jam citato Aristotelis libro, de duplici cognomento Sibyllæ Erythrææ in Italia: *οὖσαν μὲν Ἐρυθραίαν, ὑπό τινων Μελάγχραιναν καλουμένην.* Quid sit enim *μελάγχραινα* non intelligo: dictio nihili, pro qua legendum sine dubio est *μελάγχλαινα*,

elementi vnius mutatione. Eſt autem compoſitum nomen ex *μέλας*, quod *nigrum* ſignificat, & *χλαῖνα*, qua vſus Moſchus in epitaphio Bionis:

καὶ σάτυροι μύροντο, μελάγχλαινοί τε πρίηποι.

Quam plane veram eſſe lectionem res ipſa probat. Erat enim *χλαῖνα* antiquis craſſioris veſtis genus, aliis ſuperiniici ſolitum, ideoque hiemi accommodatum: vt ex prouerbio colligitur in eos qui rebus neceſſariis tempore alieno abutuntur: *ἐν θέρει τὴν χλαῖναν κατατρίβεις*, *æſtate lænam conteris*: nam & Latini græcam vocem vno elemento detracto in vſum traxerunt, pro *χλαίνα* *lænam* dicentes. Hanc diuites ad cœnam prodeuntes purpuream geſtabant: quo illud ſpectat Iuuenalis Sat. 3.

caueт hunc, quem coccina læna
Vitari iubet, & comitum longiſſimus ordo.

Plebeii autem homines, item remoti a faſtu, & in ſeceſſu viuentes, pulla aut nigra vtebantur. Qualem & monachorum veſtitum ſuo tempore fuiſſe teſtatur Eunapius in Ædeſio, ſed non absque morſu virulento, vt ethnicus: *τυραννικὴν γὰρ εἶχεν ἐξουσίαν τότε πᾶς ἄνθρωπος μέλαιναν φορῶν ἐσθῆτα, καὶ δημοσίᾳ βουλόμενος ἀσχημονεῖν. tunc enim tyrannicam habuit poteſtatem quisquis nigra veſte indutus eſſet, & indecorum habitum publice profiteri vellet.* Vbi *μέλαιναν ἐσθῆτα* intellige *μέλαιναν χλαῖναν*. Læna igitur & nigra vſam fuiſſe Sibyllam id cognomen indicat, quo hanc homines illius temporis

poris designarunt, vt alieno a sexu vestis genere insignem: non videtur enim læna mulierum fuisse, sed virorum. Quod Justinus Martyr parum aduertens in Admonitorio ad Græcos στολὴν ei tribuit.

Aliud de cultu Sibyllæ quod dicam non habeo; nisi quod Constantinus Cæsar apud Eusebium de diademate, quod cum Apolline cui seruiebat commune gerebat, tradit: ἱέρεια ἦν τοῦ Ἀπόλλωνος, διάδημα ὁμοίως τῷ θρησκευομένῳ ὑπ' αὐτῆς Θεῷ φοροῦσα. id est, *Sacerdos erat Apollinis, diadema quale Deus quem colebat ferens.* Hoc diadema corona fuit ex lauro, solenne vatum ornamentum, quos hac causa δαφνηφάγους vocat Lycophron in Alexandra; non enim quia laurum vorabant, vt Ronsardus noster accepit, & plerique omnes exponunt, sed quod illis quæstus & victus ex vaticinio esset, cuius argumentum & symbolum fuit laurus. Ita Tzetzes id epithetum explanat.

Quod ad sepulchrum autem eius attinet & epitaphium; quo in loco, vt primum id exequar, obierit, & sepulta fuerit, non conuenit inter auctores: nec mirum, quando neque de loco natali. Justinus Martyr Cumis vita functam & conditam credidit, quod se ab eius vrbis ciuibus, cum in Italia esset, accepisse dicit, sibi etiam loculum, in quo eius reliquiæ positæ essent, monstratum refert in Parænetico jam sæpius

laudato: *ἀυτοὶ γὰρ ἐν τῇ πόλει γενόμενοι παρὰ τῶν περιηγητῶν μεμαθήκαμεν, τῶν καὶ τοὺς τόπους ἐν οἷς ἐχρησμῴδει, ἡμῖν ὑποδειξάντων, καὶ φακόν τινα ἐκ χαλκοῦ κατεσκευασμένον, ἐν ᾧ τὰ λείψανα ἀυτῆς σώζεσθαι ἔλεγον. Ipsi enim cum in ea vrbe essemus, ab iis qui hospites ad quæque visenda deducere solent didicimus, qui etiam nobis ostenderunt loca in quibus vaticinaretur, tum etiam loculum quendam lentis forma ex ære, in quo reliquias eius custodiri dicebant.* Suffragatur Trimalcio apud Petronium: *Nam Sibyllam* (inquit) *Cumis ego ipse oculis meis vidi in ampulla pendere; & cum illi pueri dicerent, Sibylla ti theleis? respondebat illa, apothanin thelo.* Suffragatur, inquam: quia licet nouum, inauditum & friuolum est quod de ampulla dicit, in qua Cumis Sibylla pendebat; & de pueris illam, quid vellet, interrogantibus; tum illa vicissim respondente: velle se mori; occasionem tamen mimico spectaculo hinc præbitam apparet, quod Cumis sepultam esse Sibyllam vulgo persuasum esset. Nam & diu in eo antro, quod Cumis habebat, corpore ad extremam tabem prope absumpto, vitam in vnius vocis vsu retinuisse dicitur, quemadmodum supra ex Seruii ad sextum Æneid. commentario ostendimus. Pausanias autem hanc in Troade extinctam longo æuo, sepultamque in luco Apollinis, cognomento Sminthei, cuius æditua fuisset, tradit: sepul-

ſepulchrum etiam illi extructum operis eximii. Huic namque ad dextram appoſita erat Mercurii ſtatua ex lapide artificioſe exſculpta, figura, vt mos fuit, quadrangulari; ad læuam Nympharum ſigna ex eadem materia, fonſque inibi iugi aquæ ſtrepitu in conceptaculum defluens. Tanta eſt auctorum de loco, in quo ſepulta fuit Sibylla, diſſenſio. Neque id ſane mirandum in rebus tam vetuſtis & remotis. Duorum autem alterutrum non abſurde dici poteſt: aut ſcilicet Sibyllam multo quidem tempore Cumis vſque ad ſenectutem vixiſſe, non tamen ibi ſed Erythris loco natali defunctam, in quem locum patriæ deſiderio, vt eſt ingenium humanum, reuertiſſet: quod ſi recipimus, narratio Juſtini & aliorum traditio plane ad nihilum redit; vel ſi Cumis conditam magis placet, Pauſaniæ memoratum illud monumentum, quod in Troade habuit, ad memoriam tantum & ſpeciem eidem a ciuibus poſitum dicemus: nempe cenotaphium potius quam verum ſepulchrum, dum plures ciuitates ſibi certatim, vt ſupra oſtendimus, Sibyllam vindicant. Quorum vtrum ſit veriſimilius vnicuique liberum eſto iudicium. Elegos quidem, quos in columna ſepulchri inciſos fuiſſe refert Pauſanias, quos & nobis legendos exhibet in Phocicis, omittere, cum ſint elegantiſſimi, in longa præſertim & accurata de Sibyllæ rebus diſquiſitione, peccatum eſſet maximum

mum in Musas, quarum & sacerdos fuit. Hos igitur in libri huius calce adscribere visum est:

Ἁ δ᾽ ἐγὼ ἁ Φοίβοιο σαφηγορὶς εἰμὶ Σίβυλλα,
τῷδ᾽ ὑπὸ λαϊνέῳ σήματι πυθομένα.
Παρθένος αὐδάεσσα τὸ πρὶν, νῦν δ᾽ αἰὲν ἄναυδος,
Μοίρᾳ ὑπὸ στιβαρῇ τήνδε λαχοῦσα πέδην.
Ἀλλὰ πέλας Νύμφαισι καὶ Ἑρμῇ τῷδ᾽ ὑπόκειμαι,
Μοῖραν ἔχουσ᾽ Ἑκάτῳ τῆς τότ᾽ ἀνακτορίης.

Apponam & latinam eorumdem interpretationem ex Romuli Amasæi sententia, eorum in gratiam qui græca assequi non possunt:

Illa ego sum Phœbi interpres non vana Sibylla,
Hic quæ marmoreo contineor tumulo.
Vocalis quondam, æternum nunc muta puella,
Heu! nimis hac fati compede pressa graui.
Mercurio tamen & Nymphis sociata quiesco:
Phœbo quod fuerim grata, ferens pretium.



PETRI

PETRI PETITI

Philoſophi, & Doctoris medici,

DE

SIBYLLA

LIBER TERTIVS.

De Sibyllinæ diuinationis proprietate & oraculis.



PRÆFATIO.

Superioribus libris vnam tantum fuiſſe Sibyllam oſtendimus, ingenium eius, mores, longum æuum, patriam, antra, peregrinationes e veterum monumentis eruimus, quorum pleraque illi cum aliis fatidicis feminis communia eſſe potuerunt; nunc hocce in libro, quod magis illi proprium & vernaculum explicare aggredior: qualis ſcilicet fuerit eius diuinatio, quoue charactere ab aliorum vatum facultate ſecerni poſſit; cuius rei ignorantia factum puto, vt pro vna examen nobis Sibyllarum exoriretur.

Idque

Idque eo impensius nunc elaborandum est, quod initio eius rei explicationem polliciti sumus, cum auctorum testimoniis vnam fuisse Sibyllam probaremus. Profecto enim ex hac potissimum, quam hic inimus, disputatione doctrinæ illius alioqui παραδοξοτάτης confirmatio pendet. Exinde ad oracula veniemus, quibus creditur prædixisse de Christi Domini aduentu & rebus; & quid de his sentiendum videatur aperiam. Principium autem disputationis, quid inter Sibyllam & Pythiam aliosque vates intersit palam facere. Hoc igitur Numinis freti ope agamus.

CAPVT I.

Non eundem fuisse diuinandi modum, quo Sibylla vsa est, & quo Pythia Apollinis sacerdos & alii vates, ostenditur.

VT fere in aliis euenit, vt vltimæ & specificæ, vt loquuntur, differentiæ lateant, eoque a paucis perspici possint: sic & quæ Sibyllam ab aliis vatibus discrimina secernunt, non modo indoctum sed & eruditum vulgus hacte-

nus

nus fugerunt. Hanc depellere animis caliginem pro virili conabor. Primum quidem quæ fuerit ratio Sibyllinæ diuinationis, quamque diuersa ab aliorum vaticiniis, ex his cuiuis perspicuum esse poterit: fuit enim in Sibylla vniuersalis quædam præsagiendi facultas, qualis nulli alii vatum tributa: neque tempori aut loco cuipiam peculiari addicta fuit, vt Pythiæ, sed quouis tempore & loco vaticinari poterat. Quippe eam vim nacta ab ipso conceptu, vt supra notauimus; cum Pythia non semper, neque pro arbitrio, vbi interrogaretur, responsa dare posset, sed occasionem atque, vt sic dicam, tempestiuitatem præstolari cogeretur, donec numen ipsam inuiseret: semel enim tantum singulis mensibus afflari solitam Plutarchus tradit. Sed neque alibi quam Delphis in templo Apollinis, neque quouis eius templi loco, sed in adyto & specu, tripodique insidens, vaticinari poterat. Longe alia ratio Sibyllæ, cui, vt dixi, vis illa semper præsto quouis loco & tempore: neque tripode illi, aut fatidica aqua, aut lauro opus erat, vtpote natura vates & in potestate habens furoris illius vsum quo futura præuideret.

Quod equidem non dico, quasi putem semper eodem modo se habuisse ad expediendas muneris sui rationes, non aliquando melius aliquando deterius; quem tenorem & virtutis æquabilitatem ingenii humani conditio non capit; sed

ſed quia poſita naturæ opportunitate & voluntate, nunquam illi genii inſpiratio deerat: non aliter illi, vbi opus eſſet, ſeſe ex occulto adiungentis, atque in ſententia Peripateticorum intellectus agens, qui ex mente Auerrois & Alexandri Aphrodiſei intelligentia eſt humanæ ſpeciei illucens, ad libitum cuiusque vim ſuam & lumen animæ infundens. Quod enim lex naturæ & ordo in adiungendo ad animum humanum intelligentiæ præſtat apud eos philoſophos, id dæmon ex deſtinato & conſulto faciebat in Sibylla: ſiue vt quantum in animam hominis poſſet declararet, & numinis in ſe honorem & cultum transmoueret, ſiue etiam vt veri improuidos in eum errorem deduceret, quod naturalis animæ humanæ inſit futura præcognoſcendi facultas: quam tamen nullam illi eſſe a natura tributam, quæ quidem rationis captum excedat, ſupra oſtenſum eſt.

Quin fortaſſe quocumque vellet tempore, & quocumque corporis ſtatu, Sibyllam vaticinari potuiſſe omnino ſequitur: ſi verum eſt quod Proclus in Timæo prodidit, & ſupra recitabamus, ſtatim a natiuitate hanc in voces fatidicas erupiſſe: *ὥσπερ ἡ Σίβυλλα παρ' αὐτὴν ἀποκύησιν χρησμωδήσασα* &c. Quod idem de Apollonio Tyaneo & Soſipatra credi poteſt. Quibus dæmonem haud ſecus atque animam ipſam ſemper præſentem fuiſſe, ex iis, quæ de ipſorum actis hiſtoriæ produnt, intelligi poteſt.

Quibus

Quibus haud inferiorem in hoc fuiſſe Sibyllam conſtat: immo huic magis adhuc familiarem fuiſſe & præſto ad omnem diuinandi impetum dæmonem exiſtimandum eſt. Quo magis mirari eos ſubit qui Pythias vates cum Sibylla confundunt : ad quem impegiſſe ſcopulum videtur Euſebius, dum ſic de Sibylla in oratione ad Sanctorum cœtum tradit : ἡ τοίνυν Ἐρυθραία Σίβυλλα, φάσκουσα ἑαυτὴν ἕκτῃ γενεᾷ μετὰ τὸν κατακλυσμὸν γενέσθαι, ἱέρεια ἦν τοῦ Ἀπόλλωνος, διάδημα ἐπίσης τῷ θρησκευομένῳ ὑπ' αὐτῆς Θεῷ φοροῦσα, καὶ τὸν τρίποδα, περὶ ὃν ὁ ὄφις εἱλεῖτο, περιέπουσα· ἀποφοιβάζουσά τε τοῖς χρωμένοις αὐτῇ· &c. *Sibylla igitur Erythræa, quæ ſeipſam ſexta poſt diluuium generatione vixiſſe & ſacerdotem Apollinis fuiſſe dixit, diadema ex æquo vna cum Deo cui ſeruiebat geſtans, & tripoda circa quem ſerpens voluebatur frequentans, & ipſam conſulentibus reſponſa edens* &c. Sane tripodem in templo Apollinis, quod Delphis fuit, tantum fuiſſe, ori ſpeluncæ e qua oracula reddebantur impoſitum, cum alii ſcriptores antiqui cenſent, tum Seruius ad tertium librum Æneidos his verbis haud obſcure innuit : *Tripodes menſæ fuerunt in templo Apollinis Delphici, quibus ſuperpoſitæ Phœbades vaticinabantur.* Sed vnius Lucretii ſufficiat auctoritas, dum ita de oraculo Delphico canit lib. 5.

Quæ prius aggrediar, quam de re fundere fata
Sanctius, & multo certa ratione magis quam
Pythia quæ tripode e Phœbi lauroque profatur.

Neque mihi quisquam hic Erasmum obtrudat, qui non vnius oraculi & loci proprium fuisse tripodem censuit Chiliad. I. cent. 7. adag. 90. E tripode: *translatum* (inquit) *a tripode vel Delphica vel Pythia. Nam hæc duo oracula quondam summam fidem apud mortales obtinuerunt.* Hic enim error manifestior est, quam vt verbis confutari debeat. Multum & a Bacidum furore dispar vis Sibyllæ: siquidem & istorum temporarius fuit afflatus, quem illis a Nymphis excitari solitum antiquitas credidit. De quo vaticinii genere seorsim dicendum erit: vbi eadem soluetur difficultas quæ de Sibylla; num scilicet plures, ii, vt vulgo creditur, an vnus tantum eius nominis vates fuerit.

Quod autem mihi præcipuum in Sibylla, palmarium, singulare fuisse videtur, vniuersitas est diuinationis, ad omnia tempora, omnes euentus se extendentis. Euentus inquam, non rerum paruarum & ad priuatorum hominum fortunam peruenientium, sed magnorum virorum, puta regum & imperatorum, ad mutationes imperiorum, & præuia iis portenta & prodigia; quæ quibus cerimoniis & sacris procurari deberent, distincte carminibus exposuit, vt mox dilucidis scriptorum veterum testimoniis probabo.

CAPVT

CAPVT II.

Vniuersitas Sibyllinæ diuinationis.

ENimuero mihi attentius contemplanti, & Sibyllæ diuinationem cum aliorum antiquorum vatum responsis comparanti, eadem huius ad aliorum facultatem ratio fuisse videtur, quæ Romanarum rerum ad gesta aliarum nationum, historiæ Polybii ad alias superiorum scriptorum historias. Quas sic inter se vt vniuersalia a particularibus differre Polybius ipse initio historiarum suarum præfatur his verbis: ἐν μὲν οὖν τοῖς πρὸ τούτων χρόνοις, ὡσανεὶ σποράδας εἶναι συνέβαινε τὰς τῆς οἰκουμένης πράξεις· (διὰ τὸ καὶ κατὰ τὰς ἐπιβολὰς ἔτι δὲ συντελείας αὐτῶν, καὶ κατὰ τόπους διαφέρειν ἕκαστα τῶν πεπραγμένων·) ἀπὸ δὲ τούτων τῶν καιρῶν οἱονεὶ σωματοειδῆ συμβαίνειν γίνεσθαι τὴν ἱστορίαν, συμπλέκεσθαί τε τὰς Ἰταλικὰς, καὶ Λιβυκὰς πράξεις, ταῖς τε κατὰ τὴν Ἀσίαν καὶ ταῖς Ἑλληνικαῖς, καὶ πρὸς ἓν γίνεσθαι τέλος τὴν ἀναφορὰν ἁπάντων. id est, *Enimuero ante ista tempora, quæ per orbem terrarum gerebantur ea quasi sparsa diuulsaque erant: cum & susciperentur & finirentur singula eorum diuersas ob causas, & temporibus quoque ac locis inuicem distarent. Post ista vero tempora, vt in vnum quasi corpus coiret historia, euenit: vtque res Italicæ ac Libycæ Asiati-*

Asiaticis & Græcis miscerentur, & omnes ad vnum finem referrentur. Et non multo post de suo instituto: τὸ γὰρ τῆς ἡμετέρας πραγματείας ἴδιον καὶ τὸ θαυμάσιον τῶν καθ' ἡμᾶς καιρῶν, τοῦτό ἐστιν. ὅτι καθάπερ ἡ τύχη σχεδὸν ἅπαντα τὰ τῆς οἰκουμένης πράγματα πρὸς ἓν ἔκλινε μέρος, καὶ πάντα νεύειν ἠνάγκασε πρὸς ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν σκοπόν· οὕτω καὶ διὰ τῆς ἱστορίας, ὑπὸ μίαν σύνοψιν ἄγειν τοῖς ἐντυγχάνουσι τὸν χειρισμὸν τῆς τύχης, ᾧ κέχρηται πρὸς τὴν τῶν ὅλων πραγμάτων συντέλειαν. id est, *Quod enim operis nostri proprium est, nostroque tempore mirandum accidit, hoc illud est: quod sicut fortuna res prope vniuersas totius qua habitatur orbis in vnam partem inclinauit, atque omnia ad vnum eundemque scopum vergere coegit: ita & nos scriptione hac sub vnum quasi conspectum lectoribus ponimus, quonam modo ad operis hujus vniuersi consummationem ipsa se fortuna gesserit.*

Non possum commodiore ad propositum vti exemplo. Vt enim historiæ, sic vaticinia, coniuncta sunt rebus de quibus pronunciantur; res autem in eam partem finemque vertunt, quo numinis ducit prouidentia, quam vbique Polybius τύχην, hoc est, *fortunam* vocat. Quo nomine Deum intelligit; cum rerum vniuersitatis auctorem & causam primam, tum ordinis inuentorem atque custodem quo res humanæ procedunt; occultis hominum consilia & facta

habe-

habenis regentem, eumque ad exitum omnia ducentem, quem in arcanis æternitatis ſuæ optimum eſſe decreuit. Omnium enim occultæ & immobiles rationes alte ſunt defixæ in ſapientia Dei: quas quia fragiles hominum mentes videre non poſſunt, veteres vocabulo ab ignorantia ſua nato deſignare inſtituerunt.

Cæterum recte atque etiam diuinitus Polybius ibi, ex accurata illa qua pollebat rerum cognitione obſeruat, eiusmodi fuiſſe earum proceſſum, vt inde cuiuis ſagaci apparere poſſit, ea omnia, quæ ante Romanorum dominationem variis orbis partibus gerebantur, ita conſulto diſperſa atque comparata, quæ poſtmodum eodem prouidentiæ conſilio ceu partes in vnum corpus, ſic ipſa in vnius potentiæ & imperii maieſtatem & ſupremum apicem coaleſcerent atque vt ita dicam coagmentarentur. Poſtquam igitur de aliis prioribus regnis, quæ maxime floruerunt, Perſarum ſcilicet, Lacedæmoniorum, Macedonum dixit, eorumque anguſtias reſpectu vniuerſi orbis terrarum oſtendit, ſic de Romano imperio ſubdit: Ῥωμαῖοί γε μὴν οὐ τινα μέρη, σχεδὸν δὲ πᾶσαν πεποιημένοι τὴν οἰκουμένην ὑπήκοον αὐτοῖς· ζηλωτὸν μὲν τοῖς νῦν οὖσιν, ἀνυπέρβλητον δὲ τοῖς ἐπιγινομένοις ὑπεροχὴν κατεσκεύασαν δυναστείας. id eſt, *At Romani non partibus ſolummodo aliquot, ſed vniuerſo fere terrarum orbe in ius ditionemque ſuam*

coacto, imperium suum in tantum euexerunt fastigium, vt prædicare quidem eius felicitatem præsens ætas merito queat: superare vero illud nulla vnquam secula valeant.

Haud aliter Plinius & ad hunc, opinor, Polybii locum respiciens, lib. 3. cap. 5. Italiam *numine Deum electam* dicit, *quæ sparsa congregaret imperia.* Age hunc magni scriptoris locum ipsismet eius verbis referamus: *Terra omnium terrarum alumna, eadem & parens, numine Deum electa, quæ cælum ipsum clarius faceret, sparsa congregaret imperia, ritusque molliret, & tot populorum discordes ferasque linguas, sermonis commercio contraheret: colloquia & humanitatem homini daret: breuiterque, vna cunctarum gentium in toto orbe patria fieret.*

Quorsum, dicet aliquis, hæc tam multa de imperii Romani magnitudine, & quid ad Sibyllam? Quia sicut Deus voluit vnum in terris esse imperium, quod potentia in vniuersum terrarum orbem diffusa imaginem gereret Ecclesiæ; sic & in iis ipsis gentibus ethnicis vnam quandam esse vatem, quæ vaticinii sui ambitu omnia quæ gererentur in mundo singulari afflatus potestate comprehenderet. Huiusmodi vero vatem Sibyllam fuisse dicimus; non tam vatem, quam thesaurum vaticiniorum & prophetiæ apud paganos: quo modo libros Mosis appellat Tertullianus, *thesaurum* scilicet *Judaici* *sacra-*

sacramenti, & inde nostri, hoc est, Christiani. Quæ enim pars terrarum, quæ regio, quæ gens, quæ ciuitas, cui non sua fata in iis voluminibus, quæ nomine eius circumferuntur, prænunciet? Non equidem quia putem Sibyllina hæc quæ in manibus habemus omnia esse genuina Sibyllæ; sed quod fieri posse non arbitror, vt omnia sint fictitia & notha. Tum si sint talia, ex ipsa tamen fabula intelligi potest, quid de Sibyllini afflatus maiestate senserint ii qui hanc fabulam composuerunt: cui nunquam ditionem tam amplam tamque extensam & per omnem mundum & temporum circuitus patentem affinxissent, nisi aliunde nouissent, huiusmodi diuinationis immensitatem non esse a Sibylla alienam.

Huius argumentum sane haud sublestum est quod de ætatum mundi diuisione ex Sibyllæ carminibus refert Seruius ad quartam eclogam hoc versu:

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas.

ibi Seruius: *Sibyllini* (inquit) carminis, id est, Sibyllæ *quæ Cumana fuit, & secula per metalla diuisit: dixit etiam, quis quo seculo imperaret: & solem vltimum, id est, decimum voluit. Nouimus autem eundem esse Apollinem: vnde dicit, tuus jam regnat Apollo. Dixit etiam, finitis omnibus seculis rursus eadem renouari: quam rem etiam philosophi hac disputatione colligunt, dicentes*

completo magno anno omnia ſidera in ortus ſuos redire, & referri rurſus eodem motu. Quod ſi eſt idem ſiderum motus, neceſſe eſt vt omnia quæ fuerunt, habeant iterationem. Vniuerſa enim ex aſtrorum motu pendere manifeſtum eſt. Itaque in primis celebris hæc fuit ætatum diuiſio & per omnes literatorum cœtus & libros peruagata; vt eorum monumenta verſantibus notum eſt, qui aut eius mentionem faciunt, aut ad eandem alludunt. Maxime autem hanc verſibus commendauit Heſiodus in poemate quod inſcripſit ἔργα καὶ ἡμέραι. A quo Aratus accepit in Phænomenis: tum ab his Ouidius initio Transformationum: Maro etiam reſpexit in 3. Georg:

Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.

Sed & Plato alluſit manifeſte octauo πολιτειῶν his verbis: ἐκ δὴ τούτων ἄρχοντες οὐ πάνυ φυλακικοὶ καταστήσονται, πρὸς τὸ δοκιμάζειν τὰ Ἡσιόδου τε καὶ τὰ παρ' ἡμῖν γένη, χρυσοῦν τε, καὶ ἀργυροῦν, καὶ χαλκοῦν, καὶ σιδηροῦν. id eſt, *Ex his autem principes conſtituentur non admodum ad cuſtodiam idonei, & ad examinandum genera illa, quæ apud Heſiodum & quæ apud nos referuntur: aureum ſcilicet genus, argenteum, & æneum, atque ferreum.* Quod autem antiquiſſima ſit hæc diuiſio non modo ætatum per metalla, ſed etiam imperiorum, apparet ex ſomnio Nabuchodonoſoris Chaldæorum regis potentiſſimi Danielis capite

capite secundo. Quo somnio placuit Deo reuelare prophetæ illi sublimi præcipuas rerum humanarum vices, quas quinque ordine in orbem venturas quintuplex metalli genus in ea statua adumbrat: aurum, argentum, æs, ferrum, mixtum ex ferro & terra. Quo pacto & apud Hesiodum citato opere quintuplex hominum genus distinguitur. Sed de his alias diligentius; tum etiam de vulgata opinione, quæ vnicuique planetarum propriam assignat metalli speciem. Quorum accuratior consideratio aliud tempus postulat.

Nunc sufficit nobis ostendere ex hac ætatum diuisione per metalla, & eorum qui seculorum decursu imperare deberent prædictione, quam Sibyllam Cumæam carmine expressisse Seruius loco allato testatur; ostendere inquam, quæ fuerit Sibyllæ facultas diuinandi, quam late patens & vniuersum complexa æuum. Quo nomine cum Mose & Daniele comparari possit: quorum alter suum vaticinium ab ipsa rerum vltima origine repetit, cæli & terræ creationem, & cæterarum mundi partium & ornatus, vniuersa religionis mysteria & ritus tradit: alter vero imperiorum vices & successiones ad Christi vsque regnum prosequitur. Verum Sibylla non tam distincte hunc rerum ordinem, hasque reuolutiones temporum tradit: sed ob-

ſcuro magis & fabulis impedito dicendi genere, vt paganæ conuenit,

Quale per incertam lunam ſub luce maligna
Eſt iter in ſiluis, vbi cælum condidit vmbra
Juppiter, & rebus nox abſtulit atra colorem;

breuiter, quod & Maro de eadem, vbique *obſcuris vera inuoluit.* Sic cum Moſes diluuii vniuerſalis, quo vniuerſum genus humanum, vna Noe familia excepta, extinctum fuit, hiſtoriam dediſſet; hanc cladem horrendam Sibylla ad illud diluuium, quo Græcia ſub Deucalione afflicta eſt, tranſtulit. Quod idem Moſes narrat de primis ciuitatum conditoribus, & gentium tyrannis, quos *gigantes* vocat, tum arcis excelſiſſimæ ædificatione, quæ *turris Babel* ab euentu dicta eſt, qua homines ſuperbiſſimi nomen ſuum poſteris commendare voluerunt; Sibylla ad gigantum Deos in campis Phlegræis oppugnantium temerariam audaciam detorſit. *Titanes* autem vocat. Verſus ſic habent:

ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ ὑπέρβιον ἦτορ ἔχοντες,
ὕστατα βουλεύσονται ἐπειγόμενοι πρὸς ὄλεθρον,
ἀντίβιον μαχέσασθαι ἐπ' οὐρανῷ ἀστερόεντι.

Hi vero (tantum præcordia vana tumebant)
Conſtituent tandem, properantes perdere ſeſe,
Illato bello ſtellatum inuadere Olympum.

Quos repentina Oceani eruptione, non autem fulmine vt poetæ fabulantur, a tam furioſo auſu repreſſos dicit.

Ab

Ab eiusdem item oraculis profectam arbitror opinionem de humanæ staturæ & virium detrimento temporum processu, de qua re Plinius sic lib. 7. cap. 16. *In plenum autem cuncto mortalium generi minorem in dies fieri (mensuram) propemodum obseruatur: rarosque patribus prɔceriores, consumente vbertatem seminum exustione, in cuius vices nunc vergat æuum.* Quippe & inter Sibyllæ vaticinia proditum fuisse de mundi consumptione per ignem, coniectare licet ex his Ouidii versibus in primo Transformationum; quibus Jouem de hominum sceleribus pœna vltima coercendis deliberantem inducit :

Jamque erat in totas missurus fulmina terras:
Sed timuit, ne forte sacer tot ab ignibus æther
Conciperet flammas, totusque ardesceret axis.
Esse quoque in fatis reminiscitur, affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cæli
Ardeat, & mundi moles operosa laboret.

Vbi fata more poetarum a Deo distinguit, tanquam extra voluntatem Dei posita: quod plane est poeticum & vanum. Bifariam autem fata vsurpantur; vel pro ratione immobilis legis rebus dictæ: vel pro oraculis quibus eius legis arcana enunciantur, qualia Sibyllæ in primis. Quod igitur Poeta *in fatis* dicit, & Jouem eorum reminisci, tanquam hæc de ἐκπυρώσει in fatalibus legisset, allusio est ad Sibyllæ carmen

quo

quo mundi conflagrationem aliquando futuram vaticinata eſt. Verum de alluſione vt magis conſtet, nonnulla de fatali iſta mundi conflagratione attingere oportet: eoque ipſe hic Ouidii locus nos vocat, qui perabſurdum alioqui offert ſenſum, niſi commoda explicatione adiuuetur. Quod offendiculum nullius cenſura eſſe notatum in tanta eruditorum multitudine, qui Ouidii ſcripta quotidie euoluunt, ſatis mirari non poſſum.

CAPVT III.

Ouidii locus de fatali mundi conflagratione expenditur: vera huius ſententia aperitur: tum de mundi per infinitos temporum circuitus exitu & reſtitutione.

QUod igitur in eo Ouidii loco offendit, nimirum hoc eſt. Juppiter, ſummus princeps & moderator hominum & deorum, iratus mortalibus ob mores corruptos & nimiam ſcelerum licentiam toto terrarum orbe effuſam, omnes, quod ſcilicet illi magis in promptu atque in manu ſupplicii genus, fulmine crebro delere cogitat: quod & re erat executurus, niſi metueret, ne tantis ignibus tota ætherea compages penitus

penitus diſſoluatur. Hic quæro, cur metuat juſtus vindex id facere occaſione poſcente, quod fato ineuitabili futurum aliquando ſcit? Ita enim mox reminiſci fatalis eius caſus dicitur:

Eſſe quoque in fatis reminiſcitur; affore tempus
Quo mare, quo tellus &c.

Cur, inquam, quod fatale eſt metuit, & non potius id ipſum exequi properat, quod vt accidat in fatis eſſe nouit, vt hoc modo quod fatale eſt expleat? perinde vt in noſtris literis euangelicis multa fieri dicuntur *vt impleantur ſcripturæ*, hoc eſt, præſcita. Contra Juppiter ne impleat fatale decretum, neue ipſum ad exitum opera ſua traducat, videtur metuere, quantum quidem verborum ſeries & contextus præ ſe fert:

Eſſe quoque in fatis reminiſcitur, affore tempus
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cæli
Ardeat, & mundi moles operoſa laboret.
Tela reponuntur &c.

Hoc igitur ſenſu quid abſurdius dici poteſt, ſi ita vt verba ſonant is locus accipiatur? Verum alia profecto huius ſententia eſt: neque Deus id metuit, ne flammis mundum perdat, ſed ne non ſuo tempore; quod nondum fatalis mundanæ conflagrationis terminus adeſſet. Nam & hoc maxime in fatis, non modo vt aliquid eueniat, ſed vt ſuo tempore. Vnde illud in 10. Æneid. *Adue-*

Adueniet iuſtum pugnæ (ne accerſite) tempus. *Juſtum* tempus vocat quod Græci εἱμαρμένον *fato præſtitutum & fixum.*

Ex his intelligi poteſt, alluſum his verſibus eſſe ad Sibyllæ vaticinium de fatali terrarum & totius mundi exuſtione. Quod autem non ſemel ſed infinities ſtatis temporum interuallis & ſeculorum reuolutionibus hæc mutatio accidat, & in talem Sibyllæ vaticinium competat, locus Seruii ſupra allatus declarat: *Dixit etiam,* (Sibylla) *finitis omnibus ſeculis rurſus eadem renouari.* Quod dogma de rerum certis temporum periodis ἀποκαταστάσει & inſtauratione celebre apud philoſophos & decantatum, a Sibyllæ carmine profectum eſſe idem Seruius ibidem obſeruat. Mox enim poſt verba modo allata ſubdit: *Quam rem etiam philoſophi hac diſputatione colligunt, dicentes: completo magno anno omnia ſidera in ortus ſuos redire, & referri rurſus eodem motu. Quod ſi eſt idem ſiderum motus, neceſſe eſt vt omnia quæ fuerunt habeant iterationem.* Genera mutationum, quibus periodi finiuntur & inſtaurantur, duo poſuerunt: κατακλυσμὸν & ἐκπύρωσιν, *diluuium* & *conflagrationem*; alii quidem per mundi partes tantum, vt Plato & Ariſtoteles; alii per totum mundum ſimul, quæ opinio fuit Heracliti & Stoicorum. De hac vniuerſa rerum per ignem aut aquam conſumptione & renouatione tradentem ex veterum

terum sententia Firmicum videre est libro tertio cap. 1. cuius verba subiungere haud abs re fuerit. Ibi de mundi ipsius agit genesi, non quia hanc ratione vlla posse explicari putat, sed doctrinæ gratia. Sic autem loquitur: *Non fuit ista genitura mundi: nec enim mundus certum diem habuit ortus sui, nec aliquid interfuit eo tempore, quo mundus diuinæ mentis ac prouidi numinis ratione formatus est, nec eo vsque se intentio potuit humanæ fragilitatis extendere, vt originem mundi facili posset ratione concipere aut explicare, præsertim cum trecentorum millium annorum maior* ἀποκατάστασις, *hoc est, redintegratio, per* ἐκπύρωσιν *aut per* κατακλυσμὸν *spatio perficiatur. His enim duobus generibus* ἀποκατάστασις *fieri consueuit: namque exustionem diluuium, hoc est,* ἐκπύρωσιν κατακλυσμὸς *sequitur; nulla enim re alia exustæ res poterant renasci, nec vlla re alia ad pristinam faciem formamque reuocari, nisi admixtiones, atque concretus puluis fauillarum, omnium genitalium seminum collectam conciperet fœcunditatem* &c.

Quando autem & quomodo hæ mutationes accidant, Seneca ex Chaldæorum traditionibus explicat lib. 3. Quæst. natural. cap. 29: *Chaldæorum ista vanitas, & Berosus qui Belum interpretatus est, dicit cursu ista siderum fieri: & adeo quidem affirmat, vt conflagrationi atque diluuio tempus adsignet: arsura enim terrena contendit,*

tendit, quando omnia ſidera in cancro conuenient; inundationem futuram, cum eadem ſiderum turba in capricornum conuenerit. Idem refert Cenſorinus de die natali cap. 18: *Eſt præterea annus, quem Ariſtoteles maximum potius quam magnum appellat, quem ſolis & lunæ vagarumque quinque ſtellarum orbes conficiunt, cum ad idem ſignum vbi quondam fuerunt vna referuntur: cuius anni hyems ſumma eſt cataclyſmus, quam noſtri diluuionem vocant; æſtas autem ecpyroſis, quod eſt mundi incendium. Nam his alternis temporibus mundus tum igneſcere tum exaqueſcere videtur.* Mitto alia veterum loca: ſunt enim prope innumera. Quod autem ad præſens inſtitutum magis pertinet, dicam. Tametſi Sibyllam de vtroque mutationis genere per aquam & ignem vaticinatam non dubito, non tamen mihi videri has clades pertinere ad ἀποκατάστασιν, quam Maro in ecloga ex Cumææ Sibyllæ carmine futuram deſcribit, & philoſophorum doctiſſimi probarunt. Magna profecto diuerſitas. Hæc namque totius generis humani ab extrema degeneratione & corruptione in optimum ſtatum, nempe ab ætate ferrea in auream, regreſſum & reſtitutionem notat, neque interim quicquam de præcipuis mundi partibus & rerum naturis mutat. Aliæ autem mutationes, magnæ; de quibus Plato in Timæi initio, & poſt eum Cicero in ſomnio Scipionis dicit,

dicit, quibus terras exuri aut mundari contingit, non modo non omnem mundum destruunt, sed neque humanum genus vniuersum abolere possunt; cum non totam terram, sed quasdam tantum eius partes attingant: vt Macrobius recte notat lib. 2. cap. 11. *Nunquam tamen siue eluuio siue exustio omnes terras aut omne hominum genus vel omnino operit vel penitus exurit.* Quod idem ex Platonis verbis in Timæo colligas. Sed & Aristoteles lib. 1. Meteor. cap. vlt. non nisi in partibus terræ has fieri mutationes docet, eosque, qui ex talibus euentis mundum corruptioni esse obnoxium ratiocinantur, irridet: γελοῖον γὰρ (inquit) διὰ μικρὰς καὶ ἀκαριαίας μεταβολὰς κινεῖν τὸ πᾶν. *ridiculum enim ob leues paruasque mutationes mouere vniuersum.*

Quin nec cataclysmum, de quo est in historia Mosis, quæ inscribitur Genesis, vniuersum terrarum orbem operuisse satis constat: quod esse incredibile, neque ex Scripturæ verbis, si recte intelligantur, sequi, non desunt qui disputent. Qua de re elegans & erudita extat dissertatio Anonymi cuiusdam *de diluuii vniuersalitate* Geneuæ impressa apud Petrum Columesium anno 1667. Ex quo quiuis intelligat, multum has in partibus terræ accidentes mutationes differre ab illa generali rerum humanarum ἀποκαταστάσει, de qua Sibylla & philosophi. Proinde Plato citato loco has non corruptiones simpli-

citer, sed purgationes & expiationes potius vocat: ὅταν δ᾽ αὖ οἱ ὄμβροι, οἱ τὴν γῆν ὕδασι καθαίροντες, κατακλύσωσιν &c. *cum autem rursum imbres, qui terram aquis purificant, diluuium inuexerint.* Ad quem locum Proclus: καὶ γὰρ καθαρμὸς ὁ μὲν γίνεται δι᾽ ὕδατος, ὁ δὲ διὰ πυρός. *fit enim lustratio per aquam, aut ignem.* Non recte igitur Firmicus ἀποκατάστασιν simpliciter vocat eam renouationem quæ diluuio aut exustioni terrarum succedit; nisi forte hanc particularem apocatastasim dici placeat: est enim hoc nomen commune omni reuolutioni. Sola autem hæc proprie & simpliciter rerum ἀποκατάστασις dici meretur, quæ fit cum, vt Cicero dicit, ad idem, vnde semel profecta sunt, cuncta astra redierint, eandemque cæli totius descriptionem longis interuallis retulerint. Quippe eadem cæli descriptione, iisdem stellarum motibus & configurationibus redditis, consequens putauerunt veteres illi naturæ interpretes, vt iidem rerum euentus, bella, paces, cæteraque humana, non quidem numero sed specie & qualitate, restituerentur.

Quod autem Sibylla huiusmodi in primis rerum omnium reditum & instaurationem magnis temporum interuallis necessario euenire censuerit, & carmine inter alia præscita celebrauerit, fidem fece it quarta Maronis ecloga; si verum est, huius argumentum a Sibyllæ Cumææ libris desumptum esse: quod sane Eusebius credidit in

in oratione de laudibus Conſtantini, vbi hanc eclogam græce conuerſam totam de Chriſti aduentu exponit. Cui noſtri fere omnes theologi ſubſcribunt. Nos, an quæ ibi Virgilius canit ad Chriſtum pertineant, aut omnino Sibylla Chriſtum verum & vnicum hominum regem venturum prædixerit, infra videbimus. Illud interim concedi poteſt, multa Virgilium ibi mutuatum de Sibylla; cum id ipſe præfari his verbis videatur:

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas.

Neque enim Valerio Probo aſſentior, qui ibi *carmen Cumæum* exponit, non Sibyllæ Cumææ, ſed Heſiodi, quem etiam Cumis natum conſtat: propterea quod & ipſe varias hominum ætates per metalla diſtinxit. Mihi veriſimilius fit, Heſiodum a Sibylla hanc ætatum diuiſionem ſumpſiſſe, quam hanc ab Heſiodo: cum præſertim & Seruius Grammaticorum doctiſſimus, & cæteri omnes, ibi Cumæum carmen Sibyllinum interpretentur. Ita igitur hanc eclogam Maronis, vt a Sibyllæ carmine expreſſam, legentes fateri neceſſe eſt; ab ea quoque profectam hanc de vniuerſali rerum omnium humanarum reſtitutione per ſtatos & longiſſimos temporum circuitus doctrinam: quam tam plane his verſibus Poeta inſinuet:

Alter enim tum Tiphys, & altera quæ vehat
Argo
Delectos heroas: erunt etiam altera bella,

Atque uerum ad Trojam magnus mittetur Achilles.

Ita etiam Seruius accipit, eiusque dogmatis au-ctorem Sibyllam haud obscure proponit verbis supra allatis, quæ denuo in medium reducen-da sunt, vt res pateat: *Dixit etiam* (Sibylla, de qua ibi loquitur) *finitis omnibus seculis rursus eadem renouari. Quam rem etiam philosophi hac disputatione colligunt, dicentes: completo magno anno omnia sidera in ortus suos redire, & referri rursus eodem motu. Quod si est idem siderum motus, necesse est vt omnia quæ fuerunt habeant iterationem.* Tum porro idem hæc verba ex-plicans: *alter erit tum Tiphys*: ex duabus in-terpretationibus quas proponit, posteriorem ipsammet quam sequimur priori præfert. *Spe-cialia* (inquit) *pro generalibus ponit. Nam per* Tiphyn *quemcumque gubernatorem accipimus: per* Argo *quamcumque nauem: per* Troiam *quamcumque ciuitatem: per* Achillem *quem-cumque virum fortem. Videtur tamen locus hic dictus per* ἀποκατάστασιν, *id est, per omnium re-rum reuolubilitatem ex siderum ratione venientem, vt diximus supra.*

Hæc autem eo pertinent, vt omnes id quod dixi intelligant, mundanam fuisse vatem Sibyl-lam apud ethnicos: sicut Mosem apud Ebræos, & ex his fide oriundos Christianos: omnia scilicet tempora, & rerum humanarum vicissitu-dines

dines vaticinio complexam; cuius rei alia etiam argumenta adiungi poſſunt.

CAPVT IV.

Aliæ obſeruationes, quibus Sibyllinæ diuinationis immenſitas amplius declaratur.

IN his eſt iſtud, quod a Populi Romani iudicio & ſingulari erga Sibyllam pietate & reuerentia ducitur, a Virgilio etiam notata in ſexto, vbi Æneam hæc Sibyllæ pollicentem inducit:

Te quoque magna manent regnis penetralia noſtris.
Hic ego namque tuas ſortes, arcanaque fata
Dicta meæ genti ponam: lectosque ſacrabo
Alma viros &c.

Niſi forte putamus, temere & caſu factum, vt orbis domitor populus, qui iura aliis omnibus daturus eſſet, vnam præ aliis cunctis vatem Sibyllam eligeret, quam de arduis quibusque rebus & ad ſummam imperii pertinentibus conſuleret, cuiusque ad oracula, vbi quis grauior metus incidiſſet, velut ad ſacram ancoram confugeret; ad id conſtitutis primæ nobilitatis viris quindecim, qui libros eius ſoli adire, & ex his quid agendum eſſet renunciare poſſent. Quæ religio tamdiu obtinuit quamdiu imperii Romani maieſtas ſtetit. Nimirum qualis populus talis va-

tes. Romani terrarum domini: non igitur alia vate vti debuerunt quam Sibylla, cuius, vt dictum est, afflatus & vaticinium nullis temporum, locorum, aut euentuum finibus circumscriptum esset.

Dixi, non alia vti debuisse vate: quod non ita intelligi velim, quasi credam, alios vates non fuisse, quibus auscultarent; nam & vaticiniis clari apud Romanos Martii fratres extiterunt, quorum præscita studiose asseruabant; & Bergomes vtebantur Nymphæ libris, quæ artem scripserat fulguritarum, apud Tuscos, auctore Seruio, ad versus modo laudatos e sexto Æneid. Id volo, Sibyllam supra cæteros vates honoratam fuisse a Romanis, vt eximiam & diuina quadam sorte electam, quæ summa auctoritate Populo Romano sua fata aperiret, tum, quod ad religionem in primis pertinet, quibus sacrorum ritibus & cerimoniis aut grates diis agendæ essent de prosperis rebus, aut placanda ira in aduersis, quibus denique prodigia sacris procuranda essent; de quibus paulo post dicendum erit.

Quod autem Romani tantum Sibyllæ oraculis tribuerunt, quis non causæ alicuius altioris destinationem agnoscat? siue Dei consilio id, siue dæmonis factum est: cum neque Athenienses, neque Lacedæmonii, neque alia vlla Græciæ ciuitas gensue, sic affecti erga vatem eam fuerint, vt hanc aliis omnibus diuinis præferendam, & in eius oraculis sciscitandis salutem sitam arbitrarentur:

tur: quod Populo Romano perſuaſum fuiſſe ex omnibus hiſtoriis conſtat; cum Græcis quidem popularis, ac, vt ita dicam, domeſtica eſſet Sibylla, apud eos nata & educata, earumdem literarum particeps, eodem ſermone vaticinaretur; Romanis autem externa & peregrina eſſet. Hoc qui non admiratur, & ſorte quadam diuiniore factum non videt, valde obtuſi eſt ad res perſpiciendas ingenii, hebetisque iudicii, qui tam manifeſta diſcernere non valeat. Nihil enim mihi admirabilius videtur, quam feminam in Jonia, tam diſſitis ab Italia oris, natam, ante Trojanum bellum, Romanis tanto ante tempore, vix dum fama cognitis, ſcripſiſſe oracula perpetua, quibus ad omnem rerum euentum feliciter vterentur. Quarum rerum quis aliam cauſam afferre poſſit, niſi quod Sibylla numinis, quo agebatur, inſtinctu fatalem ordinem ſequebatur, quo Dei prouidentia aliarum gentium vires, per varios rerum humanarum euentus & reuolutiones, ad vnam Romani imperii maieſtatem & ſupremum apicem paulatim, vti ſupra ex Polybio afferebamus, ducebat? Sed quod ratio altius rerum ordinem intuentibus oſtendit, ipſius Sibyllæ oraculis declaratum magis fidem inueniet, & vel inuitis extorquebit.

Eſt autem inſigne iſtud, quo prædicit, fore vt e mari inſula exiſtat repente nunquam antea conſpecta, quo tempore Romani victis Carthaginenſibus bellum aduerſus Philippum regem

Macedoniæ habebunt, atque omnes inter se gentes. Versus, quibus id prædicit, ex Plutarchi libro de Pythiæ oraculis referre operæ pretium est.

Ἀλλ᾽ ὁπότε Τρώων γενεὰ καθύπερθε γένηται
Φοινίκων ἐν ἀγῶνι, τοτ᾽ ἔσσεται ἔργα ἄπιστα·
Πόντος μὲν λάμψει πῦρ ἄσπετον, ἐκ δὲ κε-
ραυνῶν
Πρηστῆρες μὲν ἄνω διὰ κύματος ἀΐξουσιν,
Ἄμμιγα σὺν πέτρα, ἡ δὲ στηρίξεται αὐτοῦ,
Οὐ φατὸς ἀνθρώποις νῆσος, καὶ χείρονες ἄνδρες
Χερσὶ βιησάμενοι τὸν κρείσσονα νικήσουσιν.

quæ sic Xylander vertit:

Sed quando Pœnos vincet Troiana propago,
Tunc incredibiles mortalibus euenient res.
Immensa canum fulgebit tunc mare flamma,
Fulminaque ardentes per cærula vasta procellas
Torquebunt, saxumque simul: quod & insula stabit
Firma loco, nullique hominum de nomine nota.
Tunc quoque præstantem superabunt deteriores
Vi propria freti, atque inuictæ robore dextræ.

Sunt autem in primis notanda quæ ibi Plutarchus ad eius oraculi declarationem affert, quæ proinde ipsius verbis subiungere placet: τὸ γὰρ ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ Ῥωμαίους τε Καρχηδονίων περιγενέσθαι καταπολεμήσαντες Ἀννίβαν, καὶ Φίλιππον Αἰτωλοῖς συμβαλόντα, καὶ Ῥωμαίοις μάχῃ κρατηθῆναι, καὶ τέλος ἐκ βυθοῦ νῆσον ἀναδῦναι μετὰ πυρὸς πολλοῦ καὶ κλύδωνος ἐπιζέσαντος, οὐκ ἄν εἴποι

εἴποι τις ὡς ἀπήντησεν ἅμα πάντα, καὶ συνέπεσε κατὰ τύχην αὐτομάτως, ἀλλ' ἡ τάξις ἐμφαίνει τὴν πρόγνωσιν. καὶ τὸ Ρωμαίους πρὸ ἐτῶν ὁμοῦ πεντακοσίων προειπεῖν τὸν χρόνον, ἐν ᾧ ἅπαντα τὰ ἔθνη πολεμήσειεν ἅμα· τοῦτο δὲ ἦν τὸ πολεμῆσαι τοῖς οἰκέταις ἀποστᾶσιν. id eſt, *Quod enim Romani breui temporis ſpatio Carthaginenſes ſubegerunt debellato Annibale, & ab iisdem ac Ætolis Philippus prælio victus eſt, ac tandem e profundo inſula erupit cum multo igne & vndis ebullientibus: hæc nemo dicere poteſt ſimul omnia fortuito caſu eueniſſe, ſed ordo prædictionem indicat. Vt & hoc, quod Romanis ante annos fere quingentos prædictum eſt tempus, quo bellum aduerſus omnes ſimul nationes geſturi eſſent: quod factum eſt bello aduerſus rebelles ſeruos ſuſcepto.* En quam ſtupenda attingit Sibylla e longinquo de Romanis, & bello quod iis fuit cum Pœnis; tum euerſa ab iisdem Carthagine; item de prodigiis quæ poſt euenere; ad ſummum de ſeruili bello; & quod in primis notandum, quod eodem tempore ἅπαντα τὰ ἔθνη πολεμήσουσιν ἅμα, inquit Plutarchus, hoc eſt, omnes inter ſe gentes bello dimicaturæ eſſent. Quod ſupra a Polybio obſeruatum recitabamus. Quo nihil in hiſtoria admirabilius contemplanti videri poteſt; & euidens vigentis in his quoque perplexis, & quæ fortuita vulgo cenſentur, numinis & prouidentiæ argumentum eſt. Præuiſum tamen hoc a Sibylla Plutarchus teſtatur, qui car-

T 5 men

men eius integrum legerat ; cuius nobis miſeræ reliquiæ huc illuc per auctorum veterum tractatus diſperſæ & fragmenta reſtant, ac ne illa quidem ſincera, ſed alienis maleferiatorum hominum fraude interpolata , vt quid genuinum, quid adſcitum & nothum, vix diſcerni poſſit.

Non minus miranda quæ idem auctor paulo ante eadem charta dat Sibyllæ vaticinia alia, de prodigiis quibusdam poſterius viſis circa Cumas & Puteolos, contentus attingere ſuis verbis, cum vaticinia illa ſuo tempore extarent, nec Sibyllæ eſſe quiſquam dubitaret. ταυτὶ δὲ τὰ πρόσφατα καὶ νέα πάθη περί τε Κύμην καὶ Δικαιαρχείαν, οὐχ' ὑμνούμενα πάλαι καὶ ᾀδόμενα διὰ τῶν Σιβυλλείων ὁ χρόνος ὥσπερ ὀφείλων ἀποδέδωκεν. ἐκρήξεις πυρὸς ὀρείου, καὶ ζέσεις θαλασσίας, καὶ πετρῶν καὶ φλεγμονῶν ὑπὸ πνεύματος ἀναῤῥίψεις, καὶ φθορὰς πόλεων, ἅμα τοσούτων καὶ τηλικούτων, ὡς μεθ' ἡμέραν ἐπελθοῦσιν, ἄγνοιαν εἶναι καὶ ἀσάφειαν, ὅπου κατῴκηντο τῆς χώρας συγκεχυμένης. ταῦτα γὰρ εἰ γέγονε πιστοῦσθαι χαλεπόν ἐστι, μή τοι γε προειπεῖν ἄνευ θεότητος. id eſt, *Hæc vero quæ recens apud Cumas & Puteolos acciderunt, nonne pridem Sibyllinis decantata carminibus tempus velut debitor perſoluit? Eruptionem, inquam, montani ignis, feruorem maris, ſaxorum & maſſarum flagrantium vento exploſa tormenta, tot tantarumque vrbium interitum; vt hodie qui ea loca accedunt, vbinam conditæ fuerint diſcernere prorſus non poſſint,*

possint. Quod enim hæc omnino acciderint, difficile est credere, nedum prædici potuisse, absque numinis afflatu. Hæc ibi ex Sibyllæ carmine affert Plutarchus, ſane digna in quorum conſideratione ſiſtamus gradum, cum propter rerum dignitatem, tum propter ipſam vatem, cuius diuinationis præſtantia & vniuerſalitas ex his clare admodum intelligitur.

CAPVT V.

Vaticinia ſupra ex Plutarcho allata explicantur.

PRimum illa conſideremus de inſulæ ortu prædicta his verbis:

ἡ δὲ στρέψεται αὐτοῦ
Οὐ φατὸς ἀνθρώποις νῆσος.

Quæ ſic Plutarchus explicat: καὶ τὰ περὶ τῆς νήσου πάλιν, ἣν ἀνῆκεν ἡ πρὸ Θήρας καὶ Θηρασίας θάλασσα. Latinus interpres ita vertit: *Et illud de inſula, quam ante Theram & Theraſiam edidit mare.* Amiotus autem noſter ſic: *Et puis l' oracle qui fut donné de l' iſle que produiſit la mer la, ou eſt aujourdhuy Thera & Theraſia.* Neuter ſatis commode. Sic oportuit: *Tum oracula de inſula, quam mare, quod eſt ante Theram & Theraſiam, ſurſum protulit.* Nempe illud mare quod eſt ſupra eas inſulas verſus ſeptemtrionem, vnde pontus ſupra Ægæum mare incum-

incumbit. Hanc insulam tunc recens magno turbinum sonitu & flammarum e mari erumpentium terrore enatam neque vates neque Plutarchus nominant, ceu nomen ei nullum inditum fuerit: ὁ Φατὸς ἀνθρώποις νῆσος. Attamen ex loco & tempore, quibus emersisse dicitur, nempe circa bellum quod Romani aduersus Philippum regem Macedonum gesserunt, hanc ipsam esse colligo quam Plinius *Automaten* & *Hieram* vocat, Orosius *Vulcani insulam.* Plinii verba hæc sunt lib. 2. cap. 87. *Inter Cycladas Olympiadis CXXXV anno quarto, Thera & Therasia* (supple *enatæ.*) *Inter easdem post annos CXXX Hiera, eademque Automate.* Rursus lib. 4. cap. 12. *Thera, cum primum emersisset, Calliste dicta: ex ea auulsa postea Therasia: atque inter duas enata mox Automate, eadem Hiera.* Subdit mox: *& in nostro æuo, Thia iuxta eandem Hieram nata.* Obiter mendum a nemine animaduersum auferam e textu Plinii. Quippe enatam mox Automaten, quæ Hiera eadem est, post Therasiam e Thera auulsam; cum præcedente loco, non nisi post annos triginta & centum inter duas illas insulas enata Automate siue Hiera dicatur. Quare non *mox*, sed *post* legendum ibi esse res ipsa indicat: alioqui esset pugnantia in verbis Plinii.

Quo autem tempore prodigiosa hæc emerserit insula, & Plutarchus ibi, & Justinus lib. 30. cap. 4. vbi de rebus illius temporis, quo bellum

lum Romanos inter & Philippum Macedonum regem agitabatur, tradit. *Eodem* (inquit) *anno inter insulas Theram & Therasiam*, (ita enim legendum, non vt in excusis codicibus, *Theramenem & Therasiam*) *medio vtriusque ripæ & maris spatio, terræ motus fuit. In quo, cum admiratione nauigantium, repente ex profundo cum calidis aquis insula emersit.* De eadem insula accipiendus & Senecæ locus in 2. Natur. Quæst. cap. 26. *Cum maiorum nostrorum memoria, vt Posidonius tradit, insula in Ægæo mari surgeret, spumabat interdiu mare, & fumus ex alto ferebatur.* Quibus ex locis patet, falli auctorem nuperum relationis de insula nunc vulgo Sant-Erini appellata, hoc est, Thera: cum eam insulam, quam Automaten & Hieram dictam fuisse ex Plinio ostendimus, cœpisse anno a Christi aduentu duodecimo emergere, inter Theram scilicet & Therasiam, prodit. Quomodo enim post Christum, quam Seneca maiorum suorum ætate enatam testetur; Iustinus eodem anno quo Romanis bellum cum Philippo erat?

Quod spectat ad alias clades, quas idem Plutarchus recentes vocat, nempe non multum ab ea ætate qua scribebat remotas: facile ex iis quæ ibi memorat intelligi potest, eum loqui de memorabili illa ignium eruptione e monte Vesuuio, qua Plinium magnum vna cum multis Campaniæ vrbibus consumptum auctore Plinio altero, eius nepote, constat, qui eius cladis historiam

riam in quadam ad Tacitum epiſtola deſcribit. Fuit enim Plutarchus Pliniis ſuppar: nempe Domitiani, vel etiam ſupra, principatu viuens, Traiano etiam rerum potiente celebris, cuius præceptor fuit: vt quæ Plinii tempore acciderunt, πρόσφατα καὶ νέα πάθη, hoc eſt, *caſus recentes & nouos* non immerito appellet; atque etiam eos qui ſub Tiberio extiterunt, ſi ſequentium principum breue æuum ſpectemus. Igitur ἐκρήξεις πυρὸς ὀρείου *eruptiones montani ignis* de Veſuuii incendio illo accipi debere palam eſt: ζέσεις autem θαλάσσης *maris feruores* lapidumque tormento ignium iaculationes ad Thiæ inſulæ, cuius modo mentio facta eſt, ortum refero: φθορὰς πόλεων *vrbium funera* hiatu terræ hauſtarum, nullo ſuperſtite veſtigio, ad Pompeios non obſcurum Campaniæ oppidum Neronis temporibus hoc modo abolitum. De qua horrenda calamitate videndus Seneca, qui eam lib. 6. Natur. Quæſt. accuratiſſime deſcribit. His addi poſſunt Aſiæ vrbes duodecim, Tiberii ætate motu terræ noctis vnius mora proſtratæ. Quos caſus omnes tanto ante tempore a Sibylla fuiſſe prædictos ex his Plutarchi locis diſcimus.

Sed nos talia e veterum ſcriptorum monumentis vaticinia eruentes Scaliger, vir magnus, Animaduerſionibus ad Euſebium inanis operæ arguit, reuocatque ab inutili labore; admonens, hæc a Græculis otioſis fuiſſe conficta &

pro

pro Sibyllinis obtrusa. Hæc quam facile dicuntur, tam prompte refelli possunt. Non longa mihi erit cum Scaligero & aliis eiusdem opinionis altercatio. Quæram solum, putentne aliquam olim fuisse vatem quæ Sibylla diceretur? Non arbitror aliquem tam perfrictæ esse frontis, vt id neget, quod tanto scriptorum omnium consensu proditum est. Si talis vates extitit, Sibyllæ nomine omnibus nota: necesse est, aliqua eius fuisse vaticinia; quomodo enim vates diceretur, cuius nulla extitissent vaticinia? Velim igitur mihi explicent, qua coniectura, quo indicio possim vera a fictis discernere? Magisne in his oculati & perspicaces, quam Heraclitus, quam Plato, quam Plutarchus, quam Pausanias, & alii iudicio & eruditione præstantissimi scriptores, nobis pro veris Sibyllæ oraculis legenda proposuerunt? Me quidem non agnosco esse tam astutum neque tam callidum. In his, vt in aliis longe a nostro sensu & prouidentia remotis, veterum testimonia libenter sequor, quodque maximi in talibus momenti arbitror, consentientem sapientum auctoritatem, vbi præsertim nullam idoneam video rationem qua infringi possit. Quod enim video obiici posse, vnicumque censuræ illius tam inclementis fundamentum esse videtur; solius esse Dei illuminare hominum mentes ad peruidenda rerum futurarum arcana; non esse autem credibile, feminam dæmonum cultui manci-

mancipatam tali munere dignatam fuiſſe ; illa quæ nomine illius vaticinia circumferuntur, eiusmodi eſſe, vt ſi multo ante rerum euentus edita credantur, non potuerint aliunde niſi ab ipſa æternitate demitti, quod a femina ethnica omnino alienum cenſent : id ergo relinqui, vt poſterius ab otioſis hominibus conficta credantur ; hoc inquam, inualidum eſſe fundamentum infra oſtendam.

Hæc non ita dico, quod pertendam, omnia quæ Sibyllæ adſcribuntur genuina illius eſſe effata ; abſit ; id volo, cum in hoc genere multa veris falſa inſerta ac ſuppoſita eſſe conſtet, acerrimo opus eſſe iudicio ad conſtituendam aliquam rationem quam ſequi debeamus, ne temere quæ ſunt genuina explodamus, ficta amplectamur. Hæc autem ex Plutarcho afferre viſum eſt tum propter tanti ſcriptoris auctoritatem, tum quia ex his apparet, nullam in rebus humanis maioris momenti accidiſſe mutationem, quam non longe ante in conſpectu habuerit. Quod euidentius adhuc ex his quæ ſum dicturus patebit.

CAPVT VI.

Alia Sibyllinæ diuinationis proprietas apertius declaratur.

SUnt alia apud antiquos auctores Sibyllæ oracula, ſuo cuique ſtudio & induſtria obſeruanda ;

uanda; vel potius legenda apud eos, qui pridem in his colligendis diligentiam suam ostendere voluerunt. Cæterum ex iis, quæ modo ex Plutarcho exposui, intelligi potest, qualis fuerit character Sibyllinæ diuinationis. Hæc enim aut tota aut ex parte versata est in prodigiis, quæ quoque tempore euentura essent, notandis, tum explanandis sacrorum ritibus, quibus placanda ex his impendens deorum ira, clades auertendæ essent. Clarum id ex Romanæ historiæ monumentis, & scriptoribus eius gentis: quorum aliquot loca & prompta ex iis exempla subiungere haud abs re fuerit. Terentius quidem Varro in præfatione librorum de re rustica testatur his verbis; supra quidem libro primo huius tractationis a me allatis, & denuo hic recitandis: *Neque patiar Sibyllam non solum cecinisse quæ, dum viueret, prodessent hominibus, sed etiam quæ cum periisset ipsa; & id etiam ignotissimis quoque hominibus. Ad cuius libros tot annis post publice solemus redire, cum desideramus quid faciendum sit nobis ex aliquo portento: me ne dum viuo quidem, necessariis meis quod prosit, facere.* Et hoc quidem de causa, propter quam adiri soleret ad Sibyllæ libros, obiter & in transcursu Varro, non tamen sine magna auctoritate.

Cicero ex professo & copiose idem in primo de diuinatione ostendit. Quo loco & responsa aruspicum cum Sibyllæ versibus congruisse testatur; idque non in vno tantum prodigio, sed

in omnibus, quæ quodam tempore accidiſſent. Locum eum omnino adſcribendum cenſui: eſt enim notatu dignus & magni inprimis ad hanc rem momenti: *Ad noſtra iam redeo. Quoties Senatus decemuiros ad libros ire iuſſit?* Hic primum obſerua, vt *libros* ſimpliciter appellet, quibus Sibyllæ vaticinia continebantur: quo pacto nos Biblia vocamus, quibus totius religionis noſtræ & diuinæ ſapientiæ arcana traduntur. Sed reliqua videamus. *Nam & cum duo viſi ſoles eſſent, & cum tres lunæ, & cum faces, & cum ſol nocte viſus eſſet, & cum ex cælo fremitus auditus, & cum cælum diſceſſiſſe viſum eſt, atque in eo animaduerſi globi. Delata etiam ad Senatum labes agri Priuernatis, cum ad infinitam altitudinem terra diſceſſiſſet, Apuliaque maximis terræ motibus conquaſſata eſſet: quibus portentis magna populo Romano bella, pernicioſæque ſeditiones denunciabantur. Inque his omnibus reſponſa aruſpicum cum Sibyllæ verſibus congruebant.* Eodem loco poſt aliorum prodigiorum enumerationem ſubdit: *Nonne & aruſpices ea reſponderunt, quæ euenerunt; & in Sibyllæ libris repertæ eædem prædictiones ſunt?*

His locis manifeſtum fit id quod dixi, de ratione & conditione Sibyllinæ vaticinationis; hanc ſcilicet in iis ipſis verſatam, de quibus aruſpices reſpondere ſolerent. Quod autem mos eſſet, ſi quæ prodigia & oſtenta viſa alicubi eſſent, ire ad aruſpices, ſciſcitari eorum ſententiam

tiam de iis portentis, quid agendum esset, quibus sacris procurari deberent, tot apud auctores loca extant, quibus id demonstrari potest, vt vanum mihi videatur in re manifesta diligentiam velle ostendere. Pergamus igitur, & quod propositum est aliorum auctorum non minus grauium testimoniis confirmetur. Ita igitur Plinius lib. 7. cap. 25. *Subsedit in Cumano arbor graui ostento, paulo ante Pompeii Magni bella ciuilia paucis ramis eminentibus. Inuentum Sibyllinis libris, internecionem hominum fore, tantoque eam maiorem, quanto propius ab vrbe post ea facta esset.* Et lib. 11. cap. 29. vbi de locustarum maleficio agit: *Italiam* (inquit) *ex Africa maxime coortæ infestant, sæpe populo ad Sibyllina coacto remedia confugere inopiæ metu.* Vbi Sibyllina remedia appellat præcepta in iis libris scripta de iis, quæ ad placandam deorum iram, calibus inusitatis signis denunciatam, fieri deberent. Nec dubium quin & fames inter portenta, vt ibi, referri debeat. Ita quidem & Julius Obsequens in libro de prodigiis cap. 60. accipit: *Ex Sibyllinis supplicatum cum sex mensibus non pluisset.* Præterea cap. 72. *Pestilentia fameque ita laboratum, vt ex Sibyllinis populus circa compita sacellaque operaturus sederit.* Idem de aliis prodigiis cap. 42. *Crebro de cælo lapidatum est: lectis igitur Sibyllinis, inuentum est, tunc demum hostem alienigenam, qui terræ Italiæ bellum intulisset, pelli Italia posse, si Idæa mater*

ex Pessinunte Romam adueheretur. Idem obseruare licet in Taciti annalibus lib. 15. vbi de incendio vrbis : *Mox petit* (Nero) *a diis piacula, aditique Sibyllæ libri, ex quibus supplicatum Vulcano & Cereri Proserpinæque, ac propitiata Juno per matronas, primum in capitolio, deinde apud proximum mare.* Nec minus confirmant, quæ ex veterum monumentis refert Lactantius lib. 2. de origine erroris cap. 4. *Denique Gracchanis temporibus, turbata republica & seditionibus & ostentis, cum repertum esset in carminibus Sibyllinis, antiquissimam Cererem debere placari, legati sunt Ennam missi.* Vnum addam ex Liuio & Plutarcho, ex quo maxime intelligi potest, non modo quibus de rebus potissimum Sibylla, sed & quali afflata genio vaticinaretur. Verba Liuii hæc sunt lib. 2. Decade 3. *In negotio Vestalium, quarum duæ stupri compertæ fuerunt, cum id facinus in prodigium versum esset, decemuiri libros adire iussi sunt. Et Q. Fabius Pictor Delphos ad oraculum missus est, sciscitatum quibus precibus supplicationibusque deos possent placare, & quænam futura finis tantis cladibus foret. Interim ex fatalibus libris sacrificia aliquot extraordinaria facta : inter quæ Gallus & Galla, Græcus & Græca, in foro boario sub terram viui demissi sunt in locum saxo conseptum, ibi ante hostiis humanis minime Romano sacro imbutum.*

Meminit & Plutarchus in problematis Romanis nefariæ huius superstitionis & cruenti sacri, non

non ſine graui Romanorum cenſura, qui id facere ſuſtinuiſſent, quod in aliis gentibus palam, vt par eſt, damnarent, atque etiam in Bletoneſiis vindicandum cenſuiſſent. τῆς δὲ πράξεως δεινῆς φανείσης, ἔδοξεν ἀναιρεῖσθαι τὰ Σιβύλλεια τοὺς ἱερεῖς· εὑρεθῆναι δέ φασι χρησμοὺς ταῦτά τε προδηλοῦντας ἀλλοκότοις τοῖσι δαίμοσι καὶ ξένοις. ἀποτροπῆς ἕνεκα τοῦ ἐπιόντος προέσθαι δύο μὲν Ἕλληνας, δύο δὲ Γαλάτας ζῶντας αὐτόθι κατορυγέντας. id eſt, *Quod enim indignum facinus viſum eſſet, placuit vt ſacerdotes libros Sibyllinos conſulerent. In his vero reperta aiunt oracula, quibus cum eadem prædicerentur, vt in perniciem ceſſura: tum quæ iuberent duos homines Græcos & totidem Gallos extrancis deuouere numinibus & peregrinis dæmonibus, mali auerruncandi cauſa.* Quo ſane vel vno exemplo patet, non recte iudicaſſe beatum Auguſtinum, cum lib. 18. de ciuitate Dei cap. 23. Sibyllam Erythræam ſiue Cumanam nihil in toto carmine ſuo habere cenſet, quod ad falſorum deorum cultum pertineat. Quod poſt loca allata a nobis de iis, quæ Sibylla facienda præciperet, ſi in dubium vocari poſſet, plenam fidem acciperet hiſce locis Plinii ita prodentis lib. 7. cap. 35. de Sulpitia Paterculi filia, vxore Q. Fuluii Flacci: *electa* (inquit) *ex centum præcipuis, quæ ſimulacrum Veneris ex Sibyllinis libris dedicaret.* Quod ipſum & Valerius Maximus confirmat lib. 8. cap. 16. Sed & altero eiusdem loco lib. 14.

 cap. 29.

cap. 29. de priscorum Romanorum obseruatione: *Iidem Floralia IV. Cal. eiusdem* (mensis Maii) *instituerunt Vrbis anno quingentesimo sexto decimo, ex oraculis Sibyllæ, vt omnia bene deflorescerent.* Ne quid vsquam esset vacuum superstitione in natura, ac solis ipsius cursum vimque terræ & benignitatem festorum insania Sibyllæ oraculo traheret. Quid plura? Vrbes etiam quibusdam locis Sibyllæ monitu conditæ. Auctor idem Plinius lib. 3. cap. 17. *Oppidum Eporedia Sibyllinis libris a populo Romano condi iussum.* Sed de his satis.

Hæc autem afferre visum est, vt intelligatur, qualis Sibyllæ diuinatio fuerit, quidue ipsa ab aliis vatibus differret. Apparet enim non vnius nationis fuisse Sibyllam, sed omnium, & plane mundanam: præterea non simpliciter prædixisse, quæ euentura essent, sed quatenus significata prodigiis & terroribus; cum perpetuo ad vnumquemque euentum quid portenderet mali, & quibus sacris dii propitiandi essent, diceret, hocque modo magis ac magis superstitionem confirmaret: vt non immerito Casaubonus exercitat. XI. ad apparat. Annal. Baronii Num. 20. scripserit: *Nihil unquam ex illis libris* (Sibyllinis) *prolatum, quo gentium error & ille insanus dæmonum cultus non confirmaretur, aut etiam noua accessione impietatis non augeretur.*

CAPVT

CAPVT VII.

An, quæ Sibyllæ nomine ferebantur, oracula a quibusdam impostoribus in occulto scriberentur, & pro oraculis deinde populis obtruderentur.

HOc etiam argumento intelligi potest, non fuisse hæc, quæ pro Sibyllinis proponerentur populis, omnia quorumdam fraude conficta, vt Scaligero supra laudato & aliis visum est. Quis credat, alicui homini in mentem venire posse, vt si oracula fingere velit, sic illa componat, vt homines insontes virginesque & pueros iugulari, aut viuos terræ infodi reipublicæ caussa præcipiat? vt cuiquam, nullo odio impulsus, tam horrendæ in proprium genus crudelitatis auctor esse velit? Quam sæpe vatum monitu cæsæ sint humanæ hostiæ, historiarum veterum monumenta fidem faciunt. Res adeo nota, vt exempla superfluum putem referre. Noti sunt Lucretii Epicurei versus, quibus religionem ob hæc sacra infanda, vt scelerum auctorem, impugnat:

quin contra sæpius olim
Relligio peperit scelerosa atque impia facta,
Aulide quo pacto Triuiai virginis aram
Iphianassæo turparunt sanguine fœde,
Ductores Danaum &c.

 Sed

Sed & talium exempla olim in ſcholis rhetorum vulgata & declamationibus celebrata fuiſſe ex Petronio diſcimus, vbi de vmbraticis illis declamatorum nugis agit: in quibus & *reſponſa* commemorat *in peſtilentiam data, vt virgines tres aut plures immolentur* &c. Hæc profecto immanitas in hominem non cadit, niſi a cacodæmone afflatum; neque ipſe Plutarchus negare potuit, confeſſus in ſylloge Quæſtionum Romanarum, eiusmodi oraculorum auctores fuiſſe dæmones, non quoslibet, ſed ἀλλοκότους καὶ ξένους, hoc eſt, *alienos a nobis & peregrinos.* Ex quo efficitur, Sibyllam quoque ipſam, cuius ſimilia reſponſa feruntur, non humano conſilio, ſed dæmonis infenſi hominibus afflatu concitatam talia ſcripſiſſe. Præterea, qui potuiſſent fictis tam certo reſpondere euenta rerum? Quod enim, qui hæc ficta volunt, oraculorum ambiguitatem cauſantur, rem tam veris quam fictis oraculis communem afferunt. Cæterum non omnibus ea fuit ambiguitas, vt quo ſpectarent non rebus poſtea manifeſtis palam fieret. In oraculo quod Græcis datum bello Perſico, quo iuſſi Athenienſes ligneis muris vrbem munire, perplexitas inceſſit, qui muri lignei intelligi deberent. Aliis alia cogitantibus, ſolus Themiſtocles verum oraculi ſenſum perſpexit. Num igitur propterea putandum eſt, confictum id oraculum fuiſſe Themiſtoclis conſilio, ac Delphis pronunciatum a Pythia ex compacto? Nemo quidem dixit

hacte-

hactenus; ſed fieri non potuiſſe intelliget, qui hiſtoriæ illius momenta omnia ſedulo expendet. Tum ex aliis reſponſis certo demonſtrari poteſt: quæ cum multa ſint, diligentius perquire atque expendere non eſt præſentis temporis. Solum, quod maxime negotium facit & multorum incredulitatis fundamentum eſſe arbitror, expendam ac remouere conabor. Nempe vnius Dei, qui vt omnium auctor & principium, omnium, quæ ſunt, rationes in ſua æternitate continet, munus ſingulare eſſe ſcientiam futurorum dicunt. Quod igitur Dei proprium, qui fieri poteſt vt Dei hoſtes dæmones ſuis cultoribus conferant? Neque enim iis innata eiusmodi ſcientia eſſe poteſt, quam Dei eſſe propriam omnes fatentur; neque Dei munere iisdem tribui, qui, vt ait Judas Apoſtolus, non ſeruauerunt principatum ſuum, quos Deus in iudicium magni diei vinculis æternis ſub caligine reſeruat. Quod autem aliquis non habet, quomodo aliis largiatur? Hæc niſi fallor præcipua eſt ratio derogandi fidem Sibyllinis, & aliis priſcorum vatum reſponſis.

Sed qui ſic diſputant, non ſatis conſiderant eminentiam & amplitudinem virtutis diuinæ, quæ tanta eſt vt nullam non partem vniuerſi attingat, moueat, gubernet, modo congruenti. Non enim, vt multa ſunt finitæ rerum creatarum virtuti inuia, ſic diuinæ; ſed hæc, vt omnium domina, nihil abs ſe omnino alienum

esse voluit. Itaque ne ipsa quidem damnatorum spirituum natura ita est a Deo aliena, vt nihil diuini luminis & sapientiæ ad eos vnquam perueniat. Sunt sane cacodæmones ejusdem cum angelis sanctis naturæ participes, nihil ab iis quod naturam attinet differentes. Proinde vt illi ex proprii gradus nobilitate lumini semper diuino patent, ad nonnullas de futuris, prout Deo visum est, excipiendas notiones, quas hominibus tradant: sic & mali dæmones nonnullis afflari interdum eiusdem veritatis supremæ radiis, ad quædam præsciscenda futurorum contingentium, mirandum non est: cum id naturæ eorum gradus & rerum ordo postulet. Estque hæc consideratio satis consentanea iis quæ habet beatus doctor Thomas Aquinas in secunda secundæ partis quæst. 172. artic. 5. & 6. *Supra intellectum humanum est non solum intellectus diuinus, sed etiam intellectus angelorum bonorum & malorum secundum naturæ ordinem. Et ideo quædam cognoscunt dæmones etiam sua naturali cognitione, quæ sunt remota ab hominum cognitione, quæ possunt hominibus reuelare.* Quod postquam de naturali eorum cognitione proposuit, deinceps de ea quæ iisdem ex diuina reuelatione, aut beatorum angelorum illustratione, circa res futuras contingit, sequenti articulo in hunc modum sciscit: *Deus vtitur etiam malis ad vtilitatem bonorum: vnde & per prophetas dæmonum aliqua vera prænunciat; tum*

tum vt credibilior fiat veritas, quæ etiam ex aduersariis testimonium habet; tum etiam quia cum homines talia credunt, per eorum dicta magis ad veritatem inducuntur. Vnde etiam Sibyllæ multa vera prædixerunt de Christo. Sed etiam quando prophetæ dæmonum a dæmonibus instruuntur, aliqua vera prædicunt: quandoque quidem virtute propriæ naturæ, cuius actor est Spiritus Sanctus; quandoque etiam reuelatione bonorum spirituum. Et sic etiam verum, quod dæmones enunciant, a Spiritu Sancto est. Hæc eo loco diuinus ille magister, quem in iis quæ ad contemplationem attinent, merito coryphæum & scholæ angelum dici, & semper venerandum censeo.

Cur autem ab angelis beatis, vel etiam Spiritu sancto dæmones interdum fiant compotes veritatis de futuris contingentibus, aliquam oportet esse rationem, quam beatus ille doctor non declarat, neque is quem testem citat Augustinus, theologorum aquila. Dæmonem post primi hominis lapsum vniuersi generis humani imperium vsurpasse, omniumque qui exinde in ortum venerunt rectorem & dominum se gessisse, extra controuersiam est: cum Scriptura id palam testetur, hocque fundamento religio nitatur. Iustum enim est regnum eius cui se multi sponte submittunt. Quod Adamum fecisse legimus, cum dæmoni auscultans dictisque eius potius quam Dei credens, fidei eius se vltro com-

commisit. Quo pacto in eius potestatem incidit, pressusque est eius tyrannide, a qua non potuit liberari nisi per Christum: qui hac causa hominis naturam sumpsit, vt posset mori pro homine: quod & fecit; & injuria occisus dæmonis impulsu & fraude, cui increduli Judæi ministrabant, cum esset innocentissimus, damnato expulsoque diabolo, ipse a morte, quam non merebatur, resurrexit, tum cæteris hominibus sibi fide in vnum corpus adiunctis similem reditum & immortalitatem abstersa delictorum labe commeruit. Ad eum igitur diem, quo passus est pro hominibus Christus, supremam in hominis potestatem dæmon exercuit; eos scilicet qui Deum ignorabant, & in tenebris antiquis versantes quo se conferrent, quidue spei hominibus relictum esset, nesciebant: quam omnium gentium a mundi exordio vsque ad Christi aduentum conditionem fuisse constat.

Hincque est quod Christus bis in Johannis euangelio diabolum *principem huius mundi* vocat; & Apostolus *rectores harum tenebrarum* dæmones appellat. Cum ergo earum gentium diabolus princeps dominusque esset, consequens fuit, vt nihil illi deesset earum rerum, quæ viderentur necessariæ ad regnum tuendum, quod in homines adeptus fuisset. In his vel præcipuam fuisse aio aliquam cognitionem futurorum contingentium: vtpote qua maxime opinio-

opinionem diuinitatis apud omnes consequi posset. Est enim communis hæc hominum persuasio, propriam esse Dei hanc cognitionem; quod constat experientia, neminem scire posse suopte ingenio & prudentia, quid sibi impendeat boni vel mali, aut aliis, in futuro tempore. Hinc igitur est, quod tot priscis seculis dæmon vates tot loca oraculis famosa habuit. Nimirum intellexit, quanti hæc reuelatio futurorum momenti esset allatura ad fidem gentilibus diuinitatis suæ faciendam; quæ nisi crederetur, non erat cur templa illi & aras homines dicarent, cur eum colerent, illi immolarent, & reliqua cultus diuini exhiberent.

Hanc igitur scientiam futurorum sibi semper arrogauit superbissimus dæmon, tum eius se esse compotem variis artibus persuadere hominibus studuit; partim quæ futura essent incredibili illa, qua pollet, sagacitate coniiciens; partim inuoluens ambagibus verborum, ne, quamcumque in partem euentus cessisset, mendacii redargui posset. Verumtamen in his multa vidisse ac prædixisse vera, Deo concedente, cum historiarum monumenta fidem faciunt, tum rerum ordo, quem Deus in omnibus constituit, demonstrat. Vnde enim tam certa dæmon de futuro prænunciare potuisset, nisi Deus illi etiam adesset? Hoc igitur ea, quam dixi, ratione factum putandum est, ne quicquam eorum,

rum, quæ dæmonis regno conuenirent, a Deo contra ordinem rerum & consequentiam denegatum viderent. Quæ est autem hæc consequeñtia? Vt hominis primi facinus non in ipso tantum, sed etiam in maxima hominum parte vindicaretur. Quid enim iustius fieri potuit, quam id iugum ferre hominem, quod sibi arbitrio proprio imposuisset? Hac igitur ratione probe intellecta cessat omnis scrupulus, appareteque non esse alienum a dæmone, hunc de quibusdam futuris contingentibus, Deo concedente, certa oracula promere: cum quædam illi diuinitus concessa olim fuisse in sacris libris legamus; vt virum sanctum Job iis infortuniis mactare quæ in volumine nomine eius conscripto legimus: item transire in porcos & totum gregem fluctibus mergere, vt illi concessum fuisse iñ Euangelio legimus: immo vero, quod omnem superat audaciam, ipsum Dei filium rapere in templi Jerosolymitani fastigium, atque inde in montem excelsum. Quæ & alia non minus stupenda cum Deum cacodæmoni annuisse legamus, cur quorumdam, quæ euentura essent, concessam illi aliquando scientiam negemus, in pœnam eorum, qui prauissimis opinionibus atque omni vitiorum colluuie corrupti talis seruitutis iugum merebantur, vt magis ac magis erroribus implicarentur? Non magis profecto mirum videri debet, Deum reuelare malis geniis aliquid rerum futurarum, quam eius pote-

stati

ſtati tot nationes florentiſſimas tam longo ſeculorum decurſu permittere, numinis titulo atque auctoritate regendas; quod eſſe factum, & nunc fieri in maxima orbis parte, certiſſima literarum monumenta & recentes hiſtoriæ teſtantur.

Quod cum mecum attentius reputo, ſatis mirari non poſſum, Patrum nonnullos tantum laboris ſumere inſitis diſputationibus contra gentes, vt probent, nihil Apollinem vidiſſe de futuris euentis, ac dæmonum oracula omnia falſa fuiſſe, vel certe quibus rerum exitus reſpondiſſet, fortuito & caſu quodam id accidiſſe. Ita quidem Theodoritum Cyri epiſcopum in erudito opere quod curationem Græcarum affectionum appellat, æſtuantem videmus in re minime neceſſaria, dum oraculis antiquis omnem fidem abrogare conatur: ceu in hoc Chriſtianæ religionis prora & puppis, quod aiunt, verſetur, ſi oracula illa omnia falſa fuiſſe probentur. Quem inanem eſſe metum abunde ſupra oſtendimus. Neque porro ad rem pertinet, quod idem Theodoritus obiicit, de falſitate oraculorum. Neque enim pertendimus, ſemper dæmonem vera dicere, cum ſit mendax, præſertim de futuris; ſed hoc volumus, non illi eſſe negatum verum aliquando dicere; prout illi Deus tribuit vera loqui, cum de præſentibus occultis, tum de futuris quæ ex illo homines ſciſcitantur. Quod autem id tenentes ne latum quidem digitum, quod

quod aiunt, a recepta theologorum doctrina recedamus, locus supra citatus ex Thomæ summa declarat. Immo hoc ipsum est, quo discerni veri prophetæ a prophetis dæmoniorum possunt; quod illi semper vera dicunt, hi aliquando falsa. Ita idem Thomas ibi ex Chrysostomo.

CAPVT VIII.

An prisci vates, qui in gentibus responsa dabant, temere & fortuito futurorum euentuum veritatem attigerint.

NOn est proinde quod iis accedamus, qui propterea quod dæmon non semper vera de futuris contingentibus pronunciat, sed falsa interdum, & plane fassus fuisse deprehenditur, exinde inferunt, non nisi casu vera aliquando dicere: ac temere nominum & verborum de omnifariis rerum euentibus multitudinem effutire vates, ac in immensum tempus, velut in mare profundum, demittere atque dispergere, quo verba illa cadant securos; casu autem fieri vt quædam interdum in id incidant quod vere euenturum est. Ita Boethus Epicuri sectator apud Plutarchum de Sibyllæ & aliorum vatum responsis disserens inducitur, congruenter scilicet disci-

disciplinæ quam profitebatur. Σίβυλλαι δὲ, αὖται καὶ Βάκιδες, ὥσπερ εἰς πόντον ἀτεκμάρτως τὸν χρόνον κατέβαλον καὶ διέσπειραν ὡς ἔτυχε παντοδαπῶν ὀνόματα καὶ ῥήματα παθῶν καὶ συμπτωμάτων. ὅις γινομένων ἐνίων ἀπὸ τύχης, ὁμοίως ψεῦδός ἐστι τὸ νῦν λεγόμενον, κἂν ὕστερον ἀληθῶς εἰ τύχοι γένηται. Sed & Diogenianum citat Theodoritus dicto loco eadem sententientem: νῦν δὲ τοσοῦτοι τοῖς εἰρημένοις προσθήσω, ὅτι μάλιστα μὲν τὸ ἀληθεύειν ποτὲ τοὺς καλουμένους μάντεις ἐν ταῖς προαγορεύσεσιν, οὐκ ἐπιστήμης, ἀλλὰ τυχικῆς αἰτίας ἔργον ἂν εἴη. οὐ γὰρ τὸ μηδέποτε τοῦ προκειμένου τυγχάνειν, ἀλλὰ τὸ μὴ πάντοτε, μηδ᾽ ὡς ἐπιτοπλεῖστον, μηδ᾽ ὡς ἐξ ἐπιστήμης, ὅταν τις καί ποτε τυγχάνῃ καλεῖν προειλήφαμεν, οἱ διειληφότες τὰς ὑφ᾽ ἕκαστον ὄνομα τεταγμένας ἐνεργεῖς ἐννοίας ἑαυτῶν. id est, *Nunc vero tantum hoc superius dictis adiiciam, quod si quando veri inuenti sunt in suis prædictionibus ii, qui vates appellantur, nullius quidem scientiæ sed fortunæ opus id fuit. Haud enim fortunæ opus appellandum censemus, si quis nunquam propositum sibi finem assequatur, sed si non semper, nec plurimum, verum raro citraque scientiam assequatur, distinguentes singulis nominibus attributas manifestasque animi nostri conceptiones.* Hæc ex Diogeniano Theodoritus. An autem illo, qui genere Pergamenus, Plutarchi suppar, & vt verisimile est, amicus, quippe in eorum numero, quos in Sympofiacis laudat; aut alio; aliis considerandum relinquo.

Verum huius opinionis vanitatem Serapion ex eadem Plutarchi diſputatione ſtrenue redarguit, cuius verba ſuperioribus adiungere viſum eſt: Τοιαῦτα τοῦ Βοήθου διελθόντος, ὁ Σεραπίων, δίκαιον, ἔφη, τὸ ἀξίωμα περὶ τῶν οὕτως λέγει Βόηθος ἀορίστως καὶ ἀνυποθέτως λεγομένων· εἰ νίκη στρατηγῷ προείρηται, νενίκηκεν· εἰ πόλεως ἀναίρεσις, ἀπόλωλεν· ὅπου δὲ οὐ μόνον λέγεται τὸ γενησόμενον, ἀλλὰ καὶ πῶς, καὶ πότε, καὶ μετά τι, καὶ μετὰ τινος, οὐκ ἔστιν εἰκασμὸς τῶν τάχα γενησομένων, ἀλλὰ τῶν πάντως ἐσομένων προδήλωσις. id eſt, *Hæc cum Boethus diceret: vera eſt, inquit Serapio, hæc ſententia de iis, quæ ita prædicuntur, ſicut Boethus dixit, indefinite & incerto argumento: puta, ſi vicit imperator, cui prædicta fuit victoria; ſi vrbs deletur, cui excidium prædictum eſt. Vbi autem non modo quid futurum ſit, ſed etiam quomodo, quando, qua occaſione, quo auctore, prædicitur; non eſt hoc coniectatio eius quod fortaſſe futurum eſt, ſed certo futuri prædictio.* Hæc eſt igitur ſolutio: non poſſe dici fortuitum quod non ſimpliciter affirmatur futurum, ſed iis adiunctis ſignatum atque definitum, quibus particularia indicari ſolent & quaſi digito monſtrari, nempe loco, tempore, modo, perſonarum differentiis. Quod genus prædictionis non ſcientia, ſed ſolo numinis afflatu hominibus comparari Ptolemæus in centiloquio fatetur his verbis: οὐ γὰρ δεῖ δυνατὸν, τὸν ἐπιστήμονα τὰς μερικὰς ἰδέας τῶν πραγμά-

γμάτων ἀναγ{γ}εῖλαι. Et paulo post: *μόνοι γὰρ οἱ ἐνθουσιῶντες περιλέγουσι καὶ τὰ μερικά. Neque enim fieri potest, vt aliquis sola scientia humana fretus particulares rerum differentias prænunciet. Soli etenim numine afflati & diuino furore correpti prædicunt particularia.*

Quod autem & Sibylla & Pythiæ multa hoc modo, hoc est, distincte & particularibus signata differentiis futura prænunciarint, exemplis deinceps ostendit Plutarchus: in quibus & illud oraculum affert, quod Lacedæmoniis prolatum fuit, tunc cum Agesilaus & Leotychides inter se contenderent, vter Archidamo patri in regnum succederet. Cuius oraculi multa fit mentio in monumentis Græcorum, Xenophontis tertio Ἑλληνικῶν, Pausaniæ Laconicis, Plutarchi Agesilao. Est autem eiusmodi:

> Φράζεο δὴ Σπάρτη, καίπερ μεγάλαυχος ἐοῦσα,
> Μὴ σέθεν ἀρτίποδος βλάψῃ χωλὴ βασιλεία.
> Δηρὸν γὰρ μόχθοι σε καταχήσουσιν ἄελπτοι,
> Φθισίβροτόν τ' ἐπὶ κῦμα κυλινδομένου πολέμοιο.

id est,

> *Sparta caue, quamuis alte te gloria tollit,*
> *Rex validæ tibi det pedibus ne incommoda claudis.*
> *Namque insperatos cogeris ferre labores,*
> *Pestiferosque diu belli subsistere fluctus.*

Neque est quod fictum e re nata id oraculum tunc suspicemur; propterea quod Plutarchus tradit, a Diopithe quodam istud fuisse propositum super ea contentione, quæ tunc in partes ciuitatem scindebat; aliis Agesilao regnum decernentibus, aliis Leotychidi: Diopithes autem in Leotychidæ partibus fuisse videri possit. Verum quæ eo loco scribit Plutarchus eam suspicionem facile a Diopithe depellunt. Ην δὲ Διοπείθης ἀνὴρ χρησμολόγος ἐν Σπάρτῃ, μαντειῶν τε παλαιῶν ὑπόπλεως, καὶ δοκῶν περὶ τὰ θεῖα σοφὸς εἶναι καὶ περιττός· οὗτος οὐκ ἔφη θεμιτὸν εἶναι χωλὸν γενέσθαι τὸν Λακεδαιμονος βασιλέα, καὶ χρησμὸν ἐν τῇ δίκῃ τοιοῦτον ἀνεγίνωσκε. id est, *Erat Diopithes vates Spartæ, vir veterum oraculorum memoria abundans tam magna pollens auctoritate apud populum, quod maiorem rerum diuinarum cognitionem & sapientiam præ aliis omnibus adeptus videretur. Is fas esse negabat claudum Lacedæmone regem creari, & tale in ea lite vaticinium proferebat.* Ita regnum Agesilao, qui claudus erat, derogari eo oraculo monebat iste Diopithes; quem vt dixi, tam prolixum & honorificum Plutarchi testimonium suspicione omni fraudis liberat. Cui si locus fuisset vllus, profecto non præteriisset tam perspicacis prudentiæ virum, tam rigidum censorem omnis fraudulentiæ, & superstitionis, quam singulari volumine impugnandam censuit, implacabilem hostem, si qu

vnqua

vnquam fuit. Idne in re tanti momenti diſſimulaſſet tam acris tam ſeueri ſupercilii philoſophus, ſi ſuſpicioni locum vllum eſſe putaſſet?

Atqui alias non parcere ſolitum cenſuræ in tales impoſtores, locus oſtendit in Nicia: vbi de concionibus agit, quas tunc Athenienſes de Siculo bello habebant, tum oppoſitis Niciæ & Alcibiadis factionibus: illo vehementer id bellum disſuadente; hoc omni vi inſtante vt ſuſciperetur. Cum enim vates aliquot & ſacerdotes idem quod Nicias cenſerent, Alcibiades alios habebat vates, & oracula de eo bello ſuſcipiendo in medium proferebat; nempe falſos aut pecunia corruptos vates, ficta oracula. Καί τοι λέγεται πολλὰ καὶ παρὰ τῶν ἱερέων ἐναντιοῦσθαι πρὸς τὴν στρατείαν· ἀλλ᾽ ἑτέρους ἔχων μάντεις ὁ Ἀλκιβιάδης, ἐκ δή τινων λογίων προὔφερε παλαιῶν, μέγα κλέος τῶν Ἀθηναίων ἀπὸ Σικελίας ἔσεσθαι. Etſi enim homo Græcus, nobiliſſimum Græciæ imperatorem expreſſe non taxat impietatis; tamen iis, quæ deinceps ſubiungit, ſatis nefariam eius viri in oraculis fingendis ambitionem & perfidiam declarat; oraculi, quod ſub idem tempus Athenienſibus redditum fuit, mentionem faciens: quo jubebantur Clazomenis accerſere Heſychiam Mineruæ ſacerdotem: Χρησμοῦ δέ τινος κελεύοντος αὐτοὺς ἐκ Κλαζομενῶν τὴν ἱέρειαν τῆς Ἀθηνᾶς ἄγειν, ἐκαλεῖτο δ᾽ Ἡσυχία, καὶ τοῦτο

ἦν, ὡς ἔοικεν, ὁ παρῄνει τῇ πόλει τὸ δαιμόνιον, ἐν τῷ παρόντι τὴν ἡσυχίαν ἄγειν. id est, *Quodam vero oraculo iubente ipsos* (Athenienses) *Clazomenis euocare Mineruæ sacerdotem, quæ Hesychia vocabatur; idque erat profecto quod Deus ciuitati faciendum præcipiebat, vt in præsens quietem ageret.* &c. Est autem obscuritas in verbo ἄγειν. Græci namque τὸν δεῖνα ἄγειν dicunt pro *ducere* aut *euocare aliquem*: Sed & ἡσυχίαν ἄγειν *agere quietem*, hoc est, quiescere, cessare, alicui negotio supersedere. Vnde illis caligo. Nam cum Deus illis, cognominis sacerdotis symbolo, quietem imperaret; ipsi in personam intenti, mulierculam ad se nihil sibi profuturam vocarunt, quietem longe saluberrimam reliquerunt.

Sed & Socratici dæmonis testimonio eosdem Alcibiadis vates perfidiæ & fraudis euincit Plutarchus: quo instinctus de more Socrates eam expeditionem Atheniensium reipublicæ fore perniciosam, multos familiarium admonuit. Ita nulla ex hoc Plutarchi loco ratio sumi potest contra antiquas prædictiones.

Dissimulare tamen non possum, accidere interdum, vt ex duobus vaticiniis, quæ de eodem negotio proferuntur, quorum vnum ex certa futuri præuisione editum est, alterum fictum & casu effutitum, vtrum sit diuinum vtrum fictum distingui prorsus non possit: si nimirum ita res eueniat, vt prædictum est. Quædam

dam enim fortuito iaci interdum ab imprudentibus per modum vaticinii, quæ nihilo aliter eueniant acsi vere præuisa fuissent, negandum non est: cum præsertim huius rei testis Augustinus, notis sibi & recentibus exemplis verum esse confirmet lib. 12. de Genesi ad literam his verbis: *Vigilantibus etiam, neque vllo morbo afflictis, nec furore exagitatis, occulto quodam instinctu ingestas esse cogitationes, quas promendo diuinarent, non solum aliud agentes, sicut Caiphas pontifex prophetauit, cum eius intentio non haberet voluntatem prophetandi, verum etiam id suscipientes, vt diuinandi modo aliquid dicerent, nouimus. Nam quidam iuuenes iocando, vt fallerent, vbi peregrini iter agebant, mathematicos se esse finxerunt, ignorantes omnino vtrum duodecim signa dicerentur. Qui cum hospitem suum mirari cernerent quæ dicebant, attestati esse verissima, audacius in plura progressi sunt. At ille attestans ad omnia mirabatur. Postremo ab eis de filii salute quæsiuit, quem diu absentem desiderabat, & quod inopinate tardaret, nequid ei accidisset, sollicitus erat. At illi non curantes quid post eorum abscessum veri cognosceretur, dum tamen in præsentia lætum hominem redderent, mox profecturi responderunt: saluum ac propinquantem, & eo ipse die, quo hæc loquebantur, esse venturum; neque enim metuebant, ne, cum dies peractus esset, eos ille redarguendos postridie sequeretur. Quid multa?*

X 4 Dum

Dum iam abire disponerent, ecce subito adhuc eis illic positis venit. Hæc ibi Augustinus; neque vno contentus exemplo aliud insuper profert, quod apud ipsum legat qui volet.

Hunc modum futura prædicendi idem Augustinus, vt visum est, *instinctum* vocat, impetum scilicet quendam dicendi scientiæ expertem. Quod genus prædictionis cum fortuitum censeatur, habet tamen suas causas, vel cælum, vel morbum, vel humorem quendam corporis, vel dæmonum ludibria; Suessano auctore in libro de prophetia cap. 12. Sed eo vnde sumus digressi reuertamur. Fit ergo, vt dicebam, confusio & perplexitas in prædictionibus, cum & quæ futura esse finguntur, & quæ ex vero afflatu & certa cognitione prænunciantur de iisdem rebus, ita eueniunt vt prædictum est. Quæ adhuc maior incidit perplexitas, cum duobus de eadem re promittentibus sese effari quod futurum est, vnus affirmat, alter negat: puta in exemplo supra allato, male cessuram Atheniensibus expeditionem contra Siciliam, quod vates alii dicebant; aut prosperam fore iisdem Atheniensibus & gloriosam, quod Alcibiadis arioli pollicebantur. Quamlibet enim in partem euentus caderet, necesse erat, eorum vatum aliquos vera dixisse: siquidem duarum propositionum de futuro contingenti necesse est alterutram esse veram vel falsam. Sic olim in circi Romani factio-

nibus

nibus de curſorum victoria, cum duorum ſpondentium neuter ſciret plane cui colori, Veneto an Praſino, palma ceſſura eſſet, ſemper tamen horum alteruter obtinebat ſponſionem.

Recte igitur Serapio ille apud Plutarchum dicto loco diſtinguit inter euentum, qui prædicitur ſine vlla circumſtantia aut particulari differentia, & euentum prænunciatum cum præſcriptione modi, temporis, loci, & aliis proprietatibus: illum ſcilicet prædicendi modum poſſe in veritatem incurrere citra vllum numinis afflatum, & plane caſu; non autem poſteriorem, qui ſic aliquid futurum denunciat, vt circumſtantias non omittat. Qualis modus eſt vaticinii de non eligendo in regem Ageſilao, quia claudus eſſet. Quod enim iſtud oraculum non fuerit fictum, & fraude ſuppoſitum a Diopithe, præter auctoritatem Plutarchi, qui ſic huius mentionem facit, vt minime ipſum falſi ſuſpectum habeat; magnum inſuper argumentum eſt, non fuiſſe in eo locum tali ſuſpicioni, quod nec Lyſander, qui in factione erat contraria & partibus Ageſilai impenſiſſime ſtudebat, neque ipſe porro Ageſilaus, nec cæteri earundem partium, quos magno numero ille ſibi virtutis commendatione adiunxerat, quicquam eiuſmodi ſuſpicati traduntur. Quo quid magis promptum obuiumque erat ad dicendum, præſertim Lyſandro, imperatorum illius temporis clariſſimo, maximæque tunc apud Lacedæmonios auctori-

tatis & potentiæ, & quod caput eſt, acerrimi ingenii viro, ſi quid eiusmodi Diopithi obiici potuiſſet, quo eius vaticinii fides in dubium adduci poſſet? Non tamen id facere auſus, ſed ita interpretatus eſt, vt in Leotychidem potius, qui non immerito adulterini ortus ſuſpectus erat, traheret. πρὸς ταῦτα Λύσανδρος ἔλεγεν, ὡς εἰ πάνυ φόβοιντο τὸν χρησμὸν οἱ Σπαρτιάται, φυλακτέον αὐτοῖς εἴη τὸν Λεωτυχίδην· οὐ γὰρ εἰ προσπταίσας τις τὸν πόδα βασιλεύοι, τῷ Θεῷ διαφέρει, ἀλλ' εἰ μὴ γνήσιος ὢν μηδὲ Ἡρακλείδης, τοῦτο τὴν χωλὴν εἶναι βασιλείαν. id eſt, *Ad hæc Lyſander dicebat: Si magnopere iſtud oraculum timerent Spartiatæ cauendum iis eſſe Leotychidem. Neque enim Deo curæ eſſe, ſi quis offenſo pede regnaret Lacedæmone, ſed ſi legitimus non eſſet hæres, neque familia Heraclidarum: tunc enim vere regnum claudicaturum.*

Maxime autem prædictionis illius ratio, & rerum exitus tanta fide reſpondens, admirationem mouere debet, ſi quis eorum temporum hiſtoriam nouerit. Quod enim tam aperte oraculo deſignatur Ageſilaus, dum metuendam Spartanis χωλὴν βασιλείαν vates edicit: iſtud tam proprium ſuſpicionem facit fraudis; at eorum, quæ ex regno claudo euentura prædicuntur, malorum euentus, hiſtoriarum omnium fide conteſtatus, talem profecto ſuſpicionem remouere debet. Cum enim iis tempo-

ribu

ribus, cum id oraculum a Diopithe prolatum fuit, Lacedæmonii, victis per Lysandrum Atheniensibus & tyrannide oppressis, maxime opibus & potentia florerent, nec modo in Græcia sed etiam in Asia armorum gloria & imperio vbique principes essent; quis tunc in animum induceret, aut suspicari posset, si Agesilaus regno potitus fuisset, futurum vt ea conuersio sequeretur, quæ postea accidit, & sub Agesilao tanto imperatore eas clades paterentur Lacedæmonii, quæ eorum potentiæ finem afferrent? Constat enim, eorum vires iis laboribus ac bellorum tempestatibus, quas prædicit oraculum, adeo fuisse attritas, vt nunquam valuerint postea resurgere ac pristinum imperium recuperare.

Δηρὸν γὰρ μόχθοι σε καταχήσουσιν ἄελπτοι.

Diu labores te insperati atque inopinati comprehendent.

Tum illud,

Φθισίβροτον τ' ἐπὶ κῦμα κυλινδομένου πολέμοιο.

Bello aduoluente fluctum hominibus exitialem. Nimirum vere clades eas ἀέλπτους dicit oraculum, quas tunc nemo prudentia vlla futuras suspicari posset, nemo nisi numine afflatus prænunciare. Huius tamen oraculi quis vates auctor fuisset non declarat Plutarchus, sed solum a Diopithe prolatum fuisse in causa principum: quod is oraculorum veterum, quæ vndi-

vndique ſtudioſe colligebat, promptuarium e ſet. Non ſolus vero Diopithes in id ſtudiur incubuit, ſed alii etiam complures: in quibu Alyrium, Herodotum, Philochorum, & Iſtrur Plutarchus nominat in libro de Pythiæ oraculi Quin philoſophorum omnium πολυμαθέστατ Porphyrius multa collegerat, eo conſilio vt e iis materiam atque opportunitates ad philoſo phandum caperet; qua de re liber ab eo compo ſitus extabat ita inſcriptus: περὶ τῆς ἐκ λογίω φιλοσοφίας, id eſt, *de philoſophandi modo ex ora culis*. Citant hunc cum alii Eccleſiæ patres, tun Theodoritus eo loco, qui a me ſupra eſt not tus, euidenti hallucinatione Zenobii Acciaol qui duas voces ἐκ λογίων iungens, atque ἐκ λογῶν legens, librum *de philoſophia electoru* paſſim vertit. Tantum ab eo abfuit Porphy rius, vt quæ priſcis temporibus oracula circum ferrentur, ab aliquo fingi potuiſſe arbitraretu Non fuit profecto tam veſanus Porphyrius, quæ commentitia eſſe ſuſpicatus eſſet, non mo do colligere, ſed & trahere ad philoſophic contemplationes ſuſtineret, & tam miſere oti ſuo abuti vellet. Hoc quidem de tali vir quis ſibi perſuadeat? Reſtat igitur, vt hunc v ritatis eorum oraculorum certum fuiſſe cred mus, ac certa habuiſſe indicia, quibus ficta ingenuis diſcerneret. Nam vulgus a nebulo nibus potuiſſe decipi nihil mirum; doctos qu dem & perſpicaces viros, qualis Plutarchus

Po

Porphyrius, & alii eius ordinis, potuisse, non arbitror.

Possem alia complura afferre prisco æuo reddita Sibyllæ, Pythiæ, & aliorum vatum oracula non minus admiranda, quorum veritatem nemo veterum suspectam habuit; sed vereor his recensendis diutius morari cordatos lectores: qui profecto si dictis animum intendere velint, cognoscent, non omnia antiquorum oracula fuisse commentitia, sed multa ex iis dæmonis afflatu rerum futurarum veritatem attigisse, Deo tribuente aliquando dæmonibus, vt vera hominibus in pœnam eorum impietatis & idololatriæ aperiat. Sed mihi de Sibyllini spiritus & oraculorum ratione consideranti dudum aurem vellit genius meus de Nostradamo Gallorum vate, si quidem vates fuit, celeberrimo editis carminum fatidicorum centuriis, quæ etiamnum circumferuntur. Huic quidem, si vatem vere fuisse concedimus, id fuerit commune cum Sibylla, quod non vnius temporis aut gentis res vaticinio attigerit, sed præcipuos omnium euentus incredibili sit numinis præsentia complexus, neque minus vates mundanus quam Sibylla dici mereatur. De cuius facultate cum varia admodum sint hominum iudicia, vt in tam occultis vsu venit, ac alii hunc vt Jouis arcanis admissum & futurorum omnium conscium & cælo delapsum venerentur & suspiciant, alii vt impostorem &

fatuum

fatuum explodant: non erit abs re, opinor, aut iniucundum lectoribus, quid de illo sentiendum putem deque eius vaticiniis, data occasione proferre.

CAPVT IX.

De Michaele Nostradamo & fatidicis eius centuriis iudicium.

PRimum de eius genere, natura, & studiis pauca: ex quibus nonnulla ad propositum coniectura sumi potest. Patria huic Salyum tellus fuit, quæ vulgo Prouincia antiqua appellatione dicitur: vrbe sancto Remigio. Pater Jacobus Nostradamus vrbis notarius, vt vulgo loquimur. Mater Renata de Sancto Remigio. Maiores bene versati in mathematicis & medicinæ scientia: quorum vnus Renati regis Jerusalem & Siciliæ, alter Joannis Calabriæ principis, Renato rege nati, medicus fuit. Quod suæ stirpis decus, ac sibi a maioribus velut per manus traditam disciplinarum mathematicarum peritiam ipse testatur. Harum studium exinde cum medicina coniunxit, vtrique vacans arti. Sed maxime astrologicis iudiciis & prædictionibus vltra ingenii humani captum innotuit, non solum popularibus & vulgo, sed etiam regi Henrico secundo & Catharinæ reginæ, duci item Allobrogum, & Margaretæ regis Henri-

Henrici sorori, doctissimæ heroinæ & literatorum fautrici. Ab iis principibus euocatus non semel, consultus, & in admiratione habitus fuit. Exinde & in archiatrorum albo, eorum qui ordinarii dicuntur, regis munere adscriptus. Erat autem doctor medicus Monspeliensis.

Natura fuisse melancholicum & ἐκστατικὸν vel scripta eius fidem faciant. Vt enim Theophrastus Heracliti Ephesii philosophi, qui σκοτεινὸς dictus est, obscuritatem, qua in scribendo vsus est, temperamento eius melancholico adscripsit : sic eidem causæ dicendi perplexitatem & negligentiam, quas in prosa etiam Nostradamus legentibus prima fronte obiicit, tribuendam putem. Quod autem melancholici diuinæ insaniæ, quæ prophetas facit, humoris atri, quo abundant, in primis sint opportuni, ostendit Aristoteles,& ego etiam disserui in mea Dissertatione de furore poetico : cuius specimen in vestibulo meorum Poematum placuit dare, tanquam gustum plenioris tractatus, quem Deo iuuante sum editurus.

Medicinæ insignia adeptus &, vt fit, ciuitates alias inuisere cupidus, peruenit Agennum Nitiobrigum oppidum, visitque Julium Cæsarem Scaligerum, illum heroem, omnibus quæ hominem literarum cupidum ad astra ferunt ornamentis ad miraculum instructum ; cuius amicitiam nactus, ac eo aliquandiu vsus, simul-

tatem

tatem vitare non potuit, quæ etiam carminibus eiusdem in lucem erupit. Quo verisimile est non parum eius famæ detractum. Maxime autem fraudi illi fuit ipsa gloria. Cum enim quas vulgasset Ephemerides, eæ ob prædictionum veritatem in pretio essent, & ab omnibus expeterentur, cupido lucri typographos & librarios quosdam inducit, vt ad diuendendas quas in manibus haberent nugas triobolarium mathematicorum, nomine Nostradami abuterentur. Hinc sinistra de eo hominum iudicia & maleuolorum voces, etiam doctorum. Quo in genere Jodelli Parisiensis poetæ epigramma, quo in Nostradami nomen lusit, in primis argutia late tunc vulgatum fuit:

Nostra damus cum falsa damus, nam fallere nostrum est:
Et cum falsa damus, nil nisi nostra damus.

Aliquot etiam epigrammatis in eum inuectus est Scaliger, quæ cum aliis eius poematis excusa sunt typis. In Farragine:

Cur Nostradamus se esse ait prophetam?
Quia ducit ortum a Beniamin prophetis.
Quod si a Mahomet, qui fuit propheta,
Bis Nostradamus sic erit propheta.

Rursus in Hipponacte:

Vt Nostradamus veritatis euersor
Tuto queat futura ficta mentiri,
Se cælitus feruoris igne demissi
Lymphatico furore dixit apprendi.

Quid

Quid sentiamus? docte Ruffe, quærenti
Canam: canenti Musa succinet verum.
Non est Platonis execrandus, infamis
Engastrimuthus, sternomantis Eurycle:
Nisi a Tagete est institutus Ethrusco,
Vel Brachmanum cratere, vel choro nudo.
Non Zoroastris implet aura diuini;
Anus Pronoea Stoici fauet nulla;
Non dat Themis responsa, quæ dabat quondam;
Non inde Python, qui secutus est illam;
Non arciger Pythonis acer occisor;
Non Nympholeptos: Baccholeptos est nequam.

Item in eodem libro:

Si Nostradamus, quid pudere sit, nescit:
Quod est paratum, nec reconditum, & præsens;
Quanam futura notione mentitur?

Hæc Scaliger sub Hipponactis titulo; & merito: sunt enim Hipponactea plane & eandem rabiem spirantia, digna Hipponacte ebrio, non Scaligero sobrio; sed non aliena tamen a Scaligero irato & Hipponactis Musa instincto. Iratus profecto hæc in Nostradamum dabacchatus est Scaliger: qua causa iratus, quidue dolens, me latet, nec scire multum laboro, neque ad rem pertinet: modo constat iratum fuisse: secus non verisimile est, quo familiariter vsus fuerat, hunc tam proterue & furenter laceraturum fuisse, quem tot magni viri & principes, rex quoq; ipse, in admiratione habuit, cuius prognostica Joannes Auratus illi æqualis, poeta insignis,

ingenio & eruditione non vulgari, quod ſcripta eius indicant, tanti fecit, vt illa notis & interpretationibus illuſtrare non dedignatus fuerit, vt quidem teſtatur Bibliothecæ Gallicanæ compilator de la Croix du Maine.

Sed & Ronſardus eidem Noſtradamo teſtimonium reddit in quodam poemate, ac vatem eſſe agnoſcit, licet cuius cauſæ impulſu prædiceret, definire non audet. Verſus Ronſardi ſi quis requirit, adſcribere haud grauabor:

Ou ſoit que du grand Dieu l'immenſe eternité
Ait de Noſtradamus l'enthouſiaſme excité:
Ou ſoit que le Demon bon ou mauvais l'agite:
Ou ſoit que de nature il ait l'ame ſubite,
Et outre le mortel s'elance iusqu'aux cieux,
Et de la nous redit des faits prodigieux:
Ou ſoit que quelque eſprit ſombre & melancholique
D'humeurs craſſes repît le rendre fantaſtique:
Bref, il eſt ce qu'il eſt, ſi eſt ce toute fois,
Que per les mots douteux de ſa prophete voix,
Comme un oracle antique, il a dês mainte année
Predit la plus grand part de noſtre deſtinée.

Fuere & alii in eodem albo, quos videre eſt apud auctorem anonymum apologiæ Noſtradami, quam præfixit eiusdem tetraſtichorum enarrationibus. Quibus & Gallicæ bibliothecæ auctor modo laudatus addi poteſt, qui Noſtrada-

ſtradamum vnum e magnis illius temporis aſtrologis, & merito, habitum teſtatur. Ac de Noſtradamo hactenus.

Conſequens eſt, vt, quod polliciti ſumus, de eius facultate prænoſcendi futuros rerum euentus, qua non modo quæ naturæ neceſſitate proueniunt, ex cauſarum quibus continentur cognitione, vt in aſtronomia vſu venit, vt eclipſes ſolis & lunæ, tempeſtates, & alia ab aſtris pendentia certo a peritis præuideantur; ſed etiam quæ in hominis conſilio & voluntate ſita ſunt, vt fiant, aut non fiant; de ea, inquam, facultate eius quid ſentiendum putem, diſſeram paucis. Qui plura volet, auctorem anonymum, qui apologiam eius gallice ſcripſit, legat: præcipua attingam. Qui Noſtradamum inceſſunt, partim vatem eſſe confitentur, ſed dæmonis mali inſtinctu: quales falſos fuiſſe prophetas, Balaamum, Sibyllam, Pythiam, & alios dæmonum cultores & ſocios conſtat; partim vatem fuiſſe negant, eius vero prognoſtica meras eſſe nugas: quorum ſi quid verum comperiatur, non ſcientiæ vlli, ſed fortunæ adſcribi debeat: vt de viſis melancholicorum cenſet Ariſtoteles, quæ caſu interdum ad verum attingunt; propterea quod tali corporis habitu præditi παντοδαπὰς ὄψεις ὁρῶσι, omnifarias vident rerum imagines & ſimulacra ſenſui impreſſa: quæ cum illi ſequantur, fit vt interdum veritatem aſſequantur: vt iis accidit, qui multa

iaciunt, ὥσπερ γὰρ λέγεται, ἂν πολλὰ βάλῃς, ἄλλοτ' ἀλλοῖον βάλλεις, καὶ ἐπὶ τούτων τοῦτο συμβαίνει, inquit in lib. de diuinatione per insomnia cap. 2.

Quod ad priores attinet, qui vatem hunc fuisse fatentur, mea in præsens nihil refert quo genio & numine impulsus Nostradamus diuinauerit, modo diuinum fuisse constet. Supra enim probauimus, cacodæmonem multa de futuris contingentibus, Deo concedente, præscire, & hominibus superstitiosis olim aperuisse, & nunc & per omnes ætates indicaturum. Hos itaque mittamus. Sed neque longa aduersus alios disputatione opus est. Neque enim hic est locus, qui verbis aut disputatione egeat, vbi experientia præsto est. Itaque omissis eorum dubitationibus, quibus Anonymus bene & sufficienter occurrit, id vnum videndum est; quæ prædixit Nostradamus futura, ita, vt prædixit, euenerint, an frustra operæ istius fuerit? Si enim probari potest, multa & effatu digna ab eo multo ante quam euenirent prædicta fuisse, quis hunc verum fuisse prophetam neget? An vllum certius argumentum dari potest, aliquem esse vatem, quam si quæ futura vaticinatur, ea ad præscriptum accidant, atque rebus manifestis congruant? Dixi, multa esse oportere: etenim vt prouerbio fertur μία χελιδὼν ἔαρ οὐ ποιεῖ, *vna hirundo non facit ver.* Nunc qui centurias eius accuratius considerarunt; vt præfatus anonymus auctor,

qui

qui eas, vt dixi, expoſuit, & monachus ille ab eo laudatus, nec nominatus; teſtantur, ex mille tetraſtichis & ſupra, quæ ille reliquit, nullum eſſe quod non duas aut tres prædictiones veras contineat, rerum in oriente & occidente geſtarum, per omnia regna, omnesque gentes. Quibus ex numeris ſubductis quanta prædictorum multitudo exiſtat, quiuis intelligit. Qui igitur argumenti huius vim certius cognoſcere volet, expoſitiones præfati Anonymi legat, qui Noſtradami prædictionum ſpecimen dedit.

Interim illud dicam, ſi verum eſt quod dicunt, ſcripſiſſe Noſtradamum ſuas prædictiones ante annum Chriſti 1555; dubitari non poſſe, quin vates fuerit, & quidem egregius, qui tam multa de annis ſequentibus, non indiſtincte ſed enucleate & appoſitis circumſtantiis atque etiam nominibus quorumdam, per quos prædictorum euentuum rationes expediuntur, prænunciauerit. Nam & monachi nomen, qui Henricum tertium Gallorum regem execrabili parricidio ſuſtulit, in vaticinio eius expreſſum legitur, quem Clementem vocitatum nemo neſcit: & carnificis, quo percuſſus eſt Momorancius ſub Ludouico XIII, nomen appoſuit: tum alia complura eiusmodi prædixit, quæ quomodo ſine exterioris cuiuspiam intelligentiæ afflatu ſcire potuit, non video: quem anno 1566 e viuis exceſſiſſe conſtet. Hæc quidem tam particularia, nulla humani ingenii coniectura

 ſciri

ſciri potuiſſe, palam eſt: ergo diuino afflatu, vel certe genii alicuius boni vel mali impulſu.

Neque obſtat, quod ipſe Noſtradamus, quæ de futuro videbat, cælo imputet, in epiſtola ad Filium ſcribens, *ſe haud lymphatico inſtinctu, ſed aſtronomicis ſtudiis talia conſecutum:* quando item eadem charta, in iis quæ de futuris contingentibus prædicit, *non alio ſe lumine illuſtratum, quam diuino*, præ ſe fert. Ita ergo dicta illa, quæ pugnare videntur, componenda ſunt, vt intelligamus, huic mathematicam lucubrationem cuiusdam præparationis loco fuiſſe; cui vehementius incumbens abſtrahebat animum ab alienis curis & cogitationibus. Quo fiebat, vt in quadam furoris ecſtaſi poſitus luminis ſtatim diuini influxum ſuſciperet. Sic Eliſæus vates, vt eſt in quarto Regnorum, cum propheta eſſet celeberrimus, a regibus de cuiusdam expeditionis euentu conſultus, non prius reſpondit quam cithariſtes adduceretur. Sic multa diuinis illis Eccleſiæ magiſtris, Clementi Alexandrino, Origeni, Auguſtino, Chryſoſtomo, inter lucubrandum diuinitus oblata nullus dubito, quæ aliter non vidiſſent. Sic & poetas ſeceſſus & mentis intenſio inflammat; neque ſecius propterea numinis præſentiam ſentiunt: *alterius nam*

Altera poſcit opem res, & coniurat amice.

inquit Horatius in arte. Nihil ergo abſurdum, putare, Noſtradamum & ingenio (quod ipſe prædicat,

dicat, & maioribus suis fert acceptum) & studio ac peritia astrorum præstanti excelluisse: simul genii alicuius boni vel mali, vel etiam, si fas dicere, Dei luce extraordinaria, ad illa occulta excitatum fuisse.

Sic autem existimo, Nostradamum prorsus exteriore & extraordinaria causa impulsum tetrasticha illa fudisse: quali autem: diuina, an dæmoniaca; cordatus lector ex hac fabula æstimet, quam iam sæpius memoratus apologiæ auctor anonymus se a viro nobili Florinuilla & eius coniuge accepisse testatur. Cum enim iis familiariter vteretur Nostradamus, & aliquando apud eos esset: quodam die accidit, vt Florinuilla in corte inferiore castelli deambularet cum Nostradamo. Cum ecce duo iis porcelli occurrunt, quorum vnus candidus erat, alter niger. Animi gratia interrogat Nostradamum, quid fieret illis? Ille statim: nigro, inquit, vescemur nos; albus autem lupo in prædam cedet. Hoc audito Florinuilla secretum mandatum dat coquo, vt procellum album vespere coquat cœnæ inferendum. Mactatur nefrens, veruque, vt mos, transfixus, exinde foco lucenti admouendus erat; cum necessitate quadam oborta e culina foras se proripit coquus, mox rediturus. Interea temporis eo intrat lupæ catulus domesticus, visumque porcellum inuadit dentibus, clunesque momento absumit. Redit coquus, & voratum a lupo magna

magna ex parte porcellum videns, illico alterum, nigrum scilicet, foco succidaneum dat, & mensæ postea infert. Tum Florinuilla ad Nostradamum: Heus (inquit) Nostradame, porcellum album comedimus, neque lupus eum profecto attinget. Nostradamus negat album esse eum quem ederent, sed nigrum. Accersitur coquus: qui factum, vt expositum est, declarat; omnibus qui aderant prædictionis fidem obstupescentibus.

Hoc ne cui incredibile videatur, aliud factum non vsquequaque absimile referam ex Suetonio. Accusatus apud Domitianum Asclctario mathematicus, tanquam aliquid arte sua prædixisset de futuro eius exitu, in eiusque conspectum adductus, interrogatus ab eo est: quem ipsum manere exitum putaret? quo respondente: fore vt breui laceraretur a canibus; interfici quidem sine mora hominem imperat Domitianus; verum ad coarguendam temeritatem artis, sepeliri quoque accuratissime iubet. Quod cum fieret, euenit vt repentina tempestate deiecto funere, semiustum cadauer discerperent canes. Ita non vanam fuisse astrologi de se vaticinationem euentus ostendit. Nunc si quis hæc diuinitus iis hominibus, partim jocularia, partim nullius momenti, patefacta putat, caueat ne in Deum peccet, dum eum ad tam humilia & friuola deducit: non, quod non omnia comprehendat prouidentia Deus, qui vndiquaque est

immen-

immenſus; ſed quia non eundem ad omnia modum gubernandi tenet, neque in paruis vim illam exercet, qua futura hominibus oſtendit, ſed in maximis tantum, aut quæ ad gloriam ſuam pertineant. Iſta igitur minima & ludicra dæmonibus improbis, velut otioſis & male feriatis relinquit, ſimilibus hominibus, hoc eſt, curioſis ſupra modum & ſuperſtitioſis reuelanda: vt olim Socrati occurſum porcorum in quadam via, & vexationem transeuntium amicorum per illam viam. Quæ ſcilicet dæmon facit poſtea: vel ſi talia quæ prædicuntur ita ab humano arbitrio dependeant, vt ne ab ipſis quidem geniis procurari aut præuideri ſuapte intelligentia poſſint; ibi haud abſurdum, interuenire bonos genios ſiue angelos, Deo illis tribuente, vt talium cognitionem demittant ad importuna illa infelicium dæmonum cum hominibus commercia, vt prauæ curioſitatis, ambitionis, & nequitiæ dent pœnas. Ita & iſtorum leuium præuiſio originaliter a Deo eſt, ſed modus diuerſus, multum infra eorum dignationem, quos Deus propriæ afflatu ſuo ad æternitatis ſuæ conſortium & temporariam participationem admittit.

Quod igitur hoc modo maligni dæmones, & per eos olim Sibylla, aliique antiqui vates, multa e futuris etiam contingentibus ſcire potuerint, ex his planum eſſe poteſt. Quæ diuini etiam Auguſtini ſententiæ conſona eſſe

 oſten-

ostendo ipsius verbis prolatis ex libro 7. Confessionum cap. 6. *Tu enim Domine iustissime moderator vniuersitatis, consulentibus consultisque nescientibus, occulto instinctu agis: vt, dum quisque consulit, hoc audiat, quod oportet eum audire, occultis meritis animarum, & abysso iusti iudicii tui; cui non dicat homo: quid est hoc? aut, quid hoc? Non dicat, non dicat: homo est enim.*

Hæc autem studiosis & veritatem amantibus in hunc modum de omnibus externorum vatum responsis proposuisse sufficiat; aliis, sine ratione obstinatis ad negandum atque irridendum quæcunque de hoc genere apud antiquos aut recentiores scriptores prodita extant, aut a quocumque quantumuis fide digno teste referuntur, ad coarguendam eorum temeritatem subnectere placet, quæ Paulus Jouius in elogiis doctorum virorum prodit de Bartholomæi Coclitis, metoposcopi & chiromantis, prædictionibus atque vaticiniis: *Extat* (inquit) *de his præclaræ ac admirabilis fidei catalogus, ipsius Coclitis manu perscriptus, de iis quibus varia violentæ mortis pericula denunciauit, exactissimo post eius interitum fortunæ obsequentis euentu comprobatus. Quo fit, vt me quoque, inueteratæ exercitationis in hac luce Romana non facile credulum senem, in sententiam adducat ipse exactæ ætatis, & integri iudicii, Lucas Gauricus; cum ingenue fateatur, se a Coclite seuere amiceque admonitum,*

vt

vt violenti cruciatus causas effugeret ; cum id ipse, sui natalis, negligentia patris, ignarus, ex siderum scientia anteuertisse nequiuerit. A Joanne enim Bentiuolo arreptus, & ex praealta trochlea suspenso fune quinquies quassatus, ideo pœnas dederat, quod excessurum patria & dominatu, in eius anni prognostico praenunciasset. Iste & Gauricus inter Italiæ astrologos maxime inclytus ; qui de Henrici secundi Gallorum regis obitu interrogatus, respondit : fore, vt ex vulnere in singulari certamine accepto occumberet ; quod & euenit, cum cuidam ex aulicis ludicra pugna inuito concurrere voluisset.

CAPVT X.

Aliorum vaticiniis celebrium virorum exemplis eadem opinio confirmata.

SEd & alia id genus vatum præscita feruntur non minus miranda ; vtpote quibus singulares hominum nondum natorum proprietates ac rerum euentus ita expresse enunciantur, ac si iis vatibus præsentes fuissent. Quo in genere primus occurrit Malachias quidam archiepiscopus : de cuius vaticiniis quæ in libello, cui titulus est *Reductio analytica doctrinæ diui Thomæ, typis Petri de Bresche, Parisiis scripta,* reperi,

repeti, subiungere haud grauabor: *Beatus Malachias archiepiscopus Ardinensis, & monachus, natione Hibernus, spiritu indubie prophetico, summos ecclesiæ antistites, quotquot post eius obitum ecclesiam rexerunt, & forsan recturi sunt, typicis quibusdam nominibus ex ordine secundum proprias singulorum notas præsignauit. Contemporaneus fuit D. Bernardo, qui vitam eius descripsit. Vixit anno Domini 1137. obiit anno 1148 die 2. Nouembr. Eorum qui iam prætererunt P. Franciscus Alphonsus Giacconius ordinis prædicatorum, nominum typicorum rationes singulari sagacitate reddidit, ita vt nescias, quid magis in his mireris; obscuritatem & vilitatem eius, vnde nomen ad significandum desumptum est; an vero potius vocis proprietatem ad indicandum illud, ad quod significandum impositum est. Quamuis enim quædam, cum proprietate vocis indicent, quod denotatum a cæteris sui ordinis personali nota discernat, quædam vero cum quadam improprietate & corruptela vocis idem præstent; nihilominus ita appositæ personales cuiusque proprietates designant, vt neque alteri conuenire, neque idem significantius denotari potuerit.* Initium symbolicæ prophetiæ; *Ex castro Tyberis;* quod de Cælestino II. exposuit Giacconius, propterea quod Tybernas fuit, & ante pontificatum dictus Guido ex Castro. Finis autem prophetiæ: *Gloria oliuæ.* Quod symbolum, vt alia aliquot sub finem præcedentia, nondum interpretem

pretem nacta sunt. Nam Giacconius interpretationes suas vltra Vrbanum VII non perduxit; cuius symbolum in eiusdem Malachiæ catalogo hæc verba habet: *De rore cæli;* hac coniectura, quod hic Bossanensis archiepiscopus in Calabria fuit: quam regionem mannæ, quæ nihil aliud quam ros cælestis certas in plantas decidens, nobilioris prouentu celebrem esse vel mulierculæ norunt. Non defuere tamen, qui quorumdam ex sequentibus symbolis sensum, post Giacconium, coniectura satis verisimili, ex euentu assequerentur. Vt istud: *Montium custos,* de Alexandro VII, qui montes in familiæ insignibus habuit. Idemque alii conati in hoc: *Sidus oloris;* & ad Clementem IX traxerunt, qui Rospigliosus vocabatur, ex nominis literis per anagrammatismum eruentes, mutato P in D. Vnde epigramma:

Clementi dentur claues; clementia regnet;
Rospiliosus *abhinc* sidus oloris *erit.*
Nomen id omen habet: nam P *dum vertitur in* D
Dempturus populo est, non positurus onus.

Infeliciter & adulatorie, atque etiam putide: dum elementi P in D mutati licentiam ad mysterium, vel certe augurium, demendi populo oneris non imponendi trahit. Alioqui nihil minus prophetæ conuenit, quam ista nominum literis occulta abscondendi ratio. Absit vt credamus, tot & talibus elementis nomina

vlla

vlla initio fuisse constructa, vt ex iis pristina sede motis, atque aliter ordinatis, noua consurgant nomina, rem longe diuersam significantia. Quod si aliquando contingit, vt sensus aliquis illi, cuius id nomen est, conueniens efficiatur, fortuito id omnino accidit, nec vlla prouidentia aut consilio ita euenire putandum est; sed temere & casu; vt quod olim in Chiorum lapicidinis saxo diffisso caput Panisci extiterit: vti ex Carneade refert M. Tullius lib. 1. de diuinatione.

Quo magis hoc omnibus appareat, insigne anagrammatum vanitatis exemplum proferam, ab Ægidio Menagio, viro priscæ & recentis literaturæ ornamentis florentissimo; & per vniuersam Europam variis ingenii ac rarioris eruditionis monumentis celeberrimo, relatum in vita Ærodii. Ibi Petri Loerii facit mentionem, in præfectura Andegauensi consiliarii, Ærodio æqualis: viri quidem eruditi, sed orientalium in primis linguarum admiratione & amore vsque adeo insanientis, vt nihil non vulgarium nominum, quibus vrbes in Gallia, pagi, castella, aggeres, prædiola appellantur, ab Ebræa aut Chaldaica lingua deduceret: edito etiam *de coloniis Idumæis* libro, talibus ineptiis referto, id publice professus. Sed & idem nihil non apud Homerum anagrammatismi ope inueniebat: vt in hoc versu Odyss. Λ.

Σὸν δ' ὅπω τις ἔχει καλὸν γέρας, ἀλλὰ ἕκηλος.

In

In hoc igitur verſu, quem Anticlea Vlyſſis mater profert ad filium, iſte Loerius reſolutione literarum hæc verba inueniebat:

Πέτρος, Λωέριος, Ανδένικαος, Γάλλος, Υλείη.

Petrus, Loerius, Andinus, Gallus, Huilla. Eſt autem *Huille* nomen pagi, Loerii patria. Immo vero ex literis reſiduis α, χ, κ, annum quo nomen prædicto verſu abſconditum, ipſi reuelandum eſſet, nempe 1620, notatum pertendebat; ne quid ſcilicet in eo verſu, quod ad ſe non pertineret, eſſe videretur. Ex his de hominis illius ingenio, & anagrammatum vanitate, quiuis iudicare poteſt.

Extant præterea Joachimi monachi vaticinia & imagines, quibus propria quædam Pontificum Romanorum prænunciantur, cum explanationibus Pauli Principis de la Scala, ſiue Scaligeri, Veronenſium Marchionis, cuius de vate iſto verba hæc ſunt in primæ imaginis explanatione: *Iſte autem Joachimus natione Calaber fuit, & monachus ordinis S. Benedicti, atque in Florenſi cœnobio eiusdem profesſionis abbas. Multa ſcripſit, & in omnibus ferme libris ſuis conſueuit miſcere prognoſtica. Commentatus eſt in Apocalypſim, & Eſaiam, Jeremiam &c. Et contra Petrum Lombardum theologum librum compoſuit, qui poſtea concilio Lateranenſi reiectus eſt. Vixit tempore Vrbani tertii, & anno Domini 1178 Veronæ eundem conuenit.* Hæc princeps ille de la Scala: vir, quod commentarius ille indicat,

in

in pontificum Romanorum hiſtoriis egregie verſatus. In calce autem explanationum hanc apponit coronidem: *Hæc enim omnia ad annum Domini 1389 impleta ſunt. Reuelata autem erant Joachimo, dum eſſet abbas in monaſterio Florenſi in Calabria, circa annum Domini 1176.* Tum verba Abbatis eius, quibus ſuas reuelationes concludit, hæc affert: *Potens eſt Dominus mutare propoſitum ſuum, quia in manibus eius omnia aſtra ſunt cæli.* Quibus verbis haud obſcure innuit, ſibi has prædictiones expreſſas via peruulgata mathematicorum: nempe ex cæleſtium motuum computatione, ſecundum regulas aſtrologiæ iudiciariæ; quam tamen ab Eccleſia damnatam conſtat. Apparet autem, ad nihil aliud inductam aſtrorum mentionem, quam vt hoc peripetaſmate altioris ſocietatis & commercii occulta tegeret. Qua etiam arte vſum Noſtradamum ad ſuas prædictiones in lucem protrudendas veriſimile eſt. Illud non diſſimulabo: me, cum primum in eas imagines ænigmaticas & prognoſticas incidi, horrore perculſum: adeo tetræ ibi effigies pontificum Romanorum; quorum vix vllus figuratur, cui non aliqua appoſita bellua, vel belluæ portentum. Quo in genere portentoſa in primis & terribilis, quæ ad vaticinium 15. ponitur. Monſtrum poetarum chimæra tetrius draconis corpore, capite humano & coronato, belluinis auribus, cauda ſerpentis, qua ſtellas detrahit, in mediis

mediis flammis, haud dubie infernis, insidens. Hac autem imagine & vaticinio apposito designari Vrbanum sextum interpres censet: quem proinde terribilem pontificem vocat.

His Joachimi vaticiniis accedunt alia Anselmi episcopi Marsicani, scripta ab eo anno Christi 1278. quæ post obitum Bonifacii octaui in lucem data sunt. Neque hæc Princeps Veronensis indigna existimauit, quæ simili expositionum luce ad hominum intelligentiam excitaret. Magna & prædictionum Hieronymi Sauonarolæ Ferrariensis, ex ordine prædicatorum, viri doctrinæ haud vulgaris, & sanctitatis confessæ, admiratio fuit: quibus euentus prænotatos ad præscriptum respondisse, omnium experientia fidem faciente, testatur Joannes Franciscus Picus in patrui vita. Ac de his hactenus.

Hæc autem paulo diligentius disserere visum est, ad comprimendam eorum temerariam censuram, qui quæ in veterum monumentis Sibyllæ nomine prolata vident præscita, ejus genuina esse nolunt; ob hoc ipsum, quia sequentibus rerum euentis certius, quam fieri posse putant, comprobata videantur.

CAPVT XI.

Quod non omnia, quæ Sibyllæ nomine feruntur, genuina eius sint: & de ratione dignoscendi genuina ab adulterinis.

NEc tamen is sum, qui in omnibus, quæ Sibyllæ nomine iactantur, obstringam fidem meam. Verisimile est enim, multa ab otiosis hominibus atque nebulonibus, iam inde a priscis seculis, nomine eius conficta ac veris inserta fuisse. Idque ostendit cura Romanorum principum discernendi vera a falsis, de qua passim in historiarum monumentis fit mentio. Cornelius quidem Tacitus annal. lib. 6. *Simul commonefecit* (Tiberius:) *quia multa vana sub nomine celebri vulgabantur, sanxisse Augustum, quem intra diem ad prætorem vrbanum deferrentur, neque habere priuatim liceret. Quod a maioribus quoque decretum erat, post exustum ciuili bello capitolium, quæsitis Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiam ac Siciliam, & Italicas colonias, carminibus Sibyllæ; vna seu plures fuere; datoque sacerdotibus negotio, quantum humana ope potuissent, vera discernere.*

Quæ tamen cura non obstitit, quin de eorum vaticiniorum plerisque ambigeretur. Vt de isto, quod Tiberii principatu vulgatum fuisse inter

inter prodigia, quibus prænunciata est mors Germanici, refert Dio lib. 57. *Neque parum mouit animos hominum oraculum quoddam pro Sibyllino habitum, nihil quidem ad istbæc, sed ad nostra tempora pertinens, in hanc sententiam:*

Τρὶς δὲ τριηκοσίων περιτελλομένων ἐνιαυτῶν,
Ῥωμαίους ἔμφυλος ὀλεῖ στάσις.

Ast ter tercentum reuolutis protinus annis
Roma intestina perdetur seditione.

Hoc carmen Tiberius vt falsum cauillatus, omnes libros fatales inspexit, aliosque probauit, alios rejecit. Neque ideo non istius memoria durauit, animosque percellit tempore Neronis, cum vrbem incensam populus videret. Cum Nero, vt est apud eundem Dionem, populi consolandi causa, nusquam hos versus inter Sibyllina repertos diceret. Sed homines aliud canere cœperunt:

Ἔσχατος Αἰνεαδῶν μητροκτόνος ἡγεμονεύσει.

Vltimus Æneadum matris interfector imperabit.

Siue id vere oraculo proditum, siue multitudo sponte non sine afflatu numinis protulit, siue ex statu rerum, qui tum erat, coniectura ducta.

Sed & sub mortem Cæsaris dictatoris rumorem fuisse a Quindecimuiris profectum, siue verum siue fictum, de Sibyllæ vaticinio, idem Dio testatur: quo prædictum esset, *Parthos, nisi a rege, non posse vinci.* Qua de re etiam Suetonius, vbi de L. Cottæ sententia: *Quoniam libris fatalibus contineretur, Parthos, nisi a rege, non posse vinci.* Ex multis quoque Ciceronis locis liquet,

in epiſtolis ad Lentulum, vbi de negotio Ptolemæi in regnum reducendi ex Sibyllæ libris loquitur, quod in iis de rege eſſet prædictum. Item in libris de diuinatione: *Sibyllæ* (inquit) *verſus obſeruamus, quos illa furens fudiſſe dicitur; quorum interpres nuper falſa quædam hominum fama dicturus in ſenatu putabatur: eum quem re vera regem habebamus, appellandum quoque eſſe regem, ſi ſalui eſſe velimus.* Et mox: *Cum antiſtitibus agamus; vt quiduis potius ex illis libris, quam regem proferant: quem Romæ poſthac nec dii nec homines eſſe patientur.* Ex quibus verbis apparet, quantum Cicero & alii proceres & cordati viri illius temporis, non quidem de Sibyllæ oraculis, ſed de eorum fide, qui illa proferrent, dubitarent. Nec immerito: cum ſolis ſacerdotibus, hoc eſt, Quindecimuiris, liceret adire libros Sibyllæ, & ex iis, quæ viderentur, ad populum proferre.

Quantum porro impoſtores & agyrtæ Sibyllæ nomine abuterentur, ex Luciani pſeudomante, & libro de morte Peregrini intelligi poteſt: quibus locis Alexandri illius pſeudoprophetæ vaticinium refert pro Sibyllino, ab ipſo prolatum, quod ſcilicet aut ipſe de ſe compoſuerat, aut a ſuis amicis & hypophetis acceptum, Sibyllæ nomine idiotis proponebat. Quibus ſimilia poſt mortem Peregrini cyniſmum profesſi ejusdem ſectæ & factionis homines Sibyllæ Bacidis nomine vulgabant. Cæterum omnia

in

in hoc genere fuiſſe conficta & ſuppoſita incredibile eſt. Neque tot ſeculis Sibyllinorum auctoritas & fama apud gentes durare potuiſſet, ſi omnia eo nomine prodita fuiſſent ficta. Libet enim hic vti ratione eadem, qua vtitur Cicero in lib. 2. de natura deorum; vbi de deorum opinione apud homines: *Quod niſi cognitum comprehenſumque animis haberemus, non tam ſtabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec vna cum ſeculis ætatibusque hominum inueterare potuiſſet. Etenim videmus cæteras opiniones fictas atque vanas diuturnitate extabuiſſe. Quis enim Hippocentaurum fuiſſe, aut Chimæram putat? quaue anus tam excors inueniri poteſt, quæ illa, quæ quondam credebantur, apud inferos portenta extimeſcat? opinionum enim commenta delet dies, naturæ iudicia confirmat.*

Quæ autem horum vera, quæ ficta cenſeri debeant, certo diiudicare haud promptum, immo perdifficile arbitror: ſunt tamen quædam, ad quæ aliquis reſpiciens, id ſaltem aſſequatur, vt non multum aberret a ſcopo. Primum enim in iis, quæ Sibyllæ nomine feruntur, quid Sibyllæ conueniat, quid non, videndum eſt. Hoc autem cum ex iis, quæ de ingenio, moribus eius atque inſtitutis, aut natura eius afflatus expoſuimus, perſpici poterit: tum eorum, quæ eius eſſe propria nemo ambigit, oraculorum comparatione cum aliis, quæ in controuer-

ſiam incidunt. Præterea non parum intereſt, quales ſint, qui aliquid pro Sibyllino proferunt & venditant, quorſum, quo tempore, & ita de aliis adiunctis, quæ non parum ad fidem faciendam aut detrahendam faciunt. Quæ enim graues & antiqui ſcriptores Sibyllæ nomine proferunt, genuina eius eſſe probabiliter credi poſſunt: vt quæ ſupra a Plutarcho laudata propoſui. Quæ autem pſeudopropheta Alexander apud Lucianum, aut ſtulta cynicorum quorumdam ambitio de Peregrini obitu, nemo non merito ab illis nebulonibus ficta iudicet.

Ad hunc modum pleraque eorum, quæ in libris Chriſtianorum occurrunt, Sibyllæ adſcripta, mihi admodum ſuſpecta ſunt; quæ præſertim dilucidius de Domini aduentu & rebus tradunt, quam in Sibyllam ethnicam vatem competat. Facileque aſſentior doctrinæ principibus viris, qui octo illos Sibyllinorum oraculorum libros piæ Chriſtianorum ſeplaſiæ & fraudis magna ex parte inuentum cenſent. De qua re, quæ maxime inter doctos in controuerſia & diſputatione eſt verſata, poſt ſuo loco dicemus.

Nec defuerunt, qui, quæcunque nomine Sibyllæ ferantur verſibus expreſſa, ipſius poeticæ compoſitionis & numeroſæ orationis argumento, falſo illi adſcripta contenderent: quod talis oratio furenti non conueniat. Ita quidem M. Tullius in ſecundo de diuinatione libro his verbis

verbis: *Non esse autem illud carmen furentis, cum ipsum poema declarat; est enim magis artis & diligentiæ, quam incitationis & motus; tum vero ea quæ ἀκρoστιχὶς dicitur, cum deinceps ex primis versus literis aliquid connectitur.* Et paucis interiectis: *At quod* (ita enim scribo, pro *Atque*, quod perperam est in vulgatis editionibus) *in Sibyllinis ex primo versu cuiusque sententiæ, primis literis illius sententiæ carmen omne prætexitur. Hoc scriptoris est, non furentis: adhibentis diligentiam, non insani.* Ibi duo proponit M. Tullius, quibus conuincatur, prædictio aliqua non esse Sibyllæ: si nimirum poetico stilo scripta sit, & ἀκρoστιχίδα habeat: quod vtrumque magis attenti animi sit quam furentis. Ita & Varroni esse visum refert Dionysius Halicarnassensis lib. 4. antiquitat. Romanar. non posse videri Sibyllæ esse, quæ talis diligentiæ notam præferant, immo hac nota supposititia a Sibyllinis discerni. ἐν οἷς εὑρίσκονταί τινες ἐμπεποιημένοι τοῖς Σιβυλλείοις (χρησμοὶ) ἐλέγχονται ἢ ταῖς καλουμέναις ἀκροστιχίσι· λέγω ἢ ἃ Τερέντιος Οὐάρρων ἱστόρηκεν ἐν τῇ θεολογικῇ πραγματείᾳ. id est, *In quibus inueniuntur quædam supposititia, quæ deprehenduntur acrostichidum, quas vocant, discrimine. Sequor autem hic Ter. Varronis auctoritatem, qui ista prodidit in commentariis theologicis.* Insignis locus hic Halicarnassensis historici, de acrostichide in versibus Sibyllæ falso adscriptis; &

notatu inprimis dignus, propter singularem ecclesiæ doctorem Augustinum, qui in lib. 18. de ciuitate Dei cap. 23 hoc tanquam magnum argumentum profert, quod Sibylla Erythræa de Christo prædixerit; quia in quibusdam eius nomine prolatis versibus, de iudicio vltimo & signis, quæ ipsum præcedent, hæc notatur acrostichis:

Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτήρ.

JESUS CHRISTUS, Dei filius, Saluator.

Qui si memoratum Dionysii locum legisset, aut Varronis ab illo laudati meminisset, non tanti huiusmodi versus fecisset; neque in eorum numero, qui est viginti septem, mathesim suam ostendere voluisset. *Et sunt versus viginti & septem, qui numerus quadratum ternarium solidum reddit. Tria enim ter ducta fiunt nouem. Et ipsa nouem si ter ducantur, vt ex lato in altum figura consurgat, ad viginti septem perueniunt.* Vbi (obiter vt dicam) figuram ex lato in altum consurgere intelligit: cum qui numerus erat planus, multiplicatione per primum numerum fit solidus: nam ibi altum idem est quod profundum. Neque ex primis quinque vocabulorum græcorum, quæ acrostichide inueniuntur, ἰχθὺς nomen, quod *piscem* significat, & mystice *Christum*, effici ad rem pertinere putasset. Sed fortasse non satis valida hæc ratio eradendi e Sibyllinorum albo carminis, quod in eo acrostichis deprehendatur: aut nu-

meris

meris adstrictæ orationis vsus omnis detrahendi vaticiniis aut Sibyllæ aut aliorum vatum, quod talis compositio ex afflatu loquentibus parum conueniat. Qua de re, vt minus plana, aliquid, veritatis declarandæ causa, subiiciendum videtur.

CAPVT XII.

An metrum aut acrostichis aliena a stilo oraculorum: & de poetica Sibyllæ.

EX loco supra allato Ciceronis patet, videri ipsi alienum ab prædictione, quæ diuino afflatu contingit, colorem omnem poeseos & modulum versificationis. Ratio eius: quia nemo furore correptus carmen condere potest, quod hæc opera artem postulet, quæ in furentem non cadit. *Non esse autem illud carmen* (Sibyllæ) *furentis, cum ipsum poema declarat: est enim magis artis & diligentiæ, quam incitationis & motus* &c. Si vera est hæc ratio, non modo a propheta, sed & alienum a poeta erit carmen & quoduis versificationis genus: si quidem & poetam furore oportere corripi, vt bene officio fungatur, communis omnium prope eruditorum sententia est. Vt enim ait Seneca in libro de tranquillitate: *frustra poeticas fores mentis compos pepulit.* Quod a Platone acceptum; qui id in dialogo, cui titulus

Phædrus, docet. Quid quod Cicero ipſe epi ſtolis ad Q. Fratrem, excuſans quod verſu non ſcribat, quos vt faceret Quintus hortaba tur, *ſibi deeſſe* ἐνθουσιασμὸν, hoc eſt, furorem diuinum, cauſatur? Si ſeſe non poſſe verſu facere illo tempore fatetur, quod furore care ret; igitur hunc poetis ad verſus faciendos ne ceſſarium eſſe exiſtimat. Non ergo furor ver ſificationi obſtat; ſed vim, qua perficiatur excitat potius. Plura autem de his in noſtr diſſertatione de furore poetico.

Præterea aut omnino aliquam fuiſſe vatem quæ Sibylla diceretur, & diuino afflatu prædi ceret, credidit Cicero; aut nullam fuiſſe, & fictum quicquid de illa dicitur. Si prius ve rum eſt, quomodo poſtea hanc verſibus ceci niſſe oracula ſua negetur, quam Plato, Ariſto teles, omnes denique, qui huius mentionem fe cerunt, χρησμῳδὸν vocent? Si non putaui vera, quæ Sibyllæ tribuuntur, neque ipſam ex titiſſe vnquam, aut vaticinatam; certe non ea cauſa carmen illi derogandum eſt, quia tal opus humani ingenii non eſt furentis, ſed qui nulla omnino extitit Sibylla, & omnes, qu illam fuiſſe perhibent, mentiuntur. Non tamen puto aliquem eſſe tam impudentem, nedum M Tullium, ſingularis vt facundiæ ſic prudentiæ au ctorem, atque etiam, vt ex multis eius dictis in telligo, ſapientem, vt, quam omnes fuiſſe agno ſcant, & tanto conſenſu aſſerant, vatem negare aude

audeat. Fuisse igitur aliquando Sibyllam, & versibus vaticinatam, credendum est, quam omnes, vt dixi, χρησμῳδὸν, hoc est, poetriam vatem, & versibus responsa edentem fateantur.

Quod autem idem Cicero eam diligentiam, qua nomina in carminis modum alligentur, vt poetica fiat compositio, in mente motam & furore percitam cadere negat; si morbosum furorem intelligit, qualis melancholia laborantium aut phreneticorum, & si solum in Sibylla furorem cogitat, neque aliam fuisse caussam illi carminis fundendi existimauit, neque ipse equidem putem tali furore impulsum esse aptum versibus faciendis; verum non dicimus ex solo furoris impetu Sibyllam cecinisse, sed dæmonis, cui seruiebat, afflatu, vel dei, si deum illi affuisse credendum est. Quid autem incredibile est, hominem quauis mentis alienatione extra se positum versus fundere, alieno intellectu, dæmonis scilicet suggerentis illi verba & voces modulatas? Equidem non video, quid in eo euentu insit quod negotium facere possit: satisque mirari non possum, tam futili argumento quenquam ausum fuisse impugnare Sibyllæ poeticam aut acrostichidem; par enim ratio est. Neque enim dici potest, non potuisse dæmonem, quos versus Sibyllæ dictaret, eum in modum disponere, vt ex literis primis versuum compositis aliqua sententia efficeretur.

Age & Justinum Martyrem audiamus, qui eodem modo de Sibyllæ poesi philosophatur in parænetico ad Græcos: αὕτη γὰρ οὐχ ὥσπερ οἱ ποιηταί, καὶ μετὰ τὸ γράψαι τὰ ποιήματα, εἶχεν ἐξουσίαν, διορθοῦσθαι καὶ ἀποξέειν, μάλιστα διὰ τὴν τῶν μέτρων ἀκρίβειαν· ἀλλ' ἐν μὲν τῷ τῆς ἐπιπνοίας καιρῷ, τὰ τῆς προφητείας ἐπλήρου· παυσαμένης δὲ τῆς ἐπιπνοίας, ἐπέπαυτο τῶν εἰρημένων μνήμη. τοῦτ' οὖν αἴτιον τοῦ μὴ πάντα τὰ μέτρα τῶν ἐπῶν τῆς Σιβύλλης σώζεσθαι; id est. *Huic enim* (Sibyllæ) *haud quaquam sicuti poetis, & postquam poemata effuderunt, facultas fuit emendandi atque poliendi carmina ad accuratam compositionis normam; sed in ipso afflatu tempore munus vatis implebat. Cum autem inspiratio cessasset, simul cum ipsa dictorum memoria peribat. Quæ causa est, cur non omnes versuum numeri & leges in Sibyllæ carmine seruentur.* Ex his Justini verbis duo aperte colligi possunt: vnum quidem, eodem numinis afflatu Sibyllam & prædixisse futura, & metro expressisse, non tamen accurato, quod quæ furens dixisset furore transacto reuocare ad emendandum non posset, vt poetis mos est. I[...] carmen, vt furoris impetu effusum fuisset, m[...] nere imperfectum necesse erat. Suffragat[...] Justino Hesychius Illustrius: εἰ δὲ οἱ στίχ[...] αὐτῆς ἀτελεῖς εὑρίσκονται καὶ ἄμετροι, οὐχ ἡ [...]τῆς ἡ αἰτία, ἀλλὰ τῶν ταχυγράφων, ἀσυ[...] φθασάντων τῇ ῥύμῃ τοῦ λόγου. ἅμα γὰρ τῇ ἐπ[...]πνο[...]

πνοίᾳ ἐπέπαυτο ἡ τῶν λεγομένων μνήμη. id eſt, *Quod ſi eius verſus aliquot imperfecti & metricis legibus parum congruentes inueniantur, non eius id culpa, ſed notariorum accidit, qui impetum verborum aſſequi non potuerunt. Quod ſimul inſpiratus deſiiſſet, dictorum intercideret memoria & vaneſceret.*

Hæc illi auctores: qui in eo conueniunt quidem, quod ambo Sibyllam non proprio ingenio, ſed numinis aut genii inſtinctu, verſibus, quæ futura eſſent, ceciniſſe fatentur; discordant vero, quod Juſtinus de Sibylla, vt de erudita muliere loquatur, dum hanc, quos per furorem alienata mente verſus fudiſſet, potuiſſe ad ſe reuerſam, ſi memoria eorum duraret, emendare dicit: & quia dictorum memoria cum furore caderet, manſiſſe eos verſus multis locis inemendatos, rudes, incultos; Heſychius autem videtur opinari, nihil hanc extra furoris impetum & numinis afflatum potuiſſe, quippe arte omni verſificatoria carentem: quam ſi habuiſſet, profecto quos vaticinantis ab ore notarii excepiſſent, emendare ipſa atque ad meliorem compoſitionis modum redigere potuiſſet. Nec leuis ex hoc Heſychii loco contra Juſtinum difficultas exoritur. Vel enim aderant Sibyllæ vaticinanti, qui quæ diceret notis exciperent; vel prorſus nulli: ſi illud verum eſt, non video, cur non potuerit furore tranſacto, quos furens verſus pronunciaſſet,

emen-

emendare, etiamſi horum non poſſet recordari, cum poſſent ex notariorum libris reſtitui integri atque repræſentari; ſi autem nulli aderant qui exciperent, ipſa autem quæ dixiſſet furens poſt furorem ſibi in memoriam reuocare nullo modo poſſet, qui potuerint verſus illi fatidici ad poſteros manare?

Hæc dubitatio cum ſolui non poſſit, tenenda omnino eſt Plutarchi ſententia; qui in libro toties citato de Pythiæ oraculis Sibyllam fuiſſe eruditam cenſet, vtpote a Muſis in Helicone educatam. ὅμοια δὲ περὶ τῶν Σιβυλλείων. ἐπειδὴ γὰρ ἔστημεν κατὰ τὴν πέτραν γενόμενοι τὴν κατὰ τὸ βουλευτήριον, ἐφ᾽ ἧς λέγεται καθίζεσθαι πρῶτον τὴν Σίβυλλαν, ἐκ τοῦ Ἑλικῶνος παραγενομένην, ὑπὸ τῶν Μουσῶν τραφεῖσαν. id eſt, *Similia item de Sibyllinis* (ſupple *oraculis*:) *nam cum noſtrum quiſque ad petram curiæ vicinam acceſſiſſet, atque conſediſſet, eam, cui primum inſediſſe fertur Sibylla, poſtquam eo venit a Muſis educata* &c. Quod enim hanc a Muſis educatam dicit, & ingenio aptam, & ſtudio ad verſus ſcribendos promptam fuiſſe putandum eſt. Si quidem abſurdum eſt, aliquem educari a Muſis, cuius non ingenium a natura probe ſit comparatum ad eas artes tractandas, quarum Muſæ præſides dicuntur. Nam neque aliter intelligimus aliquem aſpici a Muſis naſcentem, aut videre Muſas interdiu aut in ſomnis ſibi apparentes, quam talem commode a natura

natura ad poeticam esse factum. Hoc etiam modo Horatii illa intelligo:

Quem tu Melpomene semel
Nascentem placido lumine videris &c.

tum quod narrat Hesiodus initio Θεογονίας, sibi aliquando apparuisse Musas in Helicone oues pascenti: & quod Persius in prologo negat, se sibi videri esse poetam, quod in bicipiti vnquam somniasse Parnasso non meminisset. Quæ per figuram dicta intelligendum est, ad significandam animi indolem poeticam, aut alienam a Musis.

His consentaneum est, non ore tantum, & inconsulto impetu, & per furorem eos versus fatidicos expressos Sibyllæ, vt Iustino martyri, & Hesychio, aliisque multis visum est; sed ipsam scripsisse manu propria oracula sua, eo stilo, qui iis conueniret, hoc est, poetico, cum poeticæ artis perita esset. Nec tamen scripsisse sine genii instinctu, sed hunc socium scribundis oraculis habuisse. Neque enim putandum, eiusmodi furore correptam futura enunciasse, qui mentem illi omnem sic excuteret, aut artis vsum interciperet, vt eo furore transacto non posset reminisci eorum, quæ furens prædixisset: sed quo animus dumtaxat illuminaretur. Quo pacto sanctos Hebræorum prophetas ad vaticinandum impulsos credimus, sensibus integris, memoria incolumi, iudicio constanti. Quod de Sosipatra dæmonum alumna

muliere tradit Eunapius: quam nobis σωφρόνως ἐνθουσιῶσαν depingit. Quod autem Sibylla & poetices perita, & manu propria, quæ vellet, ſcribere poſſet, teſtatur Pauſanias in Phocicis de Herophile, ipſamet Sibylla, de qua loquimur; dum hanc hymnos in Apollinem ſcripſiſſe refert. Δήλιοι δὲ καὶ ὕμνων μέμνηνται τῆς γυναικὸς ἐς Ἀπόλλωνα.

Neque obſtat, quod quidam verſus in Sibyllæ oraculis non ſatis ad exactam metrices legem exacti occurrunt: cum & apud Homerum tales reperiantur, partim ἀκέφαλοι dicti, cum quid deeſt initio, vt in hoc:

Βορέης καὶ ζέφυρος &c.

partim μείουροι, cum in fine: quaſi excaudatos aut cauda mutilos dicas; partim redundantes initio aut in fine; vel etiam κολοβοὺς mutilos, ſi in medio deficiat: vt alia compoſitionis metricæ vitia omittam, quæ critici in poetarum principe obſeruant: Vt in primo verſu Iliados, qui ſcandi non poteſt:

Μῆνιν ἄειδε θεὰ Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος.

quæ tamen Homerus ad menſuram reuocare neglexit, cum poſſet. Nempe viro illi diuino & maximarum virtutum ſibi conſcio indignum maieſtate ſua viſum, ad hæc minuta & plane grammatica deſcendere, aut ſuſpicionem præbere, tanquam in leuibus reprehendi metuiſſet. Ita Plutarchus de illius verſus ἀμετρίᾳ iudicat in libro de ratione, qua quiſpiam ſe in virtutis

ſtudio

ſtudio profeciſſe deprehendat: Ὅμηρος δὲ τὸν πρῶτον οὐ διηνέχθη τῶν στίχων ἄμετρον ἐξενέγκων· τοσοῦτον περιῆν αὐτῷ φρονήματος εἰς τὰ λοιπὰ διὰ τὴν δύναμιν· id eſt, *At vero Homerus non dubitauit primum ſuorum verſuum ſinere in lucem prodire immodulatum: tanta illi ad reliqua poematis virtutis fiducia ſuperfuit.* Si virtutis abundantia & fiducia obſtitit Homero, quo minus vbique menſuræ in verſibus fundendis haberet rationem: quanto magis decuit Sibyllam, quam apte ſemper verſus caderet, ſecuram eſſe in oraculis.

CAPVT XIII.

Quod Sibylla haud notariorum ſiue librariorum opera, ſed propria manu carmina ſua ſcripſerit; ac ſcripto potius quam voce, quæ noſſet de futuris, exprometeret.

QUod ergo non vſquequaque elaborati ſunt ac perfecti Sibyllæ verſus, non hæc cauſa eſt, quam memorati auctores opinantur, eorum quæ in afflatu expreſſiſſet obliuio, ſed incuria & contemptus emendationis: neque verum eſt, ceciniſſe hanc tantum, non ſcripſiſſe. Reuera enim oracula ſua compoſuit, ac literis ipſa conſignauit, variis, apud quas verſabatur, gentibus

atque ciuitatibus custodienda, cum & poetria esset & vates. Quo etiam discrimine distinguitur a Pythia Apollinis Delphici sacerdote. Huic namque, cum indocta esset, vt supra obseruabamus, omnino opus erat notariis, qui furentis verba exciperent: vtpote cuius poesis tota ab afflatu penderet, quo transacto, neque reuocare in memoriam versus, neque componere aut emendare potuisset. Ita ad nihilum eius vaticinatio rediisset. Aut igitur vaticinium ab iis ipsis, qui hanc consulebant, per notarios excipiebatur, aut ipsi postea audita memoria repetentes chartæ mandabant, vt domum referrent. Ita quidem de quodam oraculo Atheniensibus reddito tempore belli Persici exponit Herodotus lib. 7. ταῦτά σφι (ἠπιώτερα γὰρ τῶν προτέρων καὶ ἦν καὶ ἐδόκεε εἶναι) συγγραψάμενοι, ἀπαλλάσσοντο ἐς τὰς Ἀθήνας. id est, *Hæc cum mitiora viderentur responsa, postquam scriptis mandarunt, Athenas sunt profecti.* De iis loquitur, quos Athenienses miserant Delphos sciscitatum de vitanda clade, quæ a Persis imminebat. Hinc quorumdam suspicio, non prolatos a Pythia eos versus, sed a peritis factos, qui responsa sine arte edita, postea numeris additis ad versuum formam redigebant. Plutarchus de Pythiæ oraculis: πολλῶν δὲ ἦν ἀκούειν, ὅτι ποιητικοί τινες ἄνδρες ἐκδεχόμενοι τὰς φωνὰς, καὶ ὑπολαμβάνοντες, ἔτι κάθηνται περὶ τὸ χρηστήριον, ἔπη, καὶ μέτρα,

καὶ

καὶ ῥυθμοὺς, οἷον ἠχεῖα (ita enim ſcribendum pro ἀγγεῖα) τοῖς χρησμοῖς ἐκ τοῦ παρατυχόντος περιπλέκοντες. id eſt, *Sed & multos audire erat, qui dicerent, nonnullos artis poeticæ peritos viros etiamnum ſedere apud oraculum, qui voces exciperent, iisque ſtylum heroicum, metra & rhythmos, ceu vaſa ſonorem edentia, oraculis in ipſo temporis articulo circumponerent.* Quam tamen ſuſpicionem vanam fuiſſe docet Plutarchus, communi eruditorum conſenſu; quo conſtat, fuiſſe tempus, cum Pythia verſibus reſponſa ederet: vnde occaſio Plutarcho diſputandi in eo libro, quod eius tempore, immo multo ante, deſiiſſet Pythia modulatas edere voces.

Secus dicendum de Sibylla; quam verſibus ſemper vaticinatam conſtat. Verum hæc cum poetices perita eſſet, aliorum miniſterio ad ſuas prædictiones literis mandandas non vtebatur, ſed ipſa in otio & ſeceſſu, cum ſe numine afflari ſentiret, eius impulſu ad oracula ſcribenda ſe componebat. Immo non erat mos eius voce oracula reddere, ſed ſcripto potius: quemadmodum ex Virgilio colligi poteſt, cum Æneam Heleni monitu inducit rogantem Sibyllam, vt ſibi fata ſua viua voce expromeret, non autem, vt ſolebat, in foliis ſcriberet.

Tantum foliis ne carmina manda,
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis:
Ipſa canas, oro.

Quorſum autem ſpectet, quod in tertio Æneidos habet, de eiusdem conſuetudine ſcribendi reſponſa in foliis arborum, quæ in ordinem diſpoſita integram oraculi ſententiam ſciſcitantibus exhiberent legendam, ſed quam nemo tamen ex iis aſſequi poſſet, priusquam ſcriptura legeretur, Sibylla excedens ſimul ianuam aperuiſſet, ventus irrumpens foliorum illam compoſitionem de improuiſo turbaret: quid; inquam, ſibi tali figmento velit; non eſt facile explicare; niſi forte hac ſermonis ambage oraculorum perplexitatem inſinuare voluit. Quemadmodum in vanitatem ſomniorum eadem imagine in ſexto eiusdem operis luſit, vlmum deſcribens, medio orci in limine, opacam, ingentem, cuius ſub foliis omnibus hærerent ſomnia:

In medio ramos annoſaque brachia pandit
Vlmus opaca, ingens: quam ſedem ſomnia vulgo
Vana tenere ferunt, foliisque ſub omnibus hærent.

An igitur & illic Maro, vt Epicureus, (qui fuiſſe creditur) reſponſa in foliis ſolitam ſcribere Sibyllam fingit, vt non minus vana illa eſſe, atque inſomnia, oſtenderet? quippe quibus eadem atque illis ſedes, caduca arboris folia. Tametſi enim & hoc loco ſexti Æneidos, & in tertio, tum in quarta ecloga, egregie Sibyllini carminis diuinitatem commendat; ſci-

mus

mus tamen hunc poetarum esse morem, vt in suis poematis nullius se doctrinæ finibus contineri patiantur, sed libere, quo eos rapit ingenii tempestas, ferantur: modo in Academiam, aliquando in Lyceum, nonnunquam in Porticum, interdum in Epicuri hortos, omnium placita sectarum in suis operibus notari ambitiosius affectantes. Vt in præsenti loco Epicuri opinionem, diuinationem omnem explodentis: verum oblique & figurate: non vt eam doctrinam probaret, sed ne silentio præteriret.

Nec me interea fallit, proditum a Varrone, Sibyllam solitam vti foliis palmarum: ita enim testatur Seruius Maronis interpres. Symmachus autem in epistola quadam libri quarti ad Protadium, hanc oracula sua in linteis scripsisse refert. *Et Martiorum quidem vatum* (inquit) *diuinatio caducis corticibus inculcata est. Monitus Cumanos* (siue Sibyllæ Cumææ) *lintea texta sumpserunt.* Vbi *lintea texta* intelligit linteos libros; quales olim sub Imperatoribus asseruatos in Vlpia bibliotheca ex Vopisco discimus in vita Aureliani; quem ait jussisse, vt sua Quotidiana, quas scilicet Græci ephemeridas vocant, in libris linteis scriberentur. Ita quibus in foliis vaticinia consignaret Sibylla non satis exploratum habemus, palmæ, an papyri, an aliarum arborum; neque omnino qua in materia. Hæc tamen de

ſcriptione & libris Sibyllæ ſilentio premenda non putaui.

Cæterum notis etiam Sibyllam ſignificaſſe futura, idem Seruius ad tertium Æneidos tradit; & ita hæc Maronis verba exponit:

foliisque notas & nomina mandat.

Tribus (inquit) *modis futura prædicit: aut voce, aut ſcriptura, aut ſignis: id eſt, quibusdam notis, vt in obeliſco Romæ videmus; vel, vt alii dicunt, notis literarum, vt per vnam literam ſignificet aliquid.* Ex his tribus prædicendi modis duos priores, vocem ſcilicet & ſcripturam, omnes agnoſcunt: ſcripturam in primis, quam illi magis familiarem fuiſſe oſtendi; de tertio modo ambigi poteſt. Quas notas intelligat, ſatis declarat, cum eius generis cenſet, cuius quæ Romæ in obeliſco viſebantur. Has enim fuiſſe hieroglyphicas, hoc eſt, animalium aliarumque rerum effigies & ſculpturas, ex Plinio conſtat: qui lib. 36. cap. 8. has Ægyptiorum literas, hisque obeliſcos conſcriptos fuiſſe, teſtatur. *Primus omnium id inſtituit Mitres, qui in Solis vrbe regnabat, ſomnio iuſſus: & hoc ipſum inſcriptum in eo. Etenim ſcalpturæ illæ effigiesque, quas videmus, Ægyptiæ ſunt literæ.* Et cap. 9. de obeliſcis duobus, qui Romam ex Ægypto translati, tradens: *Is autem obeliſcus, quem diuus Auguſtus in circo magno ſtatuit, exciſus eſt a rege Semneſerteo, quo regnante Pythagoras in Ægypto fuit; centum viginti quin-*

que

que pedum, & dodrantis, præter basim eiusdem lapidis: is vero qui est in campo Martio, nouem pedibus minor, a Sesostride. Inscripti ambo rerum naturæ interpretationem Ægyptiorum opera philosophiæ continent. Et hoc, inquam, dubium est, fuerintne eæ notæ hieroglyphicæ Sibyllæ in vsu; cum eiusmodi scribendi vsum Ægyptiorum proprium fuisse constet, non autem Græcorum. Græcam vero genere fuisse Sibyllam, & græce scripsisse, supra abunde ostendimus. Non est autem verisimile, Græcam vatem Ægyptiis notis & hieroglyphicis vsam fuisse. Quorsum enim? ad velandas prædictiones? quasi dictionis perplexitas communis omnibus prophetis non sufficeret. Mihi quidem verisimile non fit. Nec magis probabile de altero notarum genere: cum scilicet aliquid per vnam literam significatur. Is modus scribendi enim inuentus est potissimum ad quam celerrime excipiendas loquentium voces, ideoque in vsu ταχυγράφων, hoc est, notariorum. Sed & ad rerum scriptarum occultationem: cuius plures modos videre licet apud Cardanum lib. 12. cap. 61. de varietate naturæ. Si quidem nullum extat exemplum vatis, qui talibus notis futura expresserit. Vt omittam, non potuisse iis vti Sibyllam; si verum est, harum inuentorem fuisse Tyronem Ciceronis libertum, aut, vt alii dicunt, Mæcenatem. Sed de poesi & stylo Sibyllæ hactenus: nunc de Sibyllæ libris.

CA-

CAPVT XIV.

De antiquis & genuinis Sibyllæ libris. Quid sint Operta Apollinis.

HOrum duplex genus distingui potest: antiquorum, & recentiorum. Antiquos voco, quos veteres Græci & Romani habuerunt; recentiores, quos posterior ætas inuexit. Prioris generis centum Seruius Grammaticus agnoscere videtur, cumque numerum indicari his Maronis verbis in antri Sibyllæ descriptione:

Excisum Euboicæ latus ingens rupis in antrum,
Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum:
Vnde ruunt totidem voces, responsa Sibyllæ.

Ita igitur Seruius ad tertium Æneidos: *Sane sciendum, omnia responsa Sibyllæ plus minusue centum non contineri sermonibus. Vnde Virgilius ait: quo lati ducunt aditus centum* &c. Item in sextum Æneidos ad citatos versus; *Ostia centum. Finitus numerus pro infinito: licet & possit rationabiliter dictum esse. Responsa enim Sibyllæ in hoc loco plus minus centum sermonum sunt.* Obiter dicam: restituenda sententiæ negatio *non*, vt in priore loco, sic: *Responsa enim Sibyllæ non plus minus centum sermonum*; aut certe delenda e priore loco. Si cum negatione malumus legere, sensus erit: centum omnino fuisse Sibyllæ responsa; non plura aut pauciora. Subdit Seruius: *Inueniuntur*

untur tamen Apollinis elogia (ſcribe *logia*, id eſt, oracula) *& viginti & quinque & trium ſermonum: vnde & melius eſt finitum pro infinito accipi.* Ita parum certus ille, videtur de Sibyllæ librorum numero; ſi tamen *ſermonum* & *reſponſorum* nomine libri intelligi debent.

Cæterum Lactantius lib. 1. cap. 6. cum plures Sibyllas agnoſceret, ſingulis ſuum librum attribuit; *Et ſunt ſingularum* (inquit) *ſinguli libri: qui quia Sibyllæ nomine inſcribuntur, vnius eſſe creduntur: ſuntque confuſi, nec diſcerni ac ſuum cuique aſſignari poteſt, niſi Erythrææ.* &c. Vnus igitur Sibyllæ liber dumtaxat, ſi vna tantum fuit Sibylla, quod nos volumus. Immo plures eiusdem libri, quot ſcilicet fuiſſe Sibyllæ dicuntur: ſi quidem, eodem Lactantio teſte, Sibyllæ nomine omnes inſcripti erant, ideoque crediti vnius eſſe, cum eſſent confuſi, neque horum eſſet diuerſitas, qua diſcerni poſſent. Quod & Lactantius ipſe credidiſſet, niſi illi, quominus verum fateretur, anticipata opinio de multitudine Sibyllarum prodita a Varrone obſtitiſſet. Ita igitur ipſius Lactantii verbis, contra eius ſententiam, veriſimiliter oſtendi poteſt, decem fuiſſe a Sibylla conſcriptos oraculorum libros. Sed bonus earum rerum auctor Feneſtella mille tantum circiter Erythrææ Sibyllæ verſus ex Aſia Romam allatos tradit. Quare non abſurdum

fuerit putare, non pauca suppositititia & notha Sibyllinis iam tum fuisse inserta.

Porro ex iis versibus, siue Pythiæ, siue Sibyllæ, alii erant reconditi neque in vulgus prolati, alii editi & mundo noti. Quæ diuisio non modo de libris fatalibus vsurpata, sed etiam aliis multis bonorum auctorum. Nam & in philosophia Platonis & Aristotelis compertum habemus, quædam fuisse ἀπόκρυφα & ἀνέκδοτα, solis eruditis scripta, ideoque in occulto habita. Haud aliter apud antiquos arcana quædam vaticinia Pythiæ & Sibyllæ fuisse putandum est, in templorum adytis & archiuis reposita, ad perpetuitatem. Quo in genere ponenda fortasse quæ Marcus Tullius *operta Apollinis* vocat, in primo de diuinatione, his verbis: *Eodem modo multa a vaticinantibus sæpe prædicta sunt: neque solum verbis, sed etiam versibus, quos olim Fauni vatesque canebant. Similiter Marcius & Publicius vates cecinisse dicuntur. Quo ex genere Apollinis operta prolata sunt.* In secundo etiam libro eiusdem tractationis eorundem mentionem facit: *Eodemque modo, nec ego Publicio, nescio cui, nec Marciis vatibus, nec Apollinis opertis credendum existimo: quorum partim ficta aperte, partim effutita temere, nunquam, ne mediocri quidem cuiquam, non modo prudenti, probata sunt.* Huiusmodi arcana oracula penes Veientes fuisse idem auctor citato primo de diuinatione libro tradit, ideoque

que in opertorum Apollinis ordine habenda; quæ non fuiſſe ficta neque friuola, vt ille Academicorum ritu in vtramque verſans partem diſputat, euentus oſtendit. Ita igitur ibi ſcriptum eſt: *Quid, quod in annalibus habemus, Veienti bello, cum lacus Albanus præter morem creuiſſet, Veientem quendam ad nos hominem nobilem profugiſſe, eumque dixiſſe, ex fatis, quæ Veientes ſcripta haberent: Veios capi non poſſe, dum is lacus redundaret, & ſi lacus emiſſus lapſu & curſu ſuo ad mare profluxiſſet, perniciosum populo Romano; ſin autem ita eſſet eductus, vt ad mare peruenire non poſſet, tum ſalutare noſtris fore.* Et paulo poſt: *Cum autem Veientes bello feſſi legatos ad Senatum miſiſſent, tum ex his quidam dixiſſe dicitur: non omnia illum transfugam auſum eſſe Senatui dicere; in iisdem enim fatis ſcriptum Veientes habere, fore vt breui a Gallis Roma caperetur. Quod quidem ſexennio poſt Veios captos factum eſſe videmus.*

Hæc quis ficta dicat, quæ manifeſtis rebus vere fuiſſe præuiſa & prædicta euentus oſtendit? Itaque vel hoc exemplo indubitato confirmari poteſt, quod ſupra dicebamus, de ſcientia dæmonum: neque hos ita eſſe ab omni cum diuinis commercio & ſocietate remotos, vt non ad eos inde crepuſcula & fulgores quidam futurorum indices, moderante Numinis prouidentia, perueniant. Multa quoque apud Græcos

Græcos auctores occurrunt, quæ ad hæc Apollinis operta merito referuntur. Vt quæ Herodotus in Terpsichore de oraculis a Pisistrati posteris Athenis in arce relictis tradit: ἐκτήσατο δὲ ὁ Κλεομένης ἐκ τῆς Ἀθηναίων ἀκροπόλιος τοὺς χρησμοὺς, τοὺς ἔκτηντο, πρότερον μὲν οἱ Πεισιστρατίδαι, ἐξελαυνόμενοι δὲ ἔλιπον ἐν τῷ ἱερῷ. id est, *Cleomenes autem in manibus habebat oracula, sumpta ex arce Atheniensium, quæ prius erant penes Pisistrati posteros, ab iis autem, dum vrbe expellerentur, relicta ibi fuerant.* παλαιοὺς autem χρησμοὺς, *antiqua oracula* vocabant: quod epithetum quoties occurrit, de opertis Apollinis intelligendum est. Sic apud Plutarchum in Agesilao Diopithes ille, cuius supra mentio habita est, vir χρησμολόγος, *oraculorum peritus enarrator*, μαντειῶν παλαιῶν ὑπόπλεως, *plenus, suffertus veterum vaticiniorum* dicitur: quæ scilicet studiose in templorum archiuis scrutabatur, atque inde effossa in lucem suo tempore proferebat; vt illud de regno claudicante, in altercatione Agesilai & Leotychidæ. De quo genere oraculorum insignis in primis locus eiusdem Plutarchi in Lysandro: ἄλλον τε λόγον ἐκ Δελφῶν ἀνακομίσαντες εἰς τὴν Σπάρτην κατέβαλον καὶ διέσπειραν ὡς ἐν γράμμασιν ἀπορρήτοις ὑπὸ τῶν ἱερέων φυλάττοιτο· παμπάλαιοι δή τινες χρησμοὶ, καὶ λαβεῖν οὐκ ἔξεστι τούτοις, οὐδ' ἐντυχεῖν θεμιτὸν, εἰ μή τις ἄρα γεγονὼς ἐξ Ἀπόλλωνος ἀφίκοιτο. id est,

Tum alium insuper Delphis sermonem transmissum in vulgus Lacedæmone spargebant; quod scilicet vetustissima oracula arcanis libris perscripta apud sacerdotes seruarentur, quæ nec ipsis fas esset promere, aut illa inspicere, sed alicui tantum, qui Apollinis stirpe editus esset, si eo se conferret. Neque obstat, quod istud oraculum, quod tunc pro vero & antiquo prolatum fuit, ab antistitibus & ariolis, qui Lysandri partibus fauebant, confictum fuisse non dubitatur. Sufficit nobis, quod vetera oracula ἐν ἀπορρήτοις γράμμασιν, in reconditis libris archiuisque templorum fuisse, ex hoc loco pateat. Neque enim is sum, qui omnia eius generis vera fuisse pertendam: multa enim fuisse falsa non dubito; omnia, incredibile est: aut nullam priscis Græcis fuisse religionis curam, nullam Romanis, omnia sine dispectu sine iudicio recepisse, quæ vates & sacerdotes proponerent, fatendum. Quod de acutissimis prudentissimisque gentibus putare captum excedit naturæ humanæ. Non solum rectores ciuitatum, reges, imperatores, iis oraculis priscis fidem habebant, sed & philosophorum doctissimi, quibus imponere non fuisset facile. Quo in numero & Porphyrius, vt supra a me notatum, adeo persuasus fuit de veritate antiquorum oraculorum, vt inde capta opportunitate libros de methodo philosophandi ex oraculis non dubitauerit scribere.

Hæc

Hæc igitur ſunt operta Apollinis, partim vera, partim ficta & ſuppoſititia, ſed ita vt fraus non lateret: vt qua vſum Heraclitum in poeſi occultanda in Dianæ fano refert Tatianus in oratione contra Græcos: οὔτ' ἂν ἐπαινέσαιμι κατακρύψαντα (Ηράκλειτον) τὴν ποίησιν ἐν τῷ τῆς Ἀρτέμιδος ναῷ μυστηριωδῶς, ὅπως ὕστερον ἡ ταύτης ἔκδοσις γένηται. id eſt; *Neque laudauerim Heraclitum, qui in templo Dianæ abſcondit poeſim ſuam, vt poſtea hæc rei myſticæ in modum proferretur in lucem.* Ex quo patet, philoſophos ſua ſcripta in templis condidiſſe: quod dum Heraclito exprobrat Tatianus, ceu ambitione ad id faciendum impulſo, inſcitiam aut malignitatem ſuam prodit. Ignorat enim, hunc veterum morem fuiſſe, vt ſua ſcripta in templis deponerent: non eo conſilio, vt poſteris venerationi eſſent, tanquam conſecrata, ſed quod ea tutius in loco religioſo reponi arbitrarentur. Sic Galenus initio libri primi de compoſitione medicamentorum per genera, volumina eius argumenti Romæ ab ſe in pacis delubro cum aliis multis recondita fuiſſe dicit: quibus eius ædis incendio conſumptis, coactus fuerit alia nouis vigiliis, amicis id poſtulantibus, ſubſtituere, cum nulla priorum apud amicos exemplaria extarent. Nec ſecius poetas ſolitos, Auguſti æuo, ſua poemata ad perennitatem deponere in Palatini Apollinis templo, ex Horatio diſcimus in epiſtola ad Julium Florum:

Quid

Quid mihi Celſus agit? monitus, multumque monendus,
Priuatas vt quærat opes, & tangere vitet
Scripta, Palatinus quæcumque recepit Apollo.

Eundem morem & ſeculo Homeri obtinuiſſe colligo ex Platone, qui Homeri ἀπόθετα ἔπη, hoc eſt, operta & recondita carmina citat in Phædro.

CAPVT XV.

De vulgatis Sibyllæ oraculis: & de quodam ænigmate, quod in illis libris inuenitur.

SUperſunt alia oracula, quæ Sibyllæ nomine paſſim circumferuntur, octo libris comprehenſa. De his vetus inter eruditos eſt contentio, verane ſint Sibyllæ vaticinia, an falſo illi adſcripta. Multi vera eſſe cenſent & amplectuntur. Quo in albo eſt in primis Sebaſtianus Caſtalio, qui eos libros Σιβυλλιακῶν χρησμῶν verſione & notis illuſtrata edidit, Xyſtus Betuleius, M. Antonius Antimachus: cuius præfatio ad eos libros græce ſcripta extat; quibus recentiores alii complures ſubſcripſerunt. Alii omnino hæc a Sibylla profecta inficiantur. Ego vt omnia, quæ iis libris continentur, notha eſſe non auſim contendere, ſic neque omnia ſine diſcrimine pro veris amplecti.

plecti. Signanda hæc ſunt linea alba, neque committendum, vt vana attoniti religione, quia quædam in illis libris laudata a Patribus, & nomine Sibyllæ reperiuntur, propterea & hæc & alia genuina eius effata credamus. Quis enim, quæſo, (vt inde cenſuram hanc ordiar) veterem Sibyllam, de qua tam multa hactenus ex veterum monumentis expreſſimus, eorum auctorem dicere audeat, quæ in primo ſermone de vnius Dei principatu, de mundi creatione, hominis primi ortu & conſtitutione, paradiſo, priorum hominum vita longa, artium inuentione, & aliis, Moſis hiſtoriæ propheticæ conſentanea leguntur; & non potius ab aliquo Judæo conficta, vel potius a Chriſtiano: hoc conſilio, vt quæ poſtea de Chriſti aduentu, & myſterio redemptionis humanæ, eiusdem Sibyllæ nomine dicturus eſſet, fidem facilius inuenirent? In quibus & illud de Dei nomine ænigma occurrit, quod eruditorum ingenia multiformi coniecturarum ambage hactenus torſit, & tale eſt:

Ἐννέα γράμματ᾽ ἔχω, τετρασύλλαβός εἰμι, νόει με;
Αἱ τρεῖς αἱ πρῶται, δύο γράμματ᾽ ἔχουσιν ἑκάστη,
Ἡ λοιπὴ δὲ τὰ λοιπὰ, καί εἰσιν ἄφωνα τὰ πέντε.
Τοῦ παντὸς δ᾽ ἀριθμοῦ ἑκατοντάδες εἰσὶ δὶς ὀκτώ,

Καὶ

Καὶ τρεῖς τρὶς δεκάδες, σὺν γ᾽ ἑπτά· γνοὺς δέ τίς εἰμι,
Οὐκ ἀμύητος ἔσῃ θείης παρ᾽ ἐμοί γε σοφίης.

Sic autem hos versus latine vertit Castalio:

Sunt elementa nouem mihi, sum tetrasyllabus autem:
(Percipe me) primæ tres syllabæ efficiuntur
Ex binis omnes elementis: cætera restant
In reliquis: quorum sunt non vocalia quinque.
Totius numeri bis sunt hecatontades octo,
Et ter tres decades, cum septem. Si scieris me,
Non te, qua potior, sapientia dia latebit.

Quis credat antiquæ Sibyllæ esse hæc? Primum Deus est, qui loquitur, Noah autem patriarcham mox arcam ingressurum alloquitur: tum hæc loquens inducitur, quæ apud Esaiam prophetam legimus parua immutatione. Ita enim ibi cap. 66. Deus loquitur: *Cælum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.* Quæ Pseudo Sibylla his verbis exprimit:

Οὐρανὸν ἐνδέδυμαι, περιβέβλημαι δὲ θάλασσαν.
Γαῖα δέ μοι στήριγμα ποδῶν.

id est,

Cælum pro vestitu gero, & mari vt inuolucro & pallio vtor,
Terra autem fulcrum est pedum meorum.

Sequitur ænigma, de quo agitur nunc,

Ἐννέα γράμματ᾽ ἔχω &c.

Hoc igitur de Jehoua, quod nomen est ineffabile Dei apud Hebræos, quidam interpretantur; Joannes autem Picus de Messiæ nomine dictum existimauit. Ita quidem Leo Suauius habet in præfatione ad scholia sua in libros Paracelsi de vita longa. Quem virum laudare minus piget, vt eruditum; alioqui nimis superstitiosum & nugis Paracelsicis atque magicis addictum. Ibi ita refert: *Joannes Pantheus Venetus in libro Voarchodumiæ ænigmatico, Jehoua interpretatur, quod Joannes Picus nomen futuri Messiæ existimat: ille ad chymiam suam detorquet. Vim inferat, nec ne, iudicio prudentum relinquo.* Mihi cum auctorem ignotum esse fateor, solum ex titulo & verbi monstro, quo librum suum inscripsit, velut ex vngue, quod dicitur, leonem, hominem inepte ambitiosum & in literis circulatorem olfacio.

Cæterum longe diuersam eiusdem ænigmatis interpretationem affert Cardanus lib. 10. de rerum varietate cap. 52. quam se habere ab Emaro Ranconeto in Senatu Parisiensi præside, testatur. Nempe quæ illo ænigmate traduntur, ad amussim in ἀρσενικὸν, quod latine *auripigmentum* dicitur, metallici genus, conuenire demonstrat. Quam demonstrationem non fuit consilium huc transferre, vtpote prolixiorem. Satis sit locum studiosis indicasse. Illud non præteribo, quod ad enarrationis illius auctorem attinet: quippe hanc citato loco Carda-

Cardanus Emaro Ranconeto adſcribit acceptamque fert. *Cum* (inquit) *in hos ſermones incidiſſem, probari hanc artem* (chryſopoeiam, cuius periti iactant ſe metalla in aurum conuertere) *illuſtris Emarus Ranconetus præſes Lutetianus demonſtrauit carmine Sibyllino; adeoque ad amuſſim, vt cum ambigua ſoleant eſſe talium reſponſa, hac in cauſa clariora ſolis luce ænigmatis verba fuiſſe videantur. Itaque quæ ille doctus vir miro expreſſit artificio, prout ab illo accepi dum Lutetiæ eſſem, ſubiungam.* Nihil clarius: aperte enim dicit, ſe accepiſſe, cum Lutetiæ eſſet, eius ænigmatis demonſtrationem ab Emaro Ranconeto.

Nunc Leonem Suauium citato loco ſe ſe eius demonſtrationis auctorem primum profitentem, ac eam ceu proprium inuentum vindiciarum iure repetentem, audiamus. *Sic nos* (inquit) *per luſum adoleſcentes adhuc, verſibus Sibyllinis græcis de diuino nomine, vocem græcam* Ѯεροσενικὸν *accommodauimus: in quo omnia pulchre conuenire videbantur. Nempe nouem literæ, quatuor ſyllabæ, tres primæ duarum ſingulæ literarum, reliqua reliquarum, id eſt, trium, mutæ quinque v ſemel ſumpto, vocales ergo quatuor. Reſtat in numero, qui ex literis colligitur, difficultas: quam enarrauit Emarus Ranconetus, vir apprime doctus, Cardano, cum ab Emilio Peroto, viro eruditiſſimo atque integerrimo, accepiſſet, qui in his artibus diſceptandis mecum maxi-*

 mam

mam voluptatem capiebat. Id enim qualecumque eſt, inuentum eſt meum: vt libellus ille noſter fidem facit. Exinde ad Cardani tractationem tranſit, quam *variam & maculoſam* appellat: inſcitiæ etiam arguit in arſenico & auripigmento, quæ Cardanum ait diſtinxiſſe, tanquam res diuerſæ his vocabulis ſignificentur. Verba Cardani hæc ſunt: *Accedit illud, quod res ipſa verbis & nominis expoſitioni congruit, vt alias docuimus: nam & arſenico æs in argenti ſimilitudinem tranſit, & in auripigmento aurum continetur.* Ex his igitur verbis arguit, Cardanum falſo putaſſe, arſenicum eſſe diuerſum ab auripigmento; cum hæc nomina ſolo linguarum diſcrimine differant: quod enim Græci ἀρσενικὸν vocant, Latini *auripigmentum* appellant. Sed hæc cenſura iniqua eſt. Neque enim ſic locutus Cardanus, quod hæc nomina rerum diuerſarum putaret; ſed cum duo arſenico tribuat, vnum quod in argenti ſimilitudinem transeat, alterum quod in ſe aurum contineat, hoc poſterius exprimere volens, vocis latinæ commoditate vtendum cenſuit, propterea quod & in ipſa aurum continetur, vtpote compoſita ex duobus nominibus, *auro & pigmento.*

Hæc autem de illo ænigmate referre viſum eſt, vt appareat, multa in illis Σιβυλλιακῶν libris inſerta eſſe notha, quæ nemo ſanus Sibyllæ adſcribere audeat. Si enim verum eſt, quod memo-

memorati viri docti putarunt, ænigmate illo ſignificari arſenicum, vt materiam opportunam chymicis ad aurum faciendum: quis ſatis mirari poſſit impudentiam nebulonis iſtius, qui hæc auſus ſit Sibyllæ oraculis interponere, &, quod maioris amentiæ eſt, Dei optimi maximi perſona ad tales impoſturas vti? Cum præſertim Deus ibi inducatur Noah patriarcham de mox futuro diluuio admonens, niſi homines reſipiſcant, adeoque illi imperans, vt iis proximam cladem & ſupplicium imminens denunciet: quod & facit. Statim enim ænigmati de auro faciendo ſubiungitur patriarchæ concio ad homines. Vt nihil magis ab eo negotio, quod ibi agitur, alienum & importunum dici poſſit ænigmate. Tametſi iſtud incongruens & inconditum defendit Cardanus, ſed fruſtra. Ita enim hic citato loco: *In quo & illud mirum videri poſſet, quod tam procul vates abſcedat a propoſito. Sed hæc & maiora longe ſunt vatum priuilegia, & maxime lymphaticarum & fanaticarum.* Eſto. Fanaticis ius ſit diſſentanea & abſona miſcere: num & Deus fanaticus, vt ſi loquens inducatur, dum de aliquo loquitur, ſtatim ſine ratione aliud nihil ad rem, de qua agitur, pertinens, atque remotiſſimum interponat? Vt omittam, quam ſit alienum a tanta maieſtate, docere homines artem auri efficiendi; quos non multos poſt

annos ob auaritiam, ambitionem, & alia vitia aquis submergere decreuisset.

Jam si non δεσπενικὸν, (quod ridiculum dictu in oraculo) sed σωτὴρ θεὸς, *Seruator Deus*, in illis nouem literis continetur, vt Joannes Auratus, vir doctissimus, ariolabatur; non minor sequitur ineptia & absurditas Sibyllæ, ænigmate inuoluentis rem omnium manifestissimam. Quid enim manifestius, quid magis in confesso apud omnes mortales, quam Deum conseruare & tueri omnia in vniuerso? Quid hic opus ambagibus, quid obscuritate sermonis, ad id tegendum, quod velis nolis parens rerum natura explicat, quod cæli enarrant, elementa loquuntur, inanimata pariter & animata indubitatis documentis persuadent? Vnde enim philosophi hanc doctrinam, nisi ab ipsa natura hauserunt? in quibus & auctor libri de mundo ille quicumque est, cuius hæc in eo libro diuina extat sententia: Σωτὴρ μὲν γὰρ ὄντως ἁπάντων ἐστι, καὶ γενέτωρ τῶν ὁπωσδήποτε κατὰ τόνδε τὸν κόσμον συντελουμένων, ὁ θεός. id est, *Etenim cunctorum, quæ rerum natura complectitur, cum seruator est Deus; tum vero quæcumque in hoc mundo quoquo modo perficiuntur, eorum omnium idem genitor est.* Et in capite eiusdem libri vltimo inter multifarias Dei appellationes, & epitheta, quibus indigitatur, σωτήρ τε καὶ ἐλευθέριος vocatur.

Quor-

Quorſum igitur ænigmate abſconderet Sibylla, quod abſcondi nullo modo poteſt? Cum præſertim rationi humanæ incomprehenſa religionis chriſtianæ myſteria, illaque altiſſima ſupremæ ſapientiæ conſilia, de reſtituenda in priſtinam dignitatem hominis natura atque ab orco reuocanda, quanta nullus ſanctorum vatum, orationis perſpicuitate & diligentia plane hiſtorica expediat.

Patet itaque ex his, neutram harum explanationum attingere ad ſenſum ænigmatis. Non tamen continuo ſequitur, nihil ſubeſſe ad ſapientiam pertinens: quod negare non auſus Cardanus. *Si non hoc*, (inquit) *aliud quippiam Sibylla indicare potuit valde vtile.* Eſto ſane. Neque enim is ſum, qui omnium, quæ in iis libris vulgatis Sibyllinorum continentur, nihil vere Sibyllinum eſſe contendam, ſed veris multa falſa eſſe aſſuta.

CAPVT XVI.

An Sibylla de Chriſto prædixerit.

GEnuina autem illa a nothis & ſuppoſititiis diſcernere non cuiuis promptum. Qua de re pridem diſceptatio inter eruditos mota eſt, de iis, quæ in memoratis libris plane chriſtiana & euangelica inueniuntur; num vere tam diuina ſcripſerit Sibylla, an ei piorum

 nebulo-

nebulonum fraude afficta, ex eorum secta, quos docti ethnici a Sibyllinorum carminum studio, & obiecta vbique auctoritate, Σιβυλλιςὰς vocabant? De hac quæstione, quanquam apud homines non socordes & eruditos profligata videri potest, ducente tamen tractationis Minerua ipsa & proposito, aliquid omnino attingere oportet. Sed paucis: quando, quæ mihi attentius rem mecum consideranti in mentem venerant, ab aliis occupata video. Quod autem ex iis omnibus, quæ hactenus de Sibylla exposui, præcipuorum auctorum ac totius antiquitatis firmata consensu, sequitur, quominus proferam, nulla me cuiusquam reuerentia deterrebit.

Non mihi fit verisimile Græcam mulierem, ab infantia in gentium religione educatam, malis geniis & lemuribus deuotam & consecratam, eorum mancipium & familiare instrumentum, idololatriæ omnis, omnium impiarum superstitionum magistram & antistitam, electam fuisse a Deo optimo maximo, cui tota diuinitatis adyta & sacraria patefaceret, tantumque lucis supernæ infunderet, quantum nulli sanctorum prophetarum.

Enimuero Deum afflare quem vult, dicunt, & Balaami, deorum sacerdotis & pseudoprophetæ, exemplum adducunt: cui Deus, vt ex libro Judicum constat, illustre expressit de Christo vaticinium, & benedictionem populi electi,

electi, cum ád eum maledicendum ac diris deuouendum ab impio Moabitarum rege accitus & conductus fuisset. Scio: sed non eadem huius ratio & Sibyllæ. Illi ariolo inuito expressa est confessio aduentus Christi, quem stellam vocat, & ex gente Israelitica exorituram dicit: quæ maxima non gentis illius tantum sed vniuersi generis humani benedictio fuit. Quid mirum, si consilii impietatem corrigit Deus? si maledictionem in benedictionem conuertit? Hoc certe non ex proposito, neque secta, quam in operibus tenet, sed ex accidenti. Quo pacto fratrum consilium de Iosepho in ipsius Iosephi salutem, & vniuersæ eius domus, idem bonus Deus vertit. Hæc ratio Dei est, hæc sapientia, ex prauis hominum voluntatibus & factis nefariis bonos & longe vtiliores proferre euentus atque opportunitates rerum magnarum; secus fieri non permitteret. Vt paucis absoluam: conductus fuerat Balaamus ad maledicendum Israeli; non impediuit Deus quin malediceret, solum cui malediceret ostendit. Impiis igitur idolorum cultoribus maledixit, & quod sequitur, populo Dei fausta, salutaria, gloriosa Numinis præpotentis instinctu præsagiit.

Quam dispar Sibyllinorum de Christo oraculorum ratio? Qui enim sic de Christo est vaticinatus vt Balaamus, ex accidenti, paucis, & per ænigmata, idque inuitus, hunc merito

omnes ſolennium prophetarum catalogo expungendum putent; qui autem ſic, vt Sibylla in vulgatis libris, quid quæſo cauſæ afferri poteſt, cur verorum prophetarum, qui de Christi aduentu & rebus prædixerunt, non plane albo adſcribi mereatur? Quid de regis Chaldæorum Nabuchodonoſoris viſione illa dicam, quam habuit dormiens, ingentis ſupra modum ſtatuæ, quæ figura erat præcipuorum regnorum mundi? nunquid egregiam continet de Chriſto vaticinationem? Poſtquam enim multiformem eius ex metallis diuerſis ſtructuram expoſuit, ſubdit: *Videbas ita, donec abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus: & percuſſit ſtatuam in pedibus eius ferreis & fictilibus* &c. Omnes enim lapidem eum abſciſſum ſine manibus, de extraordinaria Chriſti ex Judæorum gente citra viri operam procreatione interpretantur. Ita propheticum fuiſſe illud regis Chaldæi ſomnium non ambigitur: neque tamen propterea prophetarum in numero habendus Nabuchodonoſor, vtpote qui habuit tantum imaginem futuri, rerum alioqui & myſterii ignarus. Neque enim ſimplex imaginum informatio aut intuitus prophetam facit; ſed earum, quas videt, imaginum ſignificatio, cum ſomnianti aut videnti, quo ſpectent vmbræ & ſimulacra manifeſtatur. Daniel vero ipſe, qui quid ſomnium illud portenderet intellexit, & regi interpretatus eſt, vere propheta

phetæ munere functus est, adeoque prophetis annumerandus.

Idem de Sibyllæ oraculis dici non potest; quibus nihil expressius, nihil perspicuum magis & distinctum, cum omnia de Christo appositis circumstantiis definiat, haud secus atque Euangelistæ. Vt illa de Christi miraculis:

Καὶ τότε δὴ νοσερῶς ἰήσεται, ἠδ᾽ ἐπιμώμους
Πάντας, ὅσοι τούτῳ πίστιν ἐνὶ ποιήσωνται.
Βλέψουσιν δὲ τυφλοὶ, ἀτὰρ βαδιοῦσί τε χωλοί,
Κωφοί τ᾽ εἰσαΐσουσι, λαλήσουσ᾽ οὐ λαλέοντες·
Δαίμονας ἐξελάσει, νεκρῶν δ᾽ ἐπανάστασις ἔσται·
Κύματα πεζεύσει, καὶ ἐρημαίῳ ἐνὶ χώρῳ
Ἐξ ἄρτων ἅμα πέντε καὶ ἰχθύος εἰναλίοιο
Χιλιάδας κορέσει πέντε, τὰ δὲ λείψανα τούτων
Δώδεκα πληρώσει κοφίνους.

Tum illud de iis, quas Christus passus a Judæis, contumeliis:

Εἰς ἀνόμων χεῖρας καὶ ἀπίστων ὕστατον ἥξει.
Δώσουσιν δὲ Θεῷ ῥαπίσματα χερσὶν ἀνάγνοις,
Καὶ στόμασιν μιαροῖσι τὰ πτύσματα φαρμακόεντα,
Δώσει δ᾽ εἰς μάστιγας ἁπλῶς ἁγνὸν τό τε νῶτον.

item:

Καὶ κολαφιζόμενος σιγήσει, μή τις ἐπιγνῷ
Τίς, τίνος ὢν, πόθεν ἦλθεν, ἵνα φθιμένοισι λαλήσῃ·

Καὶ στέφανον φορέσει τὸν ἀκάνθινον.
Πλευρά τε νύξουσιν καλάμῳ διὰ τὸν νόμον αὐτῶν.

Quibus versibus furor alapas Christo infligentium, atque os eius conspuentium, & flagellantium, ac tandem configentium quam graphice exprimitur. Tum, quod satis in oraculo, si oraculum est, mirari non possumus, coronæ spineæ fit mentio. Cui illud accedit, non minus mirandum, de potu fellis & aceti, qui illi in cruce pendenti oblatus fuit.

Εἰς δὲ τὸ βρῶμα χολὴν, καὶ εἰς δίψαν ὄξος ἔδωκαν
Τῆς ἀφιλοξενίης ταύτην δείξουσι τράπεζαν.

Et alibi :

Εἰς δὲ τὸ βρῶμα χολὴν, καὶ εἰς πότον ὄξος ἄκρατον
Δυσσεβέως δώσουσι, κακῷ βεβολημένοι οἴστρῳ
Στήθεα καὶ κραδίην, ἀτὰρ ὄμμασιν οὐκ ἐσορῶντες,
Τυφλότεροι σπαλάκων, φοβερώτεροι ἑρπυστήρων,
Θηρῶν ἰοβόλων βαρεῖ πεπεδημένοι ὕπνῳ.
Ἀλλ᾽ ὅταν ἐκπετάσῃ χεῖρας, καὶ πάντα μετρήσῃ,
Καὶ στέφανον φορέσῃ τὸν ἀκάνθινον, ἠδέ γε πλευρὰν
Νύξωσιν καλάμοισιν, ὅτου χάριν ἐν τρισὶν ὥραις
Νὺξ ἔσαι σκοτόεσσα πελώριος ἤματι μέσσῳ
&c.

Quod

Quod enim in paucis Dauidis pſalmis admiratus eſt Auguſtinus, de nonnullis maxime propriis Chriſti patientis: vt in Pſalmo 21. verba eius: *Quare me dereliquiſti?* &: *foderunt manus meas & pedes meos.* item: *& ſuper veſtem meam miſerunt ſortem*; in pluribus non minus propriis & euidentibus quiuis obſtupeſcat, neceſſe eſt, oraculis Sibyllæ, ſi vera ſunt. Neque porro quod de regis Chaldæi ſomnio & aliis eiusmodi diximus, de Sibylla auſim dicere, ſi talia protulit, vt hanc, quæ proferret & ſcriptis mandaret, non intellexiſſe credamus. Immo huic Deum ore ad os, vt Moſi, locutum oportet: quod de iis dicunt Hebræi, quibus Deus non per figuras & ænigmata, ſed per planas & proprias rerum notiones ſingula quæque aperit.

Merito igitur doctiores oracula illa Sibyllæ tam expreſſa de Chriſto non putarunt vera, ſed ficta & ſuppoſita a Chriſtianis.

Cæterum non deſunt, qui hic mediam ſententiam quodam arbitrii temperamento proponant. Nempe in his oraculis, quæ de Chriſto Sibyllæ nomine proferuntur, quædam vere Sibyllina eſſe, alia notha, pia Chriſtianorum fraude veris inſerta, quæ ſcilicet magis perſpicua ſunt & rerum circumſtantiis notantur. Ita rem componit Richardus Montacutius in quartæ exercitationis ſect. 4. vtrumque accuſans, & Baronium Cardinalem & Caſaubonum:

bonum : illum, quod omnia, quæcumque de Christo in vulgatis Sibyllinis leguntur, genuina vatis illius esse putauerit; hunc, quia omnia de Christo supposita a Christianis censeat. *Neque vllo modo* (inquit) *probari debet, nedum defendi, doctissimi exercitatoris* (Casauboni) *opinio, qui quæcumque manifesta reperiuntur de Christo Jesu, & Christi in carne οἰκονομία, sub nomine Sibyllarum recitata, vel etiam Hydaspis & Trismegisti, στιγματίζει & conficta arbitratur, vt pias fraudes a maioribus.* Verum tam probus & æquanimus censor debebat nobis indicare in illa oraculorum farragine, quæ γνήσια Sibyllæ essent, quæ supposita. Quod non facit, quando & manifesta de Christo in iis libris reperta non æquum censet tanquam notha expungi, eoque nomine Casaubonum culpat, quod omnia huius generis notis configat. *At* (inquit) *veteres illi gentium philosophi, rhetores, philologi, grammatici, ciuitatum magistratus & principes, quibus antiqui Ecclesiæ patres oracula illa Sibyllæ proponebant, non tarde fraudem subodorati fuissent, si vllam iis subesse credidissent.* Quasi vero Celsus, in eorum philosophorum albo, in iis disputationibus, quas aduersus eum Origenes habuit, non aperte obiiciat, Christianos παρεγγράφειν μὲν εἰς τὰ ἐκείνης πολλὰ καὶ βλάσφημα εἰκῆ δύνασθαι. hoc est, *multa potuisse falsa iis libris temere & impia in Deum dicta inserere.* Ita vocat quæ de Christi DEI

humana

humana natura & laboribus in Euangeliis leguntur. Tum Sibyllinorum, quæ Christiani proferebant, publicus contemptus & aspernatio, non suspicionis in illis malæ fidei idoneum argumentum censeri debet? Nam si illa Sibyllæ genuina esse credebant, cur non iis fidem præbuerunt, & se de vera religione conuinci passi sunt? cum tantæ apud eos auctoritatis Sibyllæ effata essent, maxime apud Romanos, quibus nihil sanctius olim Sibyllæ oraculis fuisse constat. Ita enim de iis tradit Dionysius Halicarnasseus: οὐδὲν οὕτω Ῥωμαῖοι φυλάττουσιν, οὔτε ὅσιον κτῆμα, οὔτε ἱερὸν, ὡς τὰ Σιβύλλινα θέσφατα.

Nec vero melior responsio est Origenis: male a Celso fraudis argui Christianos in Sibyllinis, qui aliter conuinci non possint, quam si illis antiquiora Sibyllinorum exemplaria proferrentur, in quibus nihil de Christo proditum legeretur. Parum solida, inquam, hæc responsio. Quam multa critici in auctoribus antiquis vt spuria obelo configunt atque expungunt, ex sola coniectura, quod ea stylo alicuius, aut ingenio, aut moribus, aut instituto parum consentanea iudicant? Sic Aristarchus celebris grammaticus, nulla alia in plerisque quam iudicii sui amussitati fiducia, & longo vsu in literis, qui Homeri versus genuini essent, qui nothi, pronunciabat, tanto omnium eruditorum assensu, vt non temere eorum versuum

aliquis

aliquis satis Homericus videretur, quem non ille esse talem comprobasset. Quam eandem iudicii auctoritatem Varroni concessam in recensendis Plauti fabulis testatur Gellius lib. 3. cap. 3. quem locum adscribere operæ pretium est: *Verum esse comperio, quod quosdam bene literatos homines dicere audiui: qui plerasque Plauti comœdias curiose atque contente lectitauerint, non indicibus Helii Sedigiti, nec Claudii, nec Aurelii, nec Accii, nec Manilii, super his fabulis, quæ dicuntur ambiguæ, credituros, sed ipsi Plauto, moribusque ingenii atque linguæ eius. Hac enim iudicii norma Varronem quoque esse vsum videmus. Nam præter illas vnam & viginti, quæ Varronianæ vocantur, quas idcirco a cæteris segregauit, quoniam dubiosæ non erant, sed consensu omnium Plauti esse censebantur; quasdam item alias probauit, adductus stylo atque facetia sermonis Plauto congruentis: easque iam nominibus aliorum occupatas Plauto vindicauit.* Hæc ille.

Si Aristarchus de Homeri versibus, Varro & alii Romani de Plauti comœdiis veritatem citra exemplarium fidem, solo iudicio freti, cognoscere potuerunt; cur non Celsus ille philosophus, & alii ethnicorum disciplinis præstantes viri, pronunciare de Sibyllinis, quæ horum genuina quæ spuria censeri deberent? Omitto, non fuisse procliue neque, neq; Celso aliis priuatis hominibus, adire ad illa genuina & sincera

Sibyllæ

Sibyllæ exemplaria, si qua essent, ad redarguendam impostorum fraudem, vtpote quæ, vt supra ostendimus, in vrbium archiuis & fanorum sacrariis procul a profanorum curiositate laterent; Romæ in primis ea religione custodirentur, vt nemini mortalium ea inspicere liceret, nisi viris quindecim, idque Senatus decreto, quo illa inspiciendi potestas fieret.

CAPVT XVII.

Sibyllæ & aliorum ethnicorum vatum oracula nullius auctoritatis: & de Hystaspe mago.

NOn solum vero falsi suspecta Ethnicis fuere oracula illa de Christo, sed etiam Ecclesiæ; quo nihil ad eorum auctoritatem infringendam vehementius iudico. Alioqui dicant mihi eorum assertores, cur Apostoli, & qui propius eos insecuti sunt, in suis apud Græcos & alias externas nationes concionibus non illa iis de Christo têstimonia proposuerunt, Paulus præsertim, qui Arati, Epimenidis, Menandri versus ad Athenienses verba faciens sacræ interponit concioni: cur igitur de Sibyllæ oraculis ne verbum quidem? cur ne ad Romanos quidem scribenti venit in mentem Sibylla, cuius sanctam iis auctoritatem esse ignorare non potuit? Scio quid Clemens scri-

ptum reliquerit in ſexto Stromat. ſolitum hunc in ſermonibus ad ethnicos ablegare eos non modo ad Sibyllæ, ſed etiam ad Hyſtaſpis magi libros, his verbis, quæ tanquam e concionibus eius excepta profert : λάβετε τὰς Ἑλληνικὰς βίβλους· ἐπίγνωτε Σίβυλλαν, ὡς δηλοῖ ἕνα θεὸν, καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι· καὶ τὸν Ὑστάσπην λαβόντες ἀνάγνωτε. id eſt, *Libros græcos ſumite in manus, agnoſcite Sibyllam, quomodo vnum Deum ſignificet, & ea quæ ſunt futura. Hyſtaſpem quoque ſumentes legite.* Verum quod tales Apoſtoli conciones citat Clemens non mirabitur, qui eius libros ſtudioſe euoluerit. Ita multa alia in iis occurrunt ſcripta apocrypha, quæ temporibus illis, quibus ſcribebat, paſſim circumferebantur. Hæcque vt literarum ſtudioſus & πολυμαθὴς non veretur proferre in medium oblata occaſione, ne ignoraſſe videretur. Sic in tertio eorumdem librorum hæc Chriſti verba ex Euangelio Ægyptiorum refert: ἦλθον καταλῦσαι τὰ ἔργα τῆς θηλείας. *Veni ſoluere opera feminæ*; hoc eſt, vt ibi interpretatur, cupiditatis, quam feminam appellat. θηλείας μὲν τῆς ἐπιθυμίας· ἔργα δὲ γένεσιν καὶ φθοράν. *Opera autem cupiditatis ſunt generatio & corruptio.* Poſt quæ verba ſubdit Chriſti colloquium cum Salome : Cum (inquit) Chriſtus dixiſſet : *Veni ad diſſoluendum opera feminæ*, hoc eſt, cupiditatis, cuius opera ſunt peccata & animæ interitus, quærit Salome : *Quouſque morientur homines ?* cui reſpondet Seruator :

Quam-

Quamdiu parient mulieres, hoc eſt, cupiditates operabuntur. Rurſus Salome non intelligens allegoriam ſubdit: *Rectè ergo feci quæ non peperi.* Ibi porro rurſus ſubdit Dominus: *Omni herba veſcere, ea autem, quæ habet amaritudinem, ne veſcaris.* Quo innuit, liberum eſſe vnicuique matrimonio vti, aut continentiam ſeruare, ſi cui alterutrum amarum moleſtumque videatur.

Hæc ea cauſa adnotare viſum eſt, vt omnes intelligant, quantum ſibi & Clemens & alii eius ætatis permiſerint in quibuſcumque citandis veterum ſcriptis, non multum curantes, vera eſſent an ficta & ſuppoſititia, quæ in medium proferrent. Ac de aliis, quos citat, mitto in præſens dicere: certe quod ad Hyſtaſpem attinet, cuius lectionem ſuis auditoribus commendaſſe Apoſtolum Paulum in concionibus autumat, quantum erret, ex iis quæ de Hyſtaſpe illo mago tradit Ammianus Marcellinus lib. 23. intelligi poteſt, neque abs re ſit locum referre: *Magiam opinionum inſignium auctor ampliſſimus Plato machagiſtiam eſſe verbo myſtico docet, diuinorum incorruptiſſimum cultum, cui ſcientiæ ſeculis priſcis multa ex Chaldæorum arcanis Bactrianus addidit Zoroaſtres: deinde Hyſtaſpes rex prudentiſſimus Darii pater. Qui cum ſuperioris Indiæ ſecreta fidentius penetraret, ad nemoroſam quamdam venerat ſolitudinem, cuius tranquillis ſilentiis præcelſa Brach-*

manorum ingenia potiuntur: eorumque monitu rationes mundani motus & ſiderum, puroſque ſacrorum ritus, quantum colligere potuit, eruditus, ex his quæ didicit aliqua ſenſibus magnorum infudit: quæ illi cum diſciplinis præſentiendi futura, per ſuam quisque progeniem poſteris ætatibus tradunt. Ex eo per ſecula multa ad præſens vna eademque proſapia multitudo creata deorum cultibus dedicatur. Feruntque etiam, ſi iuſtum eſt credi, ignem cælitus lapſum apud ſe ſempiternis foculis cuſtodiri, cuius portionem exiguam vt fauſtam præiſſe quondam Aſiaticis regibus dicunt.

Ex hoc, inquam, Ammiani loco patet, quam ſit abſurdum putare, talem virum ab Apoſtolo fuiſſe propoſitum populis, cuius libros de vero DEI cultu & rebus diuinis conſulerent: quem, velut alios eius ſectæ, deorum, hoc eſt, cacodæmonum multitudinem agnouiſſe & profeſſum fuiſſe, magiæ definitio, ſiue interpretatio, a Platone in primo Alcibiade tradita, declarat. Hanc enim dicit eſſe θεῶν θεραπείαν *deorum cultum*; quemadmodum & Apuleius refert in apologia. Sed & illam ignis, quem cælitus delapſum fingebant, cuſtodiendi & regibus præferendi ſuperſtitionem ab eodem Hyſtaſpe transmiſſam aliis magis indidem patet. Quod ſatis eſt ad incutiendum cuiuis Chriſtiano horrorem librorum Hyſtaſpis, nedum tanto Apoſtolo. Vt ſatis mirari non poſſim, tali

quoque

quoque teste ad Christum ethnicis insinuandum sustinuisse vti Iustinum Martyrem in apologia secunda. Quo loco etiam deplorat temporum conditionem, quod Imperatorum edictis prohiberetur lectio librorum Hystaspis, Sibyllæ, & prophetarum. At enimuero etiamsi illud concederetur, ab illo mago mentionem Christi inter deos factam fuisse; quis tamen non videt, tali testimonio admittendo latam ethnicæ superstitioni omni atque idololatriæ aperiri portam, pietatis autem christianæ puritatem contaminari, dum impuri dæmones deorum nomine in eiusdem cultus societatem vocantur. Eadem ratio est Sibyllæ; quæ & ipsa, vt supra monstratum est, falsorum deorum cultum præcipit. Non minus proinde temere Lactantius Sibyllam & Mercurium sanctissimis Hebrææ gentis prophetis aggregat atque componit in primo de falsa religione. *Nunc* (inquit) *ad diuina testimonia transeamus: sed prius vnum proferam, quod est simile diuino, & ob nimiam vetustatem, & quod is, quem nominabo, ex hominibus inter deos relatus est.* Mercurium, quem Thoh Ægyptii vocant, a quo & literas & leges accepisse dicuntur, intelligit: ab aliis idem *ter maximi* cognomine adiuncto nominatur. Cuius tamen testimonio certiora multo Sibyllarum carmina ibidem censet.

CAPVT XIIX.

Augustini, Hieronymi & Ambrosii de Sibyllinis, quod ad religionem attinet, iudicium.

SEd ex omnibus argumentis, quæ aduersus Sibyllæ diuinitatem & falso tributam auctoritatem afferri possunt, validissimum illud mihi videtur, quod ex Ecclesiæ iudicio ducitur. Quo argumento Augustinus contra Faustum Manichæum vtitur; qui Sibyllæ, Orphei, & aliorum externorum vatum testimonia, ad gentes de Christo persuadendas accommodatiora & efficaciora esse contendebat iis omnibus, quæ in Hebræorum prophetarum libris de eodem scripta extant. Hunc igitur Manichæum *in hoc deceptum* dicit, *quod non attende- t, in nullis ecclesiis illa* (Sibylla vaticinia) *recitari, cum Hebræi prophetæ in omnibus gentibus clareant, atque ad Christianam salutem tanta infidelium examina deducant.* Ita ille in libris contra Faustum. In quibus adhuc expressius alibi: *Sibylla porro, vel Sibyllæ, & Orpheus, & nescio quis Hermes, & si qui alii vates, vel theologi, vel sapientes, vel philosophi gentium, de filio Dei, aut de patre Deo, vera prædixisse seu dixisse perhibentur: valet quidem aliquid ad paganorum vanitatem reuincendam, non tamen ad istorum auctorita-*

auctoritatem amplectendam, cum illum Deum nos colere ostendimus, de quo nec illi tacere potuerunt, qui suos gentiles populos ad idola & dæmonia colenda partim ducere ausi sunt, partim prohibere ausi non sunt. At illi sancti auctores nostri &c. Quibus verbis Augustinus omnem plane Sibyllæ oraculis in Ecclesia auctoritatem derogat, duabus de causis. Prima est Ecclesiæ consuetudo; quod hæc nunquam solita sit Sibyllæ & aliorum ethnicorum vti testimoniis in negotio religionis, vel aduersus paganos. Altera est ipsius Sibyllæ improbitas, diuinis profana miscentis, ac eadem charta celebrantis Christum, simul populares suos ad falsorum deorum cultum inuitantis, atque infandos sacrorum ritus docentis. Quo vtroque modo Sibyllæ de Christo vaticinia exploduntur planissime. Priore quidem sic. Sententia est M. Tullii ab ipsius naturæ adytis prompta: *Omni in re consensio omnium gentium lex naturæ putanda est.* uæ lex naturæ falsa esse non potest. Quanto magis consensus omnium fidelium, qui Ecclesia dicitur? Alii enim homines naturæ lumine & ratione, quæ omnibus est communis, reguntur; Ecclesia Spiritu Sancto, qui neque fallere neque falli potest. Cum igitur Ecclesiæ consensu iudicatum sit, & consuetudine firmatum, non esse dignam Sibyllam cuius testimonium inter iusta fidei instrumenta habeatur, vel apud ethnicos,

ad insinuandam iis veritatem religionis christianæ; annon ex hoc vel maxime intelligi potest, falsa esse illa de Christo vaticinia, quæ eius nomine feruntur? Neque enim talia aliunde illi, quam a Spiritu Dei offerri potuissent. Hoc autem dici non potest: quia frustra essent vaticinia illa, quorum nulla auctoritas, vsus nullus in Ecclesia esset. Nihil autem Deus temere aut frustra facit.

Sed neque huiusmodi omnium fidelium consensio in explodendis Sibyllæ libris inanis & nulla vehementi fulta ratione censeri debet. Quæ ratio alia esse non potest, nisi quod nunquam satis compertum fuit atque exploratum Ecclesiæ, hæc vaticinia de Christo vera esse Sibyllæ, aut illi numinis afflatu expressa. Quod sane ad illa explodenda sufficit. Quia non est maiestatis Ecclesiæ, incerta pro certis amplecti & proponere: cum sit columna & firmamentum veritatis; ita Apostolo perhibente in 1. ad Timoth. cap. 3. Quod igitur Ecclesiæ semper incertum fuit, hoc quisquam pro certo amplecti, tueri, asserere audeat? Saltem igitur Sibyllina de Domino oracula incerta esse fatendum est: quod, vt dixi, satis est ad imponendum silentium iis, qui illa pro idoneis veræ religionis testimoniis venditant.

Sed & illud vehemens ad abrogandam Sibyllinis auctoritatem omnem argumentum censendum, quod habet idem Augu-

stinus

ſtinus in lib. 18. de ciuitate Dei cap. 47. vbi poſtquam conceſſit, non incongrue credi poſſe, non modo apud Judæos, ſed etiam in aliis gentibus extitiſſe homines, quibus humanæ per Chriſtum redemptionis myſterium reuelatum fuerit, quique ad hoc etiam prædicendum impulſi ſint, *ſiue* (inquit) *participes eiusdem gratiæ fuerunt, ſiue expertes, ſiue per malos angelos edocti ſunt, quos præſentem Chriſtum, quem Judæi non agnoſcebant, ſcimus fuiſſe confeſſos.* Poſtquam hoc dixit, paulo infra verſus finem capitis ſubdit: *Sed quæcumque aliorum prophetiæ de Dei per Chriſtum Jeſum gratia proferuntur, poſſunt putari a Chriſtianis eſſe conficta.* Vbi quandam inſinuat diſtinctionem: nempe in eorum numero, quibus extra populum Dei apud alias gentes natis reuelatum eſt Chriſti myſterium, quosdam gratiæ eius fuiſſe participes, & pertinuiſſe ad ſpiritualem Jeruſalem; alios ex eo electorum numero non fuiſſe. Illorum igitur ſi quæ extent prophetiæ de Chriſto, vt beati Job, eſſe amplectendas; horum autem, qui gratiæ expertes fuerunt, vaticinia, ſi quæ ferantur, credi poſſe conficta a Chriſtianis. Quibus verbis amplius declarat, vt non eſt abſurdum credi, Sibyllæ & aliis ethnicis vatibus reuelatum Chriſti gratiæ arcanum & prædictum, ſic neque abſonum videri debere, ſi quis ea de Chriſto vaticinia ſuppoſita a Chriſtianis cenſeat.

Ecce, quam aperte Augustinus Christianorum veterum fidem in venditandis Sibyllæ oraculis suspectam habet. Vt desinant quidam partium magis quam veritatis studiosi theologi acerbius incusare Casaubonum, quod in exercitationibus ad Baronii annales, in disputatione de Sibyllæ oraculis hæc scripserit: *Postremo me id vehementer mouet, quod videam, primis Ecclesiæ temporibus quamplurimos extitisse, qui facinus palmarium iudicassent, figmentis suis cælestem veritatem adiutum ire. Quo facilius scilicet noua doctrina a gentium sapientibus admitteretur.* Quam Casauboni censuram expendens Montacutius in quarta exercitatione: *Quam vellem* (inquit) *Casaubonus spongiam induxisset importunis illis* &c. Neque hanc ferendam viri doctissimi censuram, & merito a Rosvveydo flagellatam, censet. Ergo & illa Augustini modo allata flagellanda est, & spongia ei, vt magnæ importunitatis, inducenda. Quod enim magnus hic Ecclesiæ doctor putari posse dicit de Sibyllæ & aliorum ethnicorum vatum de Christo oraculis, hæc scilicet a Christianis fuisse conficta, id ipsum factum putauit Casaubonus: in quo nihil aliud quam iudicium Augustini sequitur. Eant igitur, & eadem censura, qua Casaubonum explodunt, & propemodum impietatis damnant, Augustinum in ordinem cogant, & importunitatis damnent.

CAPVT

CAPVT XIX.

Alia Augustini verba expenduntur: Montacutii in iis hallucinatio demonstratur.

POstquam dixit Augustinus: quæcumque aliorum, hoc est, ethnicorum de DEI per Christum Jesum gratia proferuntur, putari posse a Christianis conficta; mox exinde hanc consequentiam infert: *Ideo nihil est firmius ad conuincendos quoslibet alienos, si de hac re contenderint, nostrosque fulciendos, si recte sapuerint, quam vt diuina prædicta de Christo ea proferantur, quæ in Judæorum scripta sunt codicibus. Quibus auulsis de sedibus propriis, & propter hoc testimonium toto orbe dispersis, Christi vsque quaque creuit ecclesia.* Quia, inquit, quæ ab Ethnicis profectæ de Christo prophetiæ iustam apud Judæos & Ethnicos ipsos fraudis suspicionem habent, & suppositæ a Christianis videri possunt; nihil tutius & firmius esse potest ad Ethnicos pariter & Judæos conuincendos iis locis, quæ de Christo perscripta extant in Judæorum libris. Hæc sententia est horum verborum Augustini. Ex qua efficitur, minime esse laborandum nobis de illis Sibyllæ de Christo oraculis, siue res sit nobis cum Judæis, siue cum paganis, cum ab vtroque hominum genere repudiari possint, vt Christianorum figmenta.

Verum

Verum Montucutius, qui vbique inter Baronium & Casaubonum caduceator incedit, ne omnem Sibyllæ libris auctoritatem deroget, quod facit Casaubonus contra Baronium, saltem ad Ethnicos confundendos valere Sibyllæ oracula contendit, immo nihil validius iis contra eos afferri posse: apud Judæos autem agentibus minime iis esse vtendum, quod talibus gentium vaticiniis nullam fidem adhiberent. Hos igitur Christum negantes solis Hebræorum prophetarum, quos recipiunt, testimoniis esse refutandos; quemadmodum Sibyllæ suæ oraculis Ethnicos. Sic autem hanc rationem in quarta Exercitationum Ecclesiasticarum sect. 4. in disputatione contra Rosvveydum explicat: *Gentiles & pagani Judæorum vaticiniis num sunt inuoluendi? qui nec prophetas ipsos olim nossent, nec quid dona prophetiæ & charismata possent. Meministi, opinor, relatum a te nuper de Cypriano viro disertissimo & acerrimo disputatore, admorsum illum a Firmiliano apud Lactantium, quod contra paganum Demetrianum scribens prophetarum vteretur θεοφορουμένων & Apostolorum testimoniis, cum ille ea ficta, fucata, futilia diceret & commentitia. Meministi, Chrysostomo eandem omnino fuisse mentem, Hieronymo eandem. Immo vero rationem id suadere non ignoras, vt in principiis iisdem subsistentes per communia & confessa principia refellamus. Quid ergo Augustinus in contrarium*

trarium adductus? quasi vir, si quis alius, architectonicotatos & dialecticarum peritissimus rationum, tam pueriliter hallucinari poterat, vt paganos conuincendos, informandos, docendos e Scripturis, quas non acceptabant, opinaretur. Certe aliter non erat Augustinus hac in re animatus, quam ille, qui Cyprianum sugillabat. Hæc ille de testimoniis aduersus Ethnicos proferendis. De Judæis autem sic: *Judæi veteris testamenti scriptores diuinitus inspiratos libentissime fuerant admissuri. Ex iis facillime poterant & clarissime de Jesu Christo refutari. Et abunde sunt a Patribus (hoc enim præstitit Justinus Martyr & alii) refutati. At iidem prophetæ non erant pari modo suffecturi ad paganos refutandos, quibus non erat æque persuasum ac Judæis de illorum auctoritate. Judæi, quibus optime persuasum fuerat de prophetis & illorum vaticiniis, verisimiliter refelli poterant per oracula Sibyllina; tamen cum & illi respondere possent, illorum vaticinia conficta fuisse per Christianos, quod peræque gentiles & cum pari ratione non poterant respondere, standum docet Augustinus testimoniis prophetarum. Ita quoslibet alienos apud Augustinum non ad genera singulorum, sed ad singulos vnius generis referemus, cum de iis loquatur Augustinus.*

Ita ergo Montacutius verba illa *quoslibet alienos* in superiore Augustini loco accipit, vt ad solos Judæos pertinere censeat: quasi Augustinus

gustinus *quoslibet alienos* dicens, quoslibet particularium Judæorum tantum intelligeret, non autem quoslibet homines alienos a fide christiana. Qua in re quantum a mente Augustini aberret, aliis ipsius Augustini locis ostendi potest. Id enim agit Montacutius, vt ostendat, solis Sibyllæ & aliorum ethnicorum de Christo testimoniis redarguendos esse ipsos ethnicos, minimi esse momenti illa testimonia aduersus Judæos. At hoc plane est contra Augustinum, qui in libris contra Faustum Manichæum laudato supra loco eum hæreticum, id ipsum quod Montacutius defendentem, explodit, eo hunc deceptum dicens, quod non attenderet, *in nullis ecclesiis Sibyllæ illa vaticinia recitari, tum Hebræi prophetæ in omnibus gentibus clareant, atq; ad christianam salutem tanta infideliũ examina deducant.*

Præterea quod non modo Judæos sed & paganos Scripturæ testimoniis de Christo conuinci posse censuerit Augustinus, clarissimis eius dictis ostendi potest. Primum quidem iis, quæ habet in capite 46. lib. 18. de ciuitate Dei, vbi de dispersione Judæorum agit per omnes terras. Quod factum censet Dei prouidentia, vt extarent vbique codices, & præsto essent nobis prophetarum de Christo testimonia, quæ gentes a Christianis supposita suspicari non possent; cum ii codices illa testimonia continentes essent penes Christianorum infensissimos hostes Judæos, & ab iis summa dili-

diligentia asseruarentur. Verba adscribam: *Judæi autem, qui eum* (CHRISTVM) *occiderunt, & in eum credere noluerunt, quia oportebat eum mori & resurgere, vastati infelicius a Romanis, funditusque a suo regno, vbi iam eis alienigenæ dominabantur, eradicati sunt, dispersique per terras. Quandoquidem vbique non desunt* (supple: Judæi) *& per scripturas suas testimonio nobis sunt, prophetias nos non finxisse de Christo*; Rursus paulo infra: *Nobis quidem illæ* (scripturæ) *sufficiunt, quæ de nostrorum inimicorum* (Judæorum) *codicibus proferuntur, quos agnoscimus, propter hoc testimonium, quod nobis inuiti perhibent, eosdem codices habendo atque seruando, per omnes gentes etiam ipsos esse dispersos, quaquauersum Christi ecclesia dilatatur.* Hoc etiam de eadem re ibidem subiungit: *Demonstrauit ergo Deus Ecclesiæ in eius inimicis Judæis gratiam misericordiæ suæ; quoniam sicut dicit Apostolus: delictum illorum salus est gentibus: & ideo non eos occidit, id est, non in eis perdidit quod sunt Judæi, quanquam a Romanis fuerint deuicti & oppressi, ne obliti legem Dei, ad hoc, de quo agimus, testimonium nihil valerent. Ideo parum fuit vt diceret: ne occideris eos, ne quando obliuiscantur legem tuam; nisi etiam adderet: disperge illos: quoniam si cum testimonio scripturarum in sua tantummodo terra non vbique essent, profecto Ecclesia, quæ vbique est, eos prophetiarum, quæ de Christo præmissæ sunt, testes in omnibus gentibus habere non posset.*

Quod

Clara horum locorum ſententia eſt, propterea diſperſos per omnes nationes Judæos, non autem, vt eorum meritum fuit, internecione deletos, vt Chriſtianis aduerſus paganos diſputantibus, ſcripturæ, quam penes ſe diligenter aſſeruant, certis de Chriſto teſtimoniis & vaticiniis inſeruire vel inuiti poſſent. Quo pacto oſtendit Auguſtinus, Scripturam prodeſſe non modo ad Judæos, ſi animum aduertere velint, ſed etiam Ethnicos de Chriſti gratia conuincendos. Quod cum locis allatis manifeſtum eſt, tum maxime euidens & luce meridiana clarius fit iſto eiusdem loco in Pſalmi 40. enarratione. *Maior ſeruiet minori: modo impletum eſt; modo, fratres, nobis ſeruiunt Judæi, tanquam capſarii noſtri ſunt, ſtudentibus nobis codices portant. Audite in quo nobis Judæi ſeruiunt, & non ſine cauſa. Cain ille frater maior, qui occidit minorem, accepit ſignum ne occideretur, id eſt, vt maneat ipſe populus. Apud illos ſunt prophetæ & lex, in qua lege & in quibus prophetis Chriſtus prædicatus eſt. Quando agimus cum paganis, & oſtendimus hoc euenire modo in Eccleſia Chriſti, quod ante prædictum eſt de nomine Chriſti, de capite & corpore Chriſti, ne putent nos finxiſſe illas prædictiones ex his rebus quæ acciderunt, quas exiſtimant nos conſcripſiſſe, quaſi futuræ eſſent, proferimus codices Judæorum. Nempe Judæi inimici noſtri ſunt, de chartis inimici conuincitur aduerſarius.*

Hæc

Hæc ibi Auguſtinus: quibus Montacutii ſcrupulus facile tollitur, abſurdum putantis proferre ethnicis Scripturæ teſtimonia, quibus non credunt. Nam ſi iis ſimpliciter teſtimonia illa absq; vlla præfatione & præparatione opponerentur, valeret ratio illa; non autem, ſi fiat, quod dicit Auguſtinus. Primum quidem doceantur ethnici, inimicos eſſe Chriſtianis Judæos; non fauere proinde hos illis, nedum quicquam eorum gratia de Scripturis mentiri vellent: præterea, in ſacris eorũ codicibus, quos cum ſumma ſemper cura & fide ſeruarunt, hæc ipſa reperiri ſcripta de Chriſto, quæ Chriſtiani credũnt. Quibus ſane intellectis, facile omnis remouetur ſuſpicio fraudis ab iis, quæ a nobis proferuntur, teſtimoniis de Chriſto. Hæc eſt ratio diſputandi aduerſus paganos de vera religione ex Scripturæ oraculis. Quam & Firmianus lib. 5. c. 3. agnoſcere & commendare videtur his verbis, in quendam ſui temporis calumniatorem Chriſtianæ pietatis agens: *Non eſt mirum, ſi tu, qui a Dei ſapientia longe remotus es, nihil prorſus intelligis eorum, quæ legiſti: cum Judæi, qui a principio prophetas lectitauerant, quibusque ſacramentum Dei fuerat adſignatum, tamen quid legerint, ignorauerint. Diſce igitur, ſi quid tibi cordis eſt, non idcirco a nobis Deum creditum Chriſtum, quia mirabilia fecit; ſed quia vidimus in eo facta eſſe omnia, quæ nobis annunciata ſunt vaticinio prophetarum. Fecit mirabilia: magum putaſſemus; vt & vos nuncupatis, & Judæi tunc putauerunt; ſi non illa ipſa facturum*

Dd *Chri-*

Christum prophetæ omnes vno spiritu prædicassent.

Ita intelligendum illud a Montacutio allatum de Cypriano martyre; quem eo nomine reprehendit Lactantius eiusdem libri capite 4. quod aduersus quendam Demetrianum, purum putum ethnicum, disputans, solis eum Scripturæ testimoniis, quam ille vtique vanam, fictam, commentitiam putabat, refelli posse sperasset. Quod factum sic ibi improbat Lactantius: *Nam cum ageret contra hominem veritatis ignarum, dilatis paulisper diuinis lectionibus, formare hunc a principio tanquam rudem debuit, eique paulatim lucis principia monstrare, ne toto lumine obiecto caligaret.* Credo etiam hoc velle Lactantium: debuisse prius erudiri hunc ethnicum, de Judæorum gente, antiquitate, religionis ritibus, prophetis, tum iis, quæ in Christum egissent, odio in Christianos; hocque modo illi insinuare veritatem eorum, quæ Christiani de Christo crederent, cum illa in Judæorum libris tanto ante prædicta pateret. Hæc namque lucis ethnicis insinuandæ principia & præliminia. Postquam scilicet paganarum superstitionum vanitas humanis philosophorum & historicorum testimoniis patefacta fuisset. Hi namque gradus: primum demonstrare, quæ pagani de diis dicunt falsa & absurda esse: deinde ad Judæorum religionem transire: ex his ad Christianos. *Oportebat* (inquit) *huic, quia nondum capere poterat diuina, prius humana testimonia offerri, id est, philoso-*

philosophorum & historicorum, vt suis potissimum refutaretur auctoribus. Non ergo absurdum putat Lactantius, vrgeri ethnicos testimoniis prophetarum, quæ in sacris Judæorum libris continentur, si id fiat cum opportuna & conuenienti animorum præparatione. Qualis hæc ab Augustino tradita, vt insinuaret illis, non posse esse ficta a Christianis, quæ in sacris Judæorum codicibus, ita vt Christiani proferunt, scripta repeniantur.

Non minus fallitur idem auctor, cum fidem aut honorem vllum paganos habuisse literis Judæorum, & prophetarum eius gentis oraculis, negat. Immo apud gentes nemo doctus extitit, qui non de Mose prophetarum antiquissimo audisset, & magnum fuisse virum & diuinum fateretur. Non ipsi philosophi a peripato, quantumuis argumentosi, & naturalium rationum tenaces, negare potuerunt, quin, quæ Moses scriptis mandasset, diuina essent, sed ea nolebant ad literam accipi. Quo sane spectant Simplicii verba lib. 8. physic. auscult. in digressione contra Philoponum, quibus negat, Mosis verba, quæ initio voluminis rerum primam originem exponunt, ad eum sensum, quem litera sonat, trahi debere, quemadmodum Philoponus volebat: ἐννοείτω, ὅτι μυθική τις ἐστὶν ἡ παράδοσις, καὶ ἀπὸ μύθων Αἰγυπτίων εἱλκυσμένη. id est, *Sciat, quod ibi traditur fabulosum esse quiddam, a fabulis Ægyptiis tractum.* Quod non ita dicit, quia Mosem contemnebat, sed quia hunc aliud, quam sonant verba,

innuisse censebat. Neque enim philosophi Ægyptiorum fabulas contemnebant, sed venerabantur potius, eodemque habebant loco, quo nos Scripturæ ænigmata: vt patet ex Plutarchi libro de Iside & Osiride. Sed & Porphyrius in libro de antro Nympharum eiusdem prophetæ verba: *Et Spiritus Domini ferebatur super aquas*: quid sensus occulti habeant, ex Numenii Platonici sententia exponit. Multa hic possem adiungere in eandem sententiam ex Eusebii Pamphili præparatione euangelica, sed nolo in re cunctis obuia esse longus: sufficiunt enim quæ ex Augustino attuli, de suspecto Sibyllæ & aliorum externorum vatum testimonio, in iis, quæ ad Christum pertinent.

Quodcumque autem testimonium iustam habet fraudis & falsitatis suspicionem, siue Sibyllæ, siue cuiuslibet alterius auctoris, non esse idoneum vt ex eo vlla certa eliciatur probatio, siue contra paganos, siue contra Judæos, qua de Christi aduentu & diuinitate conuinci possint, palam est.

CAPVT XX.

In eos qui Sibyllina, licet ficta, vt putant, a Judæis, magni ad eos conuincendos momenti esse putant.

QUamobrem satis mirari non possum, quosdam recentiores viros doctos tantum Sibyllinis nonnullis tribuere, vt nihil ad infringendam Judæorum pertinaciam valentius esse putent. Quod enim dicunt, inter

inter oracula, quæ Sibyllæ nomine vulgata a Judæis fuere, illud fuiſſe de rege venturo, cui vniuerſus terrarum orbis ſubiiciendus eſſet, idque oraculum prodiiſſe illo ipſo anno, quo Pompeius in Syria res gerens cepit Jeroſolyma; qui cordatis viris probari poſſit, non video. Iſtud enim oraculum, quod a Judæis tunc temporis ſuppoſitum fuiſſe dicunt, his verſibus aiunt contineri, qui in noſtris Sibyllinorum libris ſub finem ſecundi libri leguntur:

Αὐτὰρ ἐπεὶ Ῥώμη καὶ Αἰγύπτου βασιλεύσει
Εἰς ἓν ἰθύνουσα, τότε δὴ βασιλεία μεγίστη
Ἀθανάτου βασιλῆος ἐπ᾽ ἀνθρώποισι φανεῖται.
Ἥξει δ᾽ ἁγνὸς ἄναξ πάσης γῆς σκῆπτρα κρατήσων,
Εἰς αἰῶνας πάντας ἐπειγομένοιο χρόνοιο.
Καὶ τότε Λατίνων ἀπαραίτητος χόλος ἀνδρῶν
Τρεῖς Ῥώμην οἰκτρῇ μοίρῃ καταδηλήσονται.
Πάντες δ᾽ ἄνθρωποι μελάθροις ἰδίοισιν ὀλοῦνται,
Ὁππότεν οὐρανόθεν πύρινος ῥεύσῃ καταράκτης.

Apponam verſionem Caſtalionis, vt græca illa omnes intelligant:

Sed poſtquam Roma Ægyptum reget, imperioque
Frenabit, ſummi tum ſumma potentia regni
Regis inextincti mortalibus exorietur.
Rex etenim ſanctus veniet, qui totius orbis
Omnia ſeclorum per tempora ſceptra tenebit.
Tuncque Latinorum non eluctabilis ira
Tres Romam triſti fatorum ſtamine perdent.
Atque ſuis homines perdentur in ædibus omnes,
Tum cum de cælo torrens fluet igneus.

Vbi luculenta eſt prædictio eius potentiæ, quam totis, poſtquam illud oraculum proditum eſt, viginti annis Auguſtus, Lepidus, & Antonius vſurparunt, qui ob hanc Triumuiri dicti ſunt, tres ſcilicet ſummi principes imperii Romani, vt ipſi confitentur. Atqui non video quomodo iſte Judæus, a quo hanc prædictionem Sibyllæ nomine fabricatam & vulgatam autumant, de triumuiratu & iis temporibus tanto ante præſcire potuerit. Viderunt ipſi hunc nodum, ſed

non expediunt, neque de modo, quo eum expediant, vel cogitant quidem; & contenti difficultatem indicasse, tanquam nihil ad se pertineret, transuolant. *Si quis* (inquiunt) *credere nolit, hæc futura potuisse præsciri a scriptoribus Sibyllinorum, per me licet vt credat, quemadmodum ante Corn. Lentulus, ita quoque huius exemplo istos triumuiros ad inuadendam rempublicam instigatos fuisse versibus illis Sibyllinis, quorum tanta apud Romanos esset auctoritas.*

Quibus verbis magis se ipsi impediunt, quam expediunt: cum eos Romanos censent versibus illis supra allatis ad inuadendam rempublicam instigatos fuisse. Quæro enim, cum versus illos *Sibyllinos* vocant, genuinosne Sibyllæ intelligant, an a quodam Judæo suppositos, vt diserte alias dicunt? Si genuinos intelligunt, sequitur, Sibyllam vere de magno rege & triumuiris vaticinatam, neque nomen Sibyllæ inane esse, vt putant. Si autem Sibyllinos vocant Sibyllæ nomine confictos a Judæis, manet perplexitas, quomodo illis temporibus Judæorum quisquam de Romanis triumuiris vaticinari potuerit. Iidem tamen manifesta contradictione, vbi de libris apocryphis agunt, Judæos illos, qui de Christo & aliis diuinis Sibyllæ nomine prædixerunt, Numinis afflatu id egisse confiteri videntur his verbis: *Ita omnino credimus, omnes istos, quos diximus, libros, vergentibus ad finem Danielis hebdomadis, a Judæis toto orbe dispersis fuisse compositos, Deo impellente ipsorum mentes ad significandum gentibus Christi aduentum.* Ergo ex his quidem verbis Judæi illi impostores prophetæ fuerunt. Atqui hoc ipsum postea negant in capite de iis, quæ hodie supersunt, Sibyllinis: *Nec tamen opus est, vt propterea prophetidem vel prophetam fuisse existimemus, quicumque istorum fuerit auctor carminum. Cum enim duas fuisse Erythræas Sibyllas scribat Strabo, alteram priscam, alteram vero quæ Alexandri Magni vixerit temporibus, facile Judæis fuit imponere legatis Romanorum, missis ad Erythrææ Sibyllæ colligenda carmina, obtrudendo mercem quæ ex sua prodiisset officina, pro antiquæ & priscæ Sibyllæ carminibus.*

Quod

Quod si respondeant, non eo modo se se Judæos illos arbitrari impulsos ad significandum gentibus Christi aduentum, quo fuerunt prophetæ impulsi, per afflatum scilicet proprie dictum & reuelationem; sed quomodo impelli homines dicuntur ad aliquid agendum ex solo instinctu; vt vellent ex prophetarum antiquorum libris quædam ad Messiæ aduentum & regnum pertinentia excipere, quæ metris græce exprimerent, & pro Sibyllinis vulgarent; hoc modo vitatur contradictio, sed redit perplexitas de prædictione triumuiratus apud Romanos futuri: cum mentis humanæ captum excedat, aliquem Judæorum videre sine afflatu diuino, quæ alicubi terrarum post viginti annos futura sint. Quamobrem hoc tam perplexum & inenodabile consideranti mihi nihil tutius videtur, quam regem eum, de quo Sibylla Cumæa loquitur, hoc modo accipi, quo Seruius in 4. Eclogam interpretatur, ad hunc versum:

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas.

ibi Seruius: *Sibyllini, id est, Sibyllæ quæ Cumana fuit & secula per metalla diuisit: dixit etiam, quis quo seculo imperaret, & solem vltimum, id est, decimum voluit.* De qua expositione supra iam a nobis dictum est. Sed nihilominus quæ eo loco sequuntur apud doctissimum interpretem subiungere hic etiam non grauabor: *Dixit etiam* (Sibylla) *finitis omnibus seculis rursus eadem renouari: quam rem etiam philosophi hac disputatione colligunt, dicentes, completo magno anno omnia sidera in ortus suos redire, & referri rursus eodem motu. Quod si est idem siderum motus, necesse est, vt omnia quæ fuerunt, habeant iterationem. Vniuersa enim ex astrorum motu pendere manifestum est. Hoc secutus Virgilius dicit, reuerti aurea secula, & iterari omnia quæ fuerunt.* Veram esse hanc Seruii interpretationem versus eadem ecloga indicat:

Jam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna,

cum aliis aliquot sequentibus; quos nemo non videt, conceptos ex veterum opinione de mundi ætatum successione & reuolutionibus: quarum in ordine beatissimus hominum status censetur fuisse sub Saturno. Hæc autem

notan

notanda in primis verba: *Dixit etiam Sibylla, finitis omnibus seculis rursus eadem renouari* &c. Quibus celebratam Platonicis rerum omnium ἀποκατάστασιν, hoc est, restitutionem & renouationem designat, quam ibi *iterationem* vocat. Quod caue intelligas de vna reuolutione, qua semel in pristinum statum omnia restituantur, qua completa hæ vices desinant: cum eas reuolutiones procedere in infinitum velit Sibylla, quam secuti sunt Pythagorici, &, qui eos imitati, Platonici. Quod cum ita sit, non apparet mihi, quid necesse sit, hanc Sibyllæ memoratam restitutionem esse hanc ipsam, cuius nobis auctor Christus, expiatis morte sua hominum peccatis. Multo verisimilius est, ethnicam vatem profana & paganica scripsisse. Hæc quidem interpretatio, quam ex Seruio attuli, multo est simplicior quam ista, quæ machinam velut in fabula inducit, Judæum scilicet, nescio quem, istius oraculi de Christi aduentu auctorem. Fac autem, vtramque esse æque verisimilem, quid tum postea? Nempe animus in ancipiti pendeat & fluctuet semper necesse est. Ex dubia autem & controuersa interpretatione, quid aduersus Judæos aut Ethnicos solidi ad fidem veræ religionis faciendam exprimi possit, non video

Restat, vt quid illis versibus græcis, quos pro Sibyllinis proferunt, faciendum, explicem Ego a Christianis posterius factos & suppositos, cum aliis plerisque, qui in hodiernis Sibyllinorum libris leguntur, censeo: alios proinde ab illis Sibyllæ oraculis, quæ Pompeio res in Syria gerente, & sub tempus triumuiratus, circumferebantur. In quibus & de rege orbis domitore prædictum fuisse facile concedo & certum habeo; sed non illo, quem sancti prophetæ venturum prædixere, verum tali, qualis initio Saturnus fuisse fingitur in seculo aureo, iuxta hypothesim illam paganicam restitutionis earumdem rerum, per infinitas reuolutiones, vt modo dictum est.

Hæc sunt, quæ mihi probabilius de Sibylla & Sibyllinis, post tot homines doctos, qui de iis scripserunt, dici posse visa sunt.

FINIS.

